DISSERTATIONES

PHILOLOGAE

VINDOBONENSES.

VOLUMEN SEPTIMUM.

VINDOBONAE ET LIPSIAE.

SUMPTUS FECIT F. DEUTICKE.

MCMIII.

DE

PONTII MEROPII PAULINI NOLANI

RE METRICA

SCRIPSIT

ADALBERO HUEMER.

Cum sancti Paulini Nolani artem metricam tractaturus sum, res ita disponenda esse videtur, ut primum *de elementis numerorum*, i. e. de syllabarum quantitate et de vocalium concursu agam, deinde disputem *de variis apud Paulinum metris legibusque, quas in eis secutus est*, denique *quae de verborum accentus cum numeris consociatione et de metrorum cum sententiarum clausulis concursu adnotanda erunt*, adferam.

I. De elementis numerorum.

Quam materiam in duas, ut supra commemoravi, partes digeram, quarum priore *de vocalibus aut productis aut correptis in exeuntibus mediisque verbis et de syllabis, quae vi consonantium producuntur*, altera *de vocalibus inter se concurrentibus* agam.

1. De syllabarum quantitate.

A. De vocalibus.

Ordiamur igitur a vocali ‚**a**', quae in verborum syllaba extrema exstat. Ac primum quidem commemorandum est in vocibus et Graecis et Hebraicis ‚a' nominativi exstare correptum. Eiusdem autem casus, qui in Graeco sermone in ‚es' desinit, forma Paulinus utitur et producta et correpta vocali ‚a'. Scribit enim: *Nicetā* XVII, 149[1]); *prophetă* VI, 147. Vocativus autem exstat:

---

[1]) Hartelium secutus numeris Arabicis voluminis XXIX., quo epistulae continentur, paginas, numeris Latinis voluminis XXX. carmina, numeris Arabicis utrique adiectis versuum numeros significabo.

Nicetā XVII, 7, 57, 161, 187, 237; XXVII, 636 et *Nicetă* XXVII, 325, 340.

Hoc loco non omitti potest illud *Eliăs*, quod scriptum legitur V, 42, cui opponere licet *Satanās* XIX, 98. Casum accusativum *hebdomadās* (XXVII, 61: *hebdomadas et lux*) a nominativo *hebdomada* (cf. Gell. III, 10, 14; Hieron. Ep. 98, 25) derivat; nam accusativus declinationis, quam tertiam dicimus, omnibus locis adhibetur ultima brevi: *martyrăs* (XIX, 51), *daemonăs* (XIV, 24; XVIII, 99; XXII, 142; XXIII, 46).

Iam adverbiorum vel praepositionum, quae prodierunt ex casu ablativo sermonis prisci, syllaba ultima pristinam quantitatem apud hunc poëtam servat. Quare invenies: *Contrā* (XI, 22; XVI, 295; XVIII, 403; XXI, 56; XXXII, 150); *intrā* (XIV, 30; XV, 89; XXI, 32); *infrā* (XXVIII, 30; 284, 6); *extrā* (XXXI, 92); *iuxtā* (XVI, 268; XVIII, 304; XXVII, 317); *suprā* (49, 34); *ultrā* (XIX, 107); *circā* (XX, 339; XXI, 364, 663); *ergā* (XXI, 555).

Solo autem adverbio *ită* Paulinus semper utitur utraque syllaba brevi (cf. XVIII, 167; XIX, 293; *ităque* XIX, 164). Nam si in App. 3, 76 et *extră* et *infră* brevi extrema inveniuntur, ad id iam hoc loco animum attendas, quaeso, tales esse licentias huius carminis, quales Paulinum vix sibi permisisse crediderim.

Eaedem fere sunt discrepantiae carminis XXXII (cf. Hartel. praef. p. XXII), ubi legitur *anteă* (146, 238) et *posteă* (98), cum Paulinus voces harum simillimas, quae sunt *intereā* (VI, 205; X, 15; XV, 198; XVIII, 319; XX, 76; XXIII, 117, 184; XXVII, 369; XXVIII, 75; XXXI, 81), *praetereā* (XIX, 155; XX, 117), *proptereā* (XVIII, 258; XX, 341; XXI, 535, 546; XXVI, 64; XXVII, 580; XXXI, 303; 280, 13), extrema producta ponat. A quibus exemplis differre puto illud *interea*, quod invenitur XIX, 275. Qui poëta cum diligentissime sicut ceteri elisionem syllabae longae in thesi sexta hexametri vitasset, hoc loco suae aetatis opinionem haec adverbia accusativi formas prae se ferre secutus videtur esse (cf. L. Mueller., De re metrica poëtarum Latinorum p. 421). Quae sententia commendari videtur versu XXIV, 47:

Interea navis altius decrescere.

Nam ubicumque in metro iambico exstat dactylus in pede primo, in altero pede sequitur iambus aut (XXIV, 381; 623) tribrachys.

Similem licentiam bis invenies in praepositione *causă* (XXXII, 44; 116). At in app. III, 165 verbis:

Ad quam servandam tua sum pietate iuvandus

tuā pronomen monosyllabe esse pronuntiandum probabilius videtur.

Etiam *frustră* adverbium, quod ex accusativi forma ortum videtur[1]), progrediente aetate per analogiam, quae dicitur, productum in carminibus, de quibus est sermo, numquam non efficit spondeum.

Tum Paulinum non eos secutum esse, qui numeralium, quae in ‚a' desinunt, imminutam ultimam sibi indulserunt, docemur v XXVI, 189, ubi *octoginta* dispondeum explet.

Quantitatem denique syllabarum, quae in ‚r' aut ‚s' consonantes desinunt, magna cura etiam in verbis compositis integram videmus servatam. Quare compositum *impar*, quod a poëtis huius aetatis saepe corripitur (cf. Muelleri l. l. p. 421), ut verbum simplex *par* (XVIII, 225, 381) longa exstat ultima syllaba XIV, 21 *(impār his)*.

Contra composita, quae descendunt a verbo ‚*pedis*' — eaque re commemorata iam venimus ad vocalis ‚e' quantitatem — non ponuntur nisi ‚e' correpta. Legis enim: *quadrupĕs* (XX, 387[2]), *tripĕs* (XXIII, 140), *perpĕs* (XXI, 309; XXXIII, 132).

Verborum autem Graecorum syllaba terminans ‚es', quae nonnumquam a poëtis posterioribus corripitur (cf. I. Huemer. l. l. p. 11), suam ubique retinet quantitatem propriam. Huc pertinet nomen proprium *Nicetēs* (XVII, 165; XXVII, 164, 182, 231, 248), cuius nominativum *Niceta* supra attulimus.

Etiam casus nominativus vocum pluralium, quae in ‚ēs' exeunt, plenam hanc servat syllabam, nisi quod verba Graeca Graecam sequuntur declinationem. Quare Paulinus dicit: *daemonĕs* (XIX, 71, 253, 267, 310, 312, 319; XXIII, 61 al.), *martyrĕs* (XIX, 196; XXVI, 128; XXVII, 217, 429), *Phrygĕs* (XIX, 82, 87).

Denique veterem illam consuetudinem, cuius mentionem facit Priscianus (cf. Gr. Lat. VI, 59 Keil) his verbis: *et 'fames' 'famei' dicebant veteres, unde adhuc 'famē' producitur*, hunc dico usum secutus est Paulinus, qui et nominativo *famēs* (XXXI, 461 *famēs hic*) et ablativo *famē* (XV, 216 *famē duroque*; App. I, 25 *famē vinctis;* App. II, 15 *famē calore*) iambi loco utitur.

Hanc si spectaverimus magnam servandae quantitatis curam, certe quam maxime mirabimur, quod idem poëta in App. carm. III. (in v. 33 et 163) graviter neglexisse videtur quantitatem posita voce *diĕs* correpta ultima syllaba, id quod in tanto versuum numero nusquam alibi nobis legentibus occurrit. Sane hoc eo magis mirum

---

[1]) Skutsch, *Forschungen* I, 3; Lindsay in libro, qui a Nohlio in sermonem Germanicum conversus inscribitur ‚*Die latein. Sprache*' Lips. 1897, p. 641; Brix-Niemeyer, *Trinumm.* p. 19 al.

[2]) cf. I. Huemer, *Untersuchungen über den iambischen Dimeter bei den christl.-lat. Dichtern*, Progr. d. Gymn. im IX. Gemeinde-Bez. in Wien 1876, p. 11.

est, quod in ceteris quoque vocibus quantitas ‚e' finalis strenue servatur. Velut apud Paulinum imperativos eius generis, cuius sunt *monĕ, salvĕ,* quorum ‚e' saepius corripitur (cf. Muelleri p. 418 s.), frustra quaeres neque tibi perscrutanti praesto erit adverbium declinationis, quam secundam dicimus, cuius ‚e' sit brevis, exceptis formis *benĕ* et *malĕ*.

Tertiam iam hoc loco adferre debemus exceptionem ex App. c. III., cuius versus 5. est hic:

Corporis ignote ‖ oculis vix cognite mentis.

Nullo alio loco reperies hanc libertatem, qua non solum quantitatis lex, sed etiam hiatus norma violatur.

Praeterea de verbis *fervendi* et *fulgendi* dicamus. Opponere enim possumus illi *fervēre* (XXI, 370) formam *fervĕrent* (XXIV, 61). Neque vero in hoc verbo quantitatem vocalis ‚e' fluctuare, sed duplicem potius formam ‚fervēre' et ‚fervĕre' exstare in sermone Latino nos docent scriptores ceteri. Idem dicendum est de altero verbo, cuius infinitivus *fulgĕre* exstat in XV, 176. Neque crimini dabimus poëtae, quod forma plena perfecti temporis, quae est *adstitĕrunt* (VIII, 2), brevi paenultima utitur. Nam ancipitem fuisse hanc syllabam non solum poëtarum scaenicorum docemur exemplis, sed etiam Vergilianis (ut Aen. II, 774 et III, 48: *Obstupui stetĕruntque comae*).

Iam transeamus ad vocalem ‚i'. Substantivo *‚pulvis'*, ut ab hoc incipiamus, quod Vergilius in Aen. I, 478 ponit spondiacum, Paulinus correpta utitur ultima (X, 289 *pulvĭs ĕt;* XXI, 605 *pulvĭs hăberet;* XXXI, 266 *pulvĭs hăbet*). At producit ‚i' in neutro *ĭdem* XXXII, 209. Tribus deinde formis dativum singularem pronominis relativi et demonstrativi apud hunc reperimus. Has formas, quibus poëtae Augusti temporum non utebantur nisi monosyllabis, multis quidem locis et in arsi et in thesi monosyllabas legimus. Praeterea *cuĭ* et *huĭc* formas diductis vocalibus positas invenimus ita, ut pyrrhichium efficiant (*hŭĭc* VI, 30; XVI, 64; *cŭĭ* XVI, 181; XXV, 148). Denique iambum efficit pronomen *cŭī* (XXI, 349; XXXI, 273, 347; XXXIII, 129; p. 286, 12), qui usus recedit ad sermonis pristini dativum *quoei, quoi* (de dativo *cŭi* XXXII, 15 cf. infra). Casus autem dativus numeri pluralis *quĭbus*, cuius loco reperimus *quĭs* (VI, 227; XVIII, 218), omnibus locis utraque correpta exstat.

Deinde ab optimorum poëtarum genere dicendi recedit Paulinus in usu particularum *nisi* et *quasi*. Qui his non fere usi sunt, nisi correpta ultima, hic vero eam nonnumquam producit. Legimus enim: *quasī* (XV, 133; XVIII, 149, 383, 423; XIX, 638; XX, 351; XXIV, 656; XXV, 169), *nisī* (XXIV, 277). Particula vero *etsi* semper efficit spondeum.

Usum autem ceterorum poëtarum Paulinus sequitur, cum *ubi* et *ibi* altera syllaba ancipiti ponit nec minus cum *ubique* (XI, 56; XIII, 12; XVIII, 296; XXI, 464; XXXI, 356) adhibet producta media. Deinde *velutī* ut apud optimos poëtas pristinam longam retinet ultimam.

Ad coniugationem verborum hoc potissimum adferri debet Paulinum hic illic formas, quae in *erimus, eritis* desinunt, longa media ponere. Invenimus enim: *poterīmus* (XXXI, 631); *oderīmus* (XVII, 71); *erīmus* (XVII, 287); *adfuerītis* (XIX, 387). Adde, quod poëtas Augusti aetatis secutus communem adhibet syllabam *is* coniunctivi perfecti. Quare legimus XVI, 181 sq. sic:

> . . . quid gesseris et cui tandem
> servierīs, illo gaudens sub tempore nosces.

Tum ad quantitatem vocalis ‚o' si transibimus, videbimus eius correptionem hac aetate iam multum progressam esse.

Nominativi enim et singularis et dualis *o* terminans, cuius correptionis prima vestigia deprehenduntur apud Plautum (cf. Ritschel. *Plaut. Trin. Prol.* p. 166), iam Augusti temporibus haud raro pro una valebat mora. Quae licentia a nominibus propriis, quibus imprimis poëtae huius aetatis eam vindicabant, ex sermone populi ad verba iambica, deinde ad alias quoque voces translata est ita, ut in carminibus Paulini pauca inveniamus nomina, in quibus pristina huius syllabae quantitas servetur. Leguntur enim correpta ultima: *Tarracŏ* (X, 133); *Marŏ* (XI, 38); *Carthagŏ* (XIX, 141); *Iunŏ, Cupidŏ* (XXV, 10); huc referri potest etiam *‚Barcino amoena'* (X, 232), quia in sede quinta non eliditur longa. Deinde ut antea usitatum: *homŏ* (XIX, 505; XXII, 72; XXXI, 340; 530 al.); *carŏ* (XV, 196; XVIII, 95, al.); *latrŏ* (XIX, 475); praeterea: *nemŏ* (XI, 32); *praedŏ* (XIX, 75, 468); *ordŏ* (I, 7); *sermŏ* (XX, 267); *mūcrŏ* (XXIII, 167); *imagŏ* (XXXI, 65); *libidŏ* (XIX, 171); *portiŏ* (XIV, 130; XXI, 39 al.); *passiŏ* (XV, 194); *trepidatiŏ* (XV, 281); *benedictiŏ* (XIX, 316); *possessiŏ* (VIII, 12); *confusiŏ* (XXVIII, 166 al.); *obliviŏ* (IX, 193); *defensiŏ* (XXI, 411); *mutatiŏ* (XX, 120); *perfectiŏ* (XXI, 662); *generatiŏ* (XXV, 177); *confessiŏ* (XXVI, 106); *novatiŏ* (XXVIII, 185); *dilectiŏ* (XXXI, 441).

Qui numerus nominum augeri potest, sed exempla allata sufficient. Facilius enim ad finem perveniemus, cum eos locos congeremus, quibus exstat ‚o' vocalis longa. Quod quidem facillime fieri potest loco, ubi de caesura agemus.

Item brevis est ultima syllaba vocis *ambŏ*, quae Augusti temporibus spondei mensuram impleverat, corripi autem coepta est inde a Statii aetate (cf. Theb. VI, 374). In Paulini autem versibus

quotiens nobis legentibus occurrit, totiens trochaeum efficit (cf. XXI, 291; XXV, 234; XXVII, 210; XXXI, 544; p. 51, 94). Deinde numerale *duŏ* a poëtis, qui Augusti aetate florebant, nisi pyrrhichii loco nusquam admittebatur, quem usum Paulinus quoque servat (XX, 36; XXI, 61, 284, 293; XXVIII, 171; p. 51, 91; 280, 2; 289, 22 al.), excepto III, 1, de quo versu infra (in p. 47) agemus.

Tum pronomen personale *ego,* cuius syllabam posteriorem nonnulli poëtae recentiorum temporum producebant (cf. Auson. epigr. 54, 6), in his carminibus semper correpta ultima inveni. Neque mirum est Paulinum in numerali *octŏ* (XIX, 537) finalem corripere (ut. Martial. VII 53, 10), servare vero in composito *octōginta* (XXVI, 189) syllabam longam.

Deinde ‚o' nominum, quae in sermone Graeco terminantur syllaba ‚ων', corripitur, ut *dracŏ* (XV, 130; XXVIII, 248); *daemŏn* (XXIII, 92; XXXI, 78).

Semper vero exstat *honōs* (XV, 227; XIX, 298; XXVI, 376; XXVII, 373) et *honŏr*.

Magnus porro exstat numerus adverbiorum et particularum, quae etsi sunt ablativi sermonis pristini, tamen quantitatem vocalis claudentis mutaverunt.

Haec fere invenies exempla: *modŏ* (XV, 361 al.); *citŏ* (XX, 157, 198, 242; XXVIII, 144; XXXI, 16; App. III, 158); *serŏ* XII, 19; XVIII, 312); *ergŏ* et *ilicŏ* (plurimis locis); *verŏ* (XIX, 464; XXI, 634, 800; XXVII, 334; XXIX, 5); *immŏ* (XX, 120); *retrŏ* (XXI, 563, 575); *idcircŏ* (XXVII, 226). Huc referendum est *quomodŏ* (XXIV, 767), quod in altera trimetri iambici sede ante arsin syllaba longa non eliditur.

Tum anceps est ‚o' adverbii *quando* (VI, 282 *quandōque;* XXXII, 22 *ut quandō;* XXVII, 7 *si quandŏ;* VIII, 26 *ne quandō*); *aliquando* autem utroque loco, ubi legitur (XVIII, 102; XXVI, 259), paeonem, quem dicimus, tertium implet. Denique *citrō* (XVIII, 241; XXVII, 358), *ideō* (XIX, 211; XXVI, 59; XXXII, 106; *ideōque* XIX, 190), *intrō* in verbo composito *introducendi* (XIX, 522: *intrōducitur*) qua apud poëtas aetatis aureae sunt quantitate. Nequaquam vero mirabimur, quod *hŏdie* (XVIII, 435; XIX, 345) reperitur, quoniam hic usus omnibus poëtis inde a Plauto est communis.

Eandem, quam modo exposuimus quantitatis fluctuationem, in verborum formis invenimus.

Atque corripitur ‚o' vocalis, qua prima numeri singularis praesentis et futuri temporis persona terminatur, in verbis non solum iambicis, sed etiam spondiacis, atque adeo, quae sunt plurium syllabarum. Cuius rei haec profero exempla: *putŏ* (XXVII, 280);

volŏ (XXVII, 511); *gerŏ* (XXI, 699; XXXI, 158); *sciŏ* (XX, 184; XXII, 98; XXIII, 206); *queŏ* (XV, 45); *bibŏ* (p. 283, 12); *rogŏ* (XV, 311; XVIII, 261; XIX, 118); *erŏ* (XXIX, 5); *iactŏ* (p. 51, 80); *volvŏ* (XXXI, 13); *ponŏ* (XXI, 552); *nolŏ* (XXV, 34); *orŏ* (XX, 283; II, 11); *quaerŏ* (V, 41; XVIII, 299); *ibŏ* (XX, 278); *iurŏ* (V, 44); *quaesŏ* (XX, 253); *aequŏ* (XXIII, 330); *audeŏ* (XV, 33); *debeŏ* (XVI, 10); *haereŏ* (XVIII, 288); *ignorŏ* (XVIII, 288); *cognoscŏ* (V, 47; XXIII, 46); *ingerŏ* (XXVIII, 117); *adserŏ* (XI, 32); *praedicŏ* (VIII, 9; XXI, 790); *audebŏ* (XI, 42); *egebŏ* (XVI, 282); *accusabŏ* (XVIII, 269); *parabŏ* (XVIII, 282); *narrabŏ, enarrabŏ* (XX, 29; XIX, 609); *commemorabŏ* (XIX, 606), alia. His formis adiungenda sunt fut. exact. *fecerŏ* (XXVII, 297) et imperativus *estŏ* (IX, 39; XII, 26; XVII, 319; XIX, 728; XXVI, 234; XXIX, 4.).

Senecae porro et Calpurnii exemplum, qui ablativi singularis syllabam terminantem in gerundio corripiebant, Paulinus quoque secutus est. Quare attenuata extrema syllaba utitur verbis: *trudendŏ* (XVI, 2); *sitiendŏ* (XVI, 205); *portandŏ* (XIX, 710); *adsumendŏ* (XX, 57); *accusandŏ* (XX, 143); *motandŏ* (XX, 350); *remanendŏ* (XX, 370); *amandŏ* (XXII, 32); *prodendŏ* (XXIII, 93); *excruciandŏ* (XXIII, 225); *veniendŏ* (XXXI, 352; XXIII, 232); *metuendŏ* (XXV, 76); *exsultandŏ* (XXVII, 634); *praeveniendŏ* (XXVIII, 149); *eundŏ* (XXXI, 120); *moriendŏ* (XXXI, 177); *credendŏ* (XXXI, 377); *flendŏ* (XXXI, 534); *detestandŏ* (X, 155); *orandŏ* (XXIV, 316).

Restat, ut commemorem, quibus condicionibus vocales, quas modo correptas diximus, quantitatem pristinam retineant. Quae quidem quaestio facillime solvitur. Numquam enim in thesi aut in simplici arsi, sed in sola versus caesura vocalem longam inveni. Sunt autem hi loci in versibus hexametris: XX, 88; XXII, 76; XXVI, 333; XXXI, 129, 241; XXXII, 30, 110; App. III, 199: *homó;* XVIII, 170 *religió;* XXXIII, 34 *latró;* XXVII, 462 *conpagó;* XXVIII, 288 *ambitió;* V, 46 *feró;* V, 52 *abstineó;* X, 274 *agó;* XVIII, 278 et XXI, 459 *habeó;* XXVII, 179 *videó;* XXVII, 182 *fió*; XXVII, 331 et XVIII, 291 *teneó;* XIX, 550 *standó;* XXIII, 152 *deponendó*; XXVIII, 313 *tangendó;* XXXII, 60 *immutandó.* Praeterea in caesura trimetri iambici App. II, 70 *benedictió* et in versu Asclepiadeo XXXIII, 55 *videó* exstat[1]).

Denique vocalis ,u' correpta deprehenditur in voce *servitus* (XXV, 149; p. 48, 13; 50, 62), qua aliter poëtae in versu heroico uti non potuerunt. Cetera vero nomina eiusdem generis, ut *salūs*

---

[1]) Mentione dignum videtur non constare de scriptura verbi *audió* XXXII, 144 (cf. infra p. 17). De numerali *duó*, quod III, 1 traditum est, v. p. 47.

(XVIII, 137; XIX, 719; XX, 229; XXI, 28, 402; XXVIII, 122) et *virtūs* (XVIII, 69, 190, 210; XIX, 4; XXVIII 130), longa inveniuntur ultima.

Etiam *tellus,* quod nomen ultimis temporibus attenuari coeptum est (cf. Mueller. p. 422), integram servat ultimam (IX, 22; XXVII, 229).

Priusquam ad leges quantitatis in mediis verbis observatas aggrediamur, exponere libet de priscis ablativis *red* et *prod,* quorum ille nisi in verbis compositis non reperitur.

Iam primis temporibus corripi coeptae sunt hae formae amissa consonante *d.* In nonnullis vero exemplis syllabae *red* consonans in fine servata est. Velut *reddere* etiam apud Paulinum geminata *d* exstat (VI, 303; XII, 7). Cum recte perfecta reduplicata *repperi* (XX, 237; XXVI, 141), *rettuli* (XXI, 645), *reppuli* (XXXII, 219) apud hunc poëtam tradita inveniantur, tempus vero praesens verbi *reperiendi* et producta et correpta prima syllaba legitur, cf. XX, 111 et XXI. 724 *rĕperire;* XVIII, 312 *repperies.* Tum *religiosus* (X, 272; XVIII, 124), *religio* (XVIII, 170; XIX, 175; XXII, 164; XXVII, 637; XXXI, 342), *reliquiae* (XVIII, 126; XX, 83; XXXI, 316) longam primam retinere solent; contra *reliqui* (XX, 176) et *relinquo* (XVII, 1; XX, 80; *rĕlictus* XIX, 62) nobis legentibus non occurrunt nisi servata usitata quantitate.

Ex verbis cum praepositione *pro* compositis, quorum prima syllaba semper et ubique corripitur (cf. Mueller. p. 451), apud Paulinum praesto sunt haec: *prŏfari* (V, 5; XVIII, 377; XIX, 381 al.), *prŏfectus* (XIV, 71; XV, 57, 66 al.), *prŏfectŏ* (V, 19; XXI, 692), *prŏfugus* (VIII, 274; XIX, 493; XXII, 105; XXVII, 620). *prŏcella* (X, 116; XXII, 98). Neque ex iis vocabulis, quorum ‚*pro*' hic illic apud posteriores poëtas producitur, ullum invenies exemplum in Paulini carminibus, quod exhibet *o* longam; v. *prŏfunctus* (II, 6; VI, 299; X, 164; XVI, 157; XXVI, 392; XXVII, 526), *prŏfanus* (VI, 172; X, 272; XV, 116; XVIII, 170; XIX, 107; App. II, 2), *prŏfessus* (X, 140 et XII, 4). Item hic attenuata *o* utitur in substantivis *prŏpaginis* (V, 19; VI, 59, 297 al.) et *prŏfectus* (XXI, 310), quorum hoc a verbo proficiendi derivatur. Verbum autem *profundendi* modo producta, modo correpta syllaba *pro* apud Paulinum invenitur. Legimus enim *prōfundens* (XIV, 68), *prŏfudit* (XXVII, 92), *prŏfusus* (XVIII, 444; XIX, 501; XXI, 134, 644, 822, 831; XXVI, 176), *prōfusi* (XIX, 142; XXXI, 412). Uno loco (XXXII, 102) *prŏmittit* a prima syllaba correpta incipit, alibi vero exstat *prōmisit* (X, 74) et *prōmisso* (XXXII, 157, 231).

Iam cum de quantitate vocalium mediis in verbis positarum acturus sum, primum obiter tangam quam consuetudinem Mueller (p. 432) nonnullis poëtis posterioribus vindicat, qui participium

perfecti *itum* ponunt *i* longa, eam non esse Paulini; recte enim scribit *obĭtus* (XIX, 160; XXVII, 568; XXXI, 188). At *ambītor* in App. III, 84 occurrit, nescio an quod huius carminis auctor supini *ambītum* memor fuerit.

Deinde commemorare liceat Paulinum perfecti temporis participium *excitus* et a verbo *excire* (*excītus* XXI, 560) et *exciere* (*excĭtus* XV, 27; XVII, 131) derivare.

Tum forma *elŭtus*, quam ex Prudent. Peristeph. 5, 362 adfert Mueller, apud Paulinum exstat (XXXIII, 45); contra *ablūtus* longâ syllaba secunda reperitur VI, 304. — Post prima et secunda syllaba verbi *caligandi* corripitur in hoc versu (XVIII, 401):

Comminus et caligare putat; dum respicit ad se[1]).

Nomen autem *cālīgo* plenas servat syllabas (XIX, 16, 33, 422; XXVII, 509 al.). — Denique comparativum *diūtius* (XVI, 115) longa syllaba altera ponit.

Porro in pede altero et quarto trimetri iambici inveniuntur nonnulla verba, de quibus dubitari potest, utrum syllaba, quae est in thesi, sit correpta an leges metricae sint neglectae. Quare de his accuratius disputabimus, si normas, secundum quas Paulinus versus iambicos condiderit, statuemus. Unum autem exemplum iam hoc loco adferre volumus. Nam cum Paulinus bis (XXXI, 618; App. I, 74) nomen *suffrăgiis* loco choriambi posuerit, etiam verbum *suffrăgata* (XXIV, 293) secundam syllabam exhibere brevem colligo. Alibi numquam invenies apud Paulinum syllabam brevem productam in thesi; quod concedendum est in arsi, ut XXXII, 79 *sacrīficiis*.

Sane ad ea, quae modo exposuimus, proxime accedit usus, quem cum grammaticis syncopen dicere solemus. Quem usum etiam Paulinus imitatus est. Iam vero apud eum imprimis ea substantiva leguntur imminuta, in quibus *u* vocalis proprie parasitica est[2]), velut *vinclum* (quod persaepe exstat), *saeclum, periclum, pocla* (XXVI, 348), *piaclis* (XXI, 630).

Accedunt autem deminutiva, quae rarius reperiuntur apud ceteros scriptores, ut *caliclos* (XIX, 416); *vasclis* (XXI, 598; *vascula* b. 595); *nauculam* (XXIV, 247). Contra nomen, quod apud omnes fere solutae orationis scriptores amiserat *i* brevem, *navitam* dico,

---

[1]) Quo versu iam haec I. Huemeri (l. l. p. 11) sententia firmari videtur 'Die bei Prudentius nachgewiesenen Correptionen gestatten einen Rückschluss auf die Stelle bei Ambrosius 1, 18; wir werden *căligo* unter jene Wörter zählen, bei denen in späterer Zeit eine Kürzung eintrat.'

[2]) cf. Lindsay l. l. p. 200 sq.

suam retinet vocalem (XXIV, 113 et al.). Denique Paulinus quoque in participio perfecti verbi *reponendi* breviorem hanc formam XXI, 592 *reposta* adhibuit.

Magna vero libertate usus est hic poëta **nominibus propriis** cum Latinis tum Graecis et Hebraicis.

Cum Ausonio aliisque longa syllaba prima scribit *Pȳrenaei, Pȳrenes* (X, 203; XXI, 399), quae correpta exstat apud Tib. I, 7, 9 et Luc. IV, 83; cum aliorum poëtarum usu *Āpulus* (XIV, 55; XVII, 21; XX, 313) convenit. Deinde leguntur: *Văsatus* (X, 248; *Vāsates* Auson. Par. 24 [26], 8; *Vāsaticus* Auson. Ep. VII, 18); *Vĕsēvi* (XIX, 510) et *Vēsēvi* (XIX, 541; *Vĕsēvo* Verg. Georg. II, 224); *Cănūsino* (XVII, 23; *Cănŭsi* Hor. Serm. I, 5, 91); *Serăpis* (XIX, 100; XXXII, 123; *Serāpis* Mart. IX, 30, 6). Tum verba Graeca metrice notabilia inveniuntur haec: *Manēthon* (XXII, 125; *Μανέϑων*); *Ărăti* (XXII, 125; *Ἄρατος, Ārātus* Ov. Am. I, 15, 16); *azȳma* (XXIV, 6; XXVI, 45; *ἄζυμος*); *allophȳlum* (XXIV, 549; XXVI, 71; *ἀλλόφῡλος*[1]); *idŏlicus* (XXV, 61) et *idŏla* (XXXII, 204 ut apud Iuvenc., Sedul., Prudent.; *εἴδωλον*); *ĕclesia, ēclesia, ecclesia* (XXI, 32; XXIV, 766; XXV, 167, 197; XXVII, 260; XXXII, 145; p. 280, 6; ib. 8; *ĕcl.* XXVII, 54, 572). Quibus addenda sunt verba Hebraica, in quorum quantitatis usu ne sibi ipse quidem constitit. Dicit enim: *Ădam* (V, 34; XXV, 19; XXVII, 608; XXVIII, 323; XXXI, 66, 184, 334) et *Ādam* (XXIII, 308; XXV, 183; XXXII, 158; p. 279, 19); *Dāvid* (V, 84; VI, 166; XXVII, 280; XXXI, 416; XXXII, 6) et *Dăvid* (XX, 44; XXIV, 599); *Īsaias* (VI, 308), *Ēsaias* (XXV, 73), *Ĕsaias* (XXVI, 195); *Ābrāham* (XV, 61, 70; XXVI, 235; XXVII, 218; XXXI, 488), *Ăbrāham* (XXX, 583), *Ābrăhae* (XXIV, 491), *Ābrămiae* (XXIV, 503); *Hērōdes* (XV, 265; XXV, 131; XXXI, 586) et *Herŏdias* (XXV, 113); *părădisus* (XVI, 224; XXVII, 207 al.) et *pārădisus* (XXIV, 772); *Ămālec* (XXVI, 94; XXVII, 619) et *Ămălech* (XXIV, 595); *Chĕrŭbin* (כְּרוּבִים XXVII, 91, 235); *Hierōsolyma* (p. 287, 6; *Ἱεροσόλυμα*); *Alleluiă* (p. 280, 19; cf. Muelleri p. 420).

B. De consonantibus.

De consonantibus eorumque concursu agentes iam dicere possumus severiores leges hac in re Paulinum secutum esse. Quare in eius carminibus nullum vestigium invenimus in *h* littera vim inesse syllabae producendae[2]). In App. III, 224 quidem legitur:

---

[1]) Cf. Hartel, Patrist. Stud. VI, p. 27.

[2]) Cf. Hartel, Sitzungsb. d. k. Akademie d. Wiss. in Wien 1895, p. 4.

Ante deŭs homo est, nunc Deus ex homine.

Sed iam saepius tetigimus miras huius carminis exceptiones.

Deinde ante *z* et *x* consonantes omnibus locis longa exstat syllaba: *Nāzarius* (XXVII, 436; p. 292, 26); *Nāzarenus* (XXIV, 535); *Eleāzar* (XXXI, 584); *Ēzechias* (XXII, 128; XXVI, 167, 176, 182 al.); *Ēzechiel* (XXXI, 313); *Alēxandria* (XIX, 84); *obnōxius* (IV, 52); *supplēx* (X, 12). *Su* vero litteris non est vis producendi syllabas: *malĕsuada* (VI, 69 al.), nisi forte *male suada* scribere praestat.

Tum syllaba, quam medio in verbo collocatam sequuntur duae consonantes, nusquam brevis exstat excepto illo loco *defendant operta* (XXVII, 490), de qua lectione non constat (cf. Hartel. l. l. p. 93). Duae autem consonantes, quarum prior est muta, posterior liquida, syllabam reddunt ancipitem, nisi conveniunt *gm* et *gn*, quibus antecedit syllaba longa. Praeterea verba *arbitrium* (VI, 57, 186; XXI, 490), *meretrix* (XXVI, 132, 143), *genitrix* (VI, 143), ut apud ceteros, ita etiam apud hunc semper ponuntur syllaba brevi ante ‚*tr*' (cf. Mueller., p. 383). Item Muelleri aliorumque sententia natura longam esse primam syllabam verbi *latrandi*, versu 476. carm. XXXI. commendatur (cf. Plaut. Mil. 681 *oblātratricem)*.

Vel in verbis Graecis et Hebraicis syllaba, quam sequitur muta cum liquida, anceps est, cf. *pĕtra* (IX, 52; XV, 42) et *pētra* (IX, 49, 67); *Pĕtrus* (XIV, 66; XIX, 54) et *Pētrus* (XV, 263); *Ābraham* et *Ăbraham* (v. supra p. 12).

Si consonans altera in fine verbi exstat, altera posita est in initio verbi sequentis, omnibus fere locis syllaba, quae antecedit, producitur. Neque enim plures quam tres versus hexametros invenire potui, quibus poëta hanc legem violasse videtur, dico versus XVI, 223 *Reddermĭs qui;* XVIII, 146 *addidĭt iudice;* XXVIII, 122

Nostra salus etenim cruce Christi et in nomine constat.

Sed hic offendor longae vocalis elisione ante syllabam brevem. Quae, quamquam ea hac in sede Paulinus magna utitur libertate, tamen simillimo modo non invenitur adhibita nisi ter: XV, 224 *secreto operire sepulchro;* XXI, 627 *tactu oculoque probaret;* XXXI, 283 *qua sese animalia purgant*. Ab his elisionibus iam vides differre eam, de qua agitur. Nam in versu XV, 224 eadem sequitur vocalis et XXI, 627 verba *tactu oculoque* artissime cohaerent. Tum pronomen *sese* facilius cum verbo sequente per synaloepham coire posse quam alia ultro concedes. Quae dubitatio augetur codicum lectione. Exhibent enim codices *G R Ion. Conu.* 'etenim in'; *A D* 'et in'; *Δ* 'enim'. Iam vero si lectio codicum *G R* fuit in versu, quilibet

concedere debet praepositionem *in* facillime post *etenim* excidere potuisse. Quam, cum nequaquam desiderare possimus, postea, sed non suo loco insertam esse existimo. Cui sententiae obstare videtur praepositionis *in* collocatio in caesura; at hanc aliquotiens apud Paulinum mihi invenisse puto (cf. XX, 167 *medice in;* XVIII, 91 *vim in*[1]). Tum aliis locis *enim* et *etenim* cum hac praepositione vel *in* negativo synaloepha coalescunt (cf. XXXI, 557 *etenim in;* X, 198 *enim inpia;* XXI, 242 *enim inrupto*). Quare legendum esse hunc versum crediderim:

Nostra salus etenim in cruce Christi et nomine constat.

Alter autem versus (XVI, 223) est hic:

(Verane, te, facies? aiunt, tune ille beatus,)
Redderis qui tanto nobis post tempore, Felix?

Etiam hoc loco de duplici consonante ex codicum lectione minime constat. Codices enim optimi *A D Q* exhibent 'heu qui', *G R* 'aeui', ceteri ‚heu'. Vix credi potest librarios inseruisse *heu,* quod facile abesse potest. Contra relativum *qui* propter demonstrativum *ille,* quod antecedit, facillime addi potuit. Quoniam utrumque stare in versu non potest, hoc quam illud delere malo. Quare versum hoc modo restituendum esse puto:

Verane, te, facies? aiunt; tune, ille beatus
Redderis heu tanto nobis post tempore Felix?

Neque in versu XVIII, 146 veram esse lectionem suspicor:

Sed tamen et roseam pater addidit iudice Christo.

Praefero enim lectionem, quam exhibent *G R v* 'indice Christo'. Per se quidem patet bene in hunc locum quadrare lectionem *iudice,* cum munus iudicii conveniat Dei filio. At tamen coronam roseam, h. e. coronam martyrum, non ex iudicio accipit sanctus Felix, qui iam *inventus est sine macula* et *corona nivea,* h. e. corona doctorum, donatus est. Quare defendi posse puto lectionem *indice Christo,* quae iteratur XIX, 326. Lectio autem codicum *A D E Q T* ‚addit' propter *ornavere,* quod antecedit, et *duplicavit,* quod sequitur, minus apta esse videtur. Quare illam, quam supra commemoravi, legem sine exceptione valere crediderim.

Tum muta cum liquida in initio verbi posita solis in his versibus antecedentem brevem producere videtur: XV, 80 sq. *ille caduca Maluit, hic solidá; praesentibus ille cohaesit* et XXVII, 508

[1]) In his versibus praeter penthemimeren etiam hephthemimeres cum trithemimere statui potest.

obsequiā placido. Ex quibus illud *solidā* non vi consonantium sequentium, sed vi caesurae produci mihi persuasum est; nam et alia exempla exstant syllabae productae in caesura (cf. XIX, 190 *amór* ‖ *ideoque;* XXVI, 338 *Mira manús* | *et virga*). Versus autem XXVII, 508 aliquo modo comparari potest cum hoc Vergiliano (Aen. III, 464): *Dona dehinc auro graviá sectoque elephanto* (cf. Mueller. p. 395). Consonantium geminationi non ascribenda videtur vocalis productio his locis *quasi* | *placido* (XVIII, 149); *ubi* | *primum* (XVIII, 169); *videó* ‖ *praesentibus* (XXVII, 169); *ambitió* ‖ *proprii* (XXVIII, 288), quippe cum Paulinus *quasĭ* et *quasī, ubĭ* et *ubī* scribat et nominum aut verborum, quae in *o* exeunt, ultimam syllabam ante caesuram producere soleat. Unde sane concludere licet, non esse Paulini rationem, quam deprehendimus in App. III, 25, quo in versu neutrum pluralis exstat *concrétā frigore.* At Paulinum, quam in arsi omni studio vitavit productionem, eam in thesi sibi permisisse, plane incredibile esse mihi quidem videtur.

Idem notissimam illam legem observavit, cum X, 164 *Sideră spectantes* alia huius generis scribit. Quibus rebus expositis deinceps

2. De vocalium concursu

acturi sumus, quae materia ipsa facile in duas partes dividitur. Nam vocales aut *in uno eodemque vocabulo* positae sunt aut *in binis*, cum altera vocalis exstat in fine, altera in initio proximi verbi. Etsi hoc genus orationis hiantis Latinis ingratius est quam illud, tamen utrumque magna cura evitare studebant cum in oratione soluta tum in carminibus. Primum igitur videamus, quae remedia Paulinus adhibuerit, ut mitigaret aut tolleret durum vocalium concursum

A. in uno eodemque vocabulo.

Remedia, quae Latino ore sunt formata, ne ingrate sonent vocales, quae inter se concurrunt, Mueller (p. 281) his verbis complectitur: ‚Tribus rationibus effecerunt veteres . . . ut tolleretur hiatus . . . vocalem priorem aut corripiendo, si esset longa, aut, si brevis, abiciendo (utrumque apud Graecos reperitur) aut copulando cum proxima.' Deinde triplex genus contractionis distinguit: ‚Aut exempta vocali una producitur altera aut prior mutatur in consonam aut ambae in diphthongum coalescunt. Iam speciem priorem contractionis hoc vocabulo, secundam et tertiam synizesis vel synhaeresis significant nomine' (p. 282).

Iam neminem fugit legem, qua vocalem ante vocalem corripiendam esse praecipitur, ne a poëtis quidem posteriorum temporum, qui magnas licentias metricas sibi permiserant, sperni potuisse, praesertim cum in 'nativa quadam patriae linguae eurythmia et euphonia' (cf. Mueller., p. 279) fundata esset. Fluctuationem vero quandam et inconstantiam huius usus cum optimorum tum posteriorum poëtarum aetate invenire possumus.

Ac primum quidem, quamquam Graeca nomina eximi eaque productam retinere vocalem natura longam ante vocalem optimi poëtae Latini voluerunt (cf. Mueller., p. 285), tamen Paulinus hanc viam non ita tenuit, ut non cum in vocibus Graecis tum in Hebraicis vocalem longam ante vocalem saepe corriperet. Scribit quidem: *āer* (saepe); *Aegēos* (XVII, 19); *Arctōos* (XVII, 17); *Iudāeus, Iudāea* (VI, 163; XV, 91; XXII, 95; XXVI, 46 al.); *spelāea* (XXXII, 113); *aulāea* (XVIII, 45); *Riphāeis* (XVII, 101); *Eōo* (App. II, 76); *Hermīas* (XV, 76, 79, 96 al.); *Andrēas* (XIX, 78, 336 al.); *Alexandrīa* (XIX, 84); *herōus* (X, 16; XVI, 141; XXI, 204); *Sīon* (IX, 3; XXI, 25, 27; al.). At ponit: *Iŏannes* (VI, 7, 58 al.; cf. I. Huemer., p. 12); *Elĭas* (V, 42; *Elīas* VI, 74 al.); *Isrăel, Isrăelitas* (XVII, 163, 166; *Isrāel* XV, 103; XXVI, 236; XXVII, 249); *Abrăham* (XXIV, 491; *Abrāham* XV, 61, 70; XXVI, 236; XXVII, 249); *Gabrĭel* (VI, 108; *Gabrīel* cf. I. Huemer., p. 12); *Marĭam* (VI, 110; 140; 149; XXV, 153; *Marīam* cf. Huemer., p. 12). Contra in verbis Graecis, quae civitate Latina accepta normis patrii sermonis subici solebant, cuius generis sunt *platĕa* et *chorĕa,* producit syllabam paenultimam: *platēa* (XVI, 73; *platĕas* App. IV, 10); *chorēa* (XXI, 83; XXVI, 64).

Deinde verbum Latinum ‚*fio*' secundum usum optimorum poëtarum posuit; quare producit ‚*fī*', ubi non sequitur syllaba ‚*er*' (*fīat* VIII, 20; IX, 33; XXXI, 244; *fīet* XVI, 148; at *fĭeri* VI, 298 al.). Sed a ceteris recedit in usu verborum, quae cum praepositione ‚*prae*' composita sunt. Quae quidem, cum vocalis sequitur, numquam apud optimos poëtas inveniuntur nisi diphthongo praepositionis correpta, neque apud Statium recte legi (Theb. VI, 519): *cum vacuus domino praeiret Arion,* sed gravius latere mendum putat Mueller (p. 286). Apud Paulinum vero invenimus: XXIV, 752 *quasi vinculatis praĕerit;* XXIV, 871 *dum se sequuntur et vicissim praĕeunt.*

Tum in sermone Latino iam inde a primis temporibus consuetudo viguit, secundum quam vocalis *e* declinationis, quam quintam dicere solemus, in genetivo et dativo corripitur, nisi antecedit *i.* Paulinus vero Ennii aliorumque veterum poëtarum usum secutus in *fidei* substantivo *e* vocalem producit (cf. VII, 42; XV, 67, 127, 129; XVI, 45, 125; XX, 24; XXVI, 285; XXXI, 75;

XVII, 167); at brevi quoque ,e' *fidĕi* nobis occurrit (XXI, 429; XXII, 128).

Praeterea, cum paenultimam syllabam genetivorum, qui in *ius* exeunt, apud poëtas multum fluctuasse constet, vix cognosces, utram formam Paulinus praetulerit; nam legitur *istĭus* (XV, 315; XXI, 308; XXIV, 710; XXVIII, 234); *istīus* (XXXI, 19); *illĭus* (XX, 107; XXV, 193; App. IV, 9); *illīus* (XIX, 581; XXI, 251, 467; XXIII, 38, 321); *ipsĭus* (XIX, 406, 608; XX, 13; XXVII, 240); *ipsīus* XXIII, 231; XXVI, 213; XXVII, 635); *unĭus* (XIX, 283); *unīus* (XVII, 321, 322; XXI, 403; XXVII, 72; XXXIII, 103); *nullĭus* (XVI, 91); *alterĭus* (XXXII, 85; App. I, 104).

Deinde *ii* et *iu* vocalium concursum nobis considerantibus imprimis spectanda sunt verba composita, quorum altera pars est *iacere* aut *iugum*.

Atque Paulinus suae aetatis usu, quo *ăbicio*, *ŏbicio* commendabatur [1]), spreto omnibus fere locis ut Vergilius eiusque imitatores brevem primam syllabam compositorum verbi *iaciendi* producit. Quam ob rem legimus: *ōbicis* (X, 204; XI. 5); *ōbice* (XVI, 91; XVIII, 415; XXVIII, 66, 153, 167 [2]). Sed cum anapaestus in quarta trimetri iambici sede raro, dactylus in tertio pede saepe reperiatur (cf. p. 41), hunc, non illum adesse existimo in X, 71, praesertim cum accentu probetur pronuntiatio *non út profánas ábĭcit aút vilés opés.*

Deinde composita, quorum altera pars est *iugum*, diducit. Cuius usus nulla praeter haec invenies exempla: *quadrĭiūgo* (V, 41); *multĭiugus* (XXI, 664; XXVI, 24); *altĭiugus* (XXI, 713); *bĭiuges* (XXVII, 385); *trĭiugus* (XXIII, 126).

Scaenicorum autem usum imitatum esse Paulinum usurpato verbo *audio* disyllabo in hoc versu (XXXII, 143):

> Vestae quas virgines aiunt
> Quinquennis epulas audio portare draconi,

aegre adfirmare audebimus. Huius enim synizesis in ceteris versibus nullum invenitur exemplum — nam *parietibus*, de quo statim agemus, cum hoc verbo conferri non potest — neque alius versus reperitur, qui *o* primae personae productam in sola arsi exhibet. Denique ne sententiae quidem apte convenit *audio;* certe enim hoc verbo aufertur vis et gravitas, cui poëta studet. Quare praeferenda mihi videtur lectio *avido*, quam commendat Zechmeister.

[1]) Cf. M. W. Mather, *Harvard Studies* VI, 83 sqq.

[2]) Hic adiungo participia *deiectus* (XXVII, 305; XXXII, 105 al.) et *proiectus* (XX, 140; XXVI, 317) usitate prima longa poni.

I autem vim consonantis habet et cum *r* liquida coniunctum praecedentem syllabam producit in voce *parietibus* (XXVIII, 215). Versus enim est hic:

nitet extra[1])
Parietibus novitas, latet intus operta vetustas.

Haud inepte hoc loco de verbo *diabolus*, quod invenitur his locis XXXII, 145; XXI, 248; XIX, 528, dicere mihi videor. Quod substantivum, cum XXXII, 145 aequet dactylum — versus est hic:

qui tamen aut non est aut si est d͡iabolus ipse est, —

item XXI, 248

pulsóque régno d͡iăboli é membrís suís

trisyllabum est (cf. *zabulus* XXIV, 597), praesertim cum hoc accentus legibus commendetur. Quattuor autem syllabarum hoc nomen esse videtur in v. XIX, 528

Pertimui, fateor, ne forte diabolus illa.

Iam, quae in versibus Paulini exstent contractionis exempla, videamus.

Atque *cooperire* contractis vocalibus (*coperit* XXIV, 388), *cohors* vero duplici vocali exstat (XX, 109; XXI, 77, 292 al.). Deinde promiscue cum ceteris poëtis scribit Paulinus *prendere* et *prehendere*. Quare legimus *conprendere* (XXXII, 210); *conprehendere* (XXI, 128); *deprensi* (XIV, 30). Tum, cum nullum exemplum correptae praepositionis *de* inveniri possit, Bursiani lectionem XXXII, 137 *Obtulit hanc Soli, per quem deprenderat ante* scripturae codicum praefero *deprehenderat*.

Pro necessitate autem versus ponit et *nihil* et *nil;* illa forma omnibus locis pyrrhichium aequat. *Nihilum* non inveni nisi his locis: VI, 72; X, 115; XXXI, 262; App. III, 183 (bis).

Tum Mueller, quod (p. 297) Paulinum a forma enclitica *mi* pro *mihi* abstinuisse dicit, errat sane. Nam neque X, 142 neque XXVII, 188 dubitari potest, quin recta sit lectio *mi*, cum arsin in versu epico solvere non liceat.

Porro ad similitudinem genetivi *Valeri* (XXI, 223) uno loco (XXI, 397) scribit *soli*, aliis vero locis *solii* (XVIII, 130; XXVII, 377; XXX, 1, 3). Deinde *peculi* adferri debet (XVIII, 280), de quo Beda agit (Gr. Lat. VII, 251 K.).

Denique praeter formas notissimas *di* (XIX, 124; 262), *dis* (XXXII, 52), *idem* (XIX, 268). *isdem* (XIX, 21, 239, 313; XX, 121 al.)

[1]) Cf. Verg. Aen. V, 589; Beda, De art. metr. Gr. Lat. VII, 249 K.

commemorare debeo Paulinum perfecti, quod est *ii,* eiusque compositorum duplicem *i* contraxisse sequente *ss* aut *st*, ceteras formas plenas posuisse correpta *i* priore secundum regulam illam: vocalem ante vocalem esse brevem. Invenies enim *adīsse* (XVI, 197; XIX, 441); *perīsse* (XXIII, 334); *adīsset* (XXI, 418); *adisti* (XXI, 532); contra *adĭi* (XXI, 399); *abĭit* (XVI, 215; XXXI, 176); *interĭit* (XXV, 134; XXVI, 131). Contrahi vero non posse in metro heroico infinitivum *interĭisse*, quem legimus VI, 48, in promptu est.

Quibus iam primum contractionis genus me absolvisse puto.

Deinceps, cum de priore synizesis genere supra nonnulla commemoraverim, hoc loco solum nomen *pituita* adferendum est, de quo agit Mueller (p. 302). Quod verbum invenimus XXIII, 276 hoc modo adhibitum: *Qua pituita gravis, pilus intolerabilis et qua,* ut dubitari possit, utrum priore *i* correpta constet e quattuor syllabis an *u* in consonantem mutata sit trisyllabum. Quod synizesis genus cum in his carminibus non inveniatur nisi in *i* littera, Paulinum potius correptae *i* vocalis licentiam, quam *u* mutatae in consonantem sibi permisisse suspicor, praesertim cum Aelius Stilo testari videatur *i* correptam opinatus *'pituitam' dici, quia 'petat vitam'* (Quint. I, 6, 36). At quaestio, de qua aliter iudicat Lindsay l. l. p. 61, aegre discerni poterit. Tum verba *tenuis* et *reliquus* non inveni nisi trisyllaba. Dixi de verbis Latinis; plura consideranda sunt nomina Graeca et Hebraica.

Cum apud Paulinum semper *iambus* vox a vocali incipiat (X, 15; XXI, 103), eodem modo in fine versus XIX, 623 synhaeresi adhibita legendum esse censeo *Hellade ïota est.*

Deinde primam nominis proprii *Iesus* litteram esse vocalem constat (cf. XXII, 61; XXVI, 119, 247; XXVII, 419; XXV, 151; XXXI, 425, 553; p. 289, 21); qua de causa non dubitabimus, quin idem nomen XXVII, 519 *(nomine Iesum)* et XXIV, 471 *(super omne Iesum)* trium sit syllabarum, eoque minus, quod nihil obstat synhaeresi et omnibus locis exstat *Ïacob* (XV, 93; XVII, 148; XXVII, 246, 620) et *Ïob* (XXVIII, 25).

Tum, cum his in vocibus viderimus, Paulinum abhorrere a synizesi, etiam nomen *Iohannes,* quod ubique in exeunte versu ponitur, diductis vocalibus pronuntiandum esse statuemus, quod indicare videntur verba, quae huic nomini anteponuntur. Praecedunt enim plurimis locis voces, quae arte cum eo cohaerent: *sancte Iohannes*[1]) (VI, 303), *alme Iohannes* (VI, 315), *baptista Iohannes* (XXVII, 411; cf. infra p. 27). Cui nomini simillimum est *callida*

[1]) Apud alios poëtas: *Iŏhannes.*

Iudith (XXVI 163); *inclita Iudith* (XXVIII, 26). Synizesis semper invenitur in verbo *Iudaeus* (VI, 163; IX, 2; XXII, 95; XXVI, 37, 46).

Sed aliter res se habet in nominibus *Ionas, Ioseph, Iordanis*. Verbum primo loco prolatum in c. XXIV quater reperitur in trim. 195 et 169:

Et sicut olim iussa Ionan obvio,
Ionas ut olim ventre navis abditus,

et in dim. 210 et 240:

Recurrere ad Ionan libet,
Oportet ad Ionan meum.

Nequaquam in his versibus *I* vocalem statuere licet. Nam *o* vocalem esse longam versu, quem primo loco posuimus, docemur. Sed etsi *o* vocalem correptam statuere liceret, pronuntiationi:

Oportĕt ăd Ĭonan meum,
Recurrĕre ăd Ĭonan libet

graviter obstarent leges accentus, quas diligenter observavit Paulinus (cf. p. 42). Tum *Iōseph* prima littera vocali legitur XIX, 100 et XXVII, 624; idem valere videtur de XXIV, 741 *(ille Ioseph)*. At duarum syllabarum probabiliter est in XXIV, 192 *(Ioséph furentem)*. Nomen, quod tertium attulimus, *Iordanis*, quia duobus locis (VI, 26: *Perge igitur sanctus puri Iordanis ad undas* et XXVII, 48: *Iordanis trepidans lavit tinguente Ioanne*) permissa synizesi occurrit, eodem modo in XXVII, 519 *(Quo duce Iordanis . .)* pronuntiem.

In mediis quoque verbis vocales Paulinus saepius diducit quam contrahit. Scribit enim: *Moséïa* (XXVI, 356); *Saül* (XXIV, 5?9); *Cāïn* (XVII, 234); *Cybeléïa* (XIX, 87); *Archelaïs* (XVI, 265) et optimorum poëtarum exemplo (cf. Mueller., p. 309) *Süerius* (XXI, 62). Neque tamen omnino contractionem sprevit, ut XXVI, 195 *Esaīae* in exeunte versu positum.

Denique ad tertiam contractionis rationem transeamus, cuius complura exempla iam proposuimus.

Primam diphthongum *ei* consideremus. Duobus solis locis XXVII, 45 et 424 diductis vocalibus reperitur *deinde;* plurimis vero locis (VI, 117; XV, 354; XVI, 19; XIX, 217; XX, 323) secundum pristinum sermonem vocales in diphthongum coalescunt. Quem sermonis usum etiam in verborum Graecorum genetivo, qui in *ei* exit, observat (XXII, 45 *Promethei*).

Eandem contractionem in verbis Latinis permissam esse invenimus; nam loco iambi *diei* (V, 72; XIV, 67) et *fidei* (XXIV, 455, 680) posita sunt.

Quoniam de dativo pronominum *cui* et *huic* supra (in p. 6) disputavimus, hoc loco considerandi esse videntur soli genetivi *eius*,

huius, cuius. Qui omnibus locis trochaeum efficiunt. Dativus vero *ei*, quamquam plurimis locis adhibetur monosyllabus, tamen iambi loco ponitur XVIII, 56; XIX, 341; XX, 365; XXV, 148.

Tum quaeritur, utrum ablativus singularis generis feminini *eādem* (XV, 334; XIX, 115; XX, 331; XXIII, 304; p. 279, 16) per synizesim an *a* correpta pronuntiandus sit. Brevis quidem exstat *a* in praepositione *causa* XXXII, 44 et 116; nequaquam vero hac re nisus hanc rem solvere audeam. Interest enim inter praepositionem, cuius vim et rationem sane *causa* accepit, et inter ablativum, qui in exemplis velut XV, 334 *Nócte eādém* exstat. Adde quod in carmine XXXII complures inveniuntur licentiae, quas aliis in carminibus frustra requires. Quare a Muelleri parte stare malo, qui dissyllabum hoc pronomen pronuntiandum esse putat (p. 323). Eadem ratione *posteā* (XXIV, 587) cum synizesi lego coniecturas *post et* vel *posthac* non necessarias esse ratus.

Haec fere sunt, quae de hiatu dicenda sunt, qui mediis in singulis verbis est; iam ad vocalium concursum transeamus, qui fit in fine et in initio insequentium verborum sive

B. in binis vocabulis.

Hac in parte duo nobis observanda sunt. Diversa enim est ratio tollendi vitium hiatus pro diversitate cum vocalium, quae inter se concurrunt, tum metrorum, quae elisionem, ut grammaticos secuti minus recte dicere solemus, aut excludunt aut permittunt. At per se patet duas has vitandi hiatus rationes non ita posse discerni, ut altera possit absolvi nullo respectu habito alterius. Quare ad numeros saepe nobis erit recurrendum, ubi de sono et quantitate vocalium, quae sese excipiunt, sermo erit.

Primum, ut generatim elisionum frequentiam et usum, qui invenitur in huius poëtae versibus, cognoscas, hoc loco componam numeros, quos ex aliis poëtis adfert Mueller (p. 336), cum numeris, quos ex his carminibus enucleavi. Inveniuntur igitur elisiones

apud	in versibus	syllabae longae	mediae	brevis
Vergil.:	756	85	97	173
Ovid.:	779	8	23	129
Claudian.:	1006	2	11	46
Paulin.:	6720	325	313	933

Ex quibus numeris liquet rarius quidem apud Paulinum admitti synaloepham, quam apud Vergilium — nam apud hunc longa in IX., media in VIII., brevis in IV. fere quoque versu eliditur, apud illum autem longa in XXI., media in XXI., brevis in VII. quoque versu -- neque vero eum adsequi Ovidium.

a. De verbis syllabisque quibusdam in universum disputatio.

Quibus praemissis si ad verba syllabasque elisas convertimur, duplex Paulini ratio in verbis Hebraicis, quae in *m* exeunt, spectatur. Quibus in verbis hiatum semel removet elisione, semel sibi concedit in duobus his versibus:

IX, 39 Esto memor tum prolis Edom, ut versa vice nostrum;
IX, 41 Moenibus aeternis Hierusalem habitabit.

Neque enim credo syllabam *em* alterius versus niti in *h* sequentis verbi, cum alibi nulla vestigia *h* consonantis inveniamus (cf. Hartel. l. l. p. 4).

Deinde verba **monosyllaba** XLII in elisione posita sunt in versu heroico, XIV in versu iambico. Quorum verborum synaloepha severis legibus continetur. Namque verba monosyllaba elisione cum sequente syllaba brevi coalescere non passus est nisi indeclinabilia aut flexione formata a legitimo modo aliena, id quod optimi poëtae observabant (cf. Mueller., p. 339). Ceterum verba monosyllaba, quae legitimis casuum syllabis terminantur, ne in longa quidem saepius eliduntur, quam in his verbis: XIX, 516 *(quem et Nola)*; XXI, 775 *(rem esse)*; XXVII, 137 *(quem et sine)*; 331 *(in quo hactenus)*; XVI, 212 *(quem in corpore)*; XVIII, 91 *(vim in vita)*; XXIV, 71 *(quo abrupta)*; XXIV, 77 *(quae ad dehiscentem)*; XXIV, 639 *(quae ante)*. Quare reiciemus coniecturam, quam Zechmeister proposuit ad XXIV, 615, qui loco lectionis, quam exhibent libri manu scripti:

Eius potentes mille serpentem dolis,

commendat *vi eius potentes*. Quam coniecturam eo magis spernemus, quod in prima metri iambici thesi haec sola duo monosyllaba: *Nam et liberorum* (XXI, 262) et *Quo abrupta* (XXIV, 71) inveniuntur in elisione et lectio tradita facile explicari potest (cf. Hartel. l. l. p. 31).

Uno solo loco verbum monosyllabum, quod pondere, si cum Muellero dicere licet, logico est insigne, non in unum confluit cum voce sequente. Est autem versus hic (XXXII, 145):

Qui tamen aut non est, aut si est diabolus ipse est.

Tum in verbis **iambicis** posteriorem syllabam poëtae Latini non elidebant in syllaba, verbi accentu praedita, sed vocalem ante vocalem positam aut corripiebant aut integram admittebant. Paulinus ter quidem hanc legem migravit in iambis, quod genus sane ad sermonem vulgarem proxime accedit (XXI, 214 *novi órtus gloria;* 266 *in suó sinu ábditos;* App. II, 29 *sui éicit).* In hexametro autem ceterisque numeris non solum hanc legem non violavit, sed etiam in syllabis, in quas non cadit verbi accentus, iambicarum vocum elisionem raro sibi permisit; cuius rei haec exempla repperi: *chori Álbina est* XXI, 281; *tui éxcitis* XXI, 560; *tuo áccedens* XVII, 15; *diu éxanimes* XXII, 144; *diu íncertum* XXXII, 153; *rapi ádmotumque* XXIII, 85; *deo ínsignis* XVI, 128; *dei árgentum* XXV, 97; *manu ádventasse* XXVII, 186; *manu ádversis* XXVIII, 117; *pia óblato* XV, 293; *sui ámplexusque* XV, 308; *meo íngenio* XVIII, 66; *mei áccusabo* XVIII, 269; *novo éxcitos* XXI, 731; *freto émenso* XVII, 189.

Haud raro verba iambica cum vocibus monosyllabis in unum coeunt; sunt autem monosyllaba haec: *et* (VI, 25 *dei ét;* XVIII, 203, 251, 386; XIX, 730; XX, 89, 128, 204; XXI, 23; XXII, 135; XXIII, 21, 116; XXVII, 325, 469, 555); *ut* (XIV, 121; XV, 228; XX, 70; XXI, 282, 512; XXII, 134; XXIII, 251; XXIV, 680; XXVI, 72, 261; XXVII, 188, 198); *his* (XXVII, 221 *poli his).* Hoc non omitti licet hanc verborum iambicorum synaloepham ad secundam, tertiam, quartam arsin restringi, in tertia et quarta non permitti nisi sequente caesura.

Denique Vergilii ceterorumque poëtarum usum secutus Paulinus iambicas voces in caesura interdum posuit integra ultima ante vocalem; quod invenimus in his versibus:

XIX, 730 In cruce nixa, fide || et de cruce nancta coronam;
XXXII, 36 Quos quaesita diu || animae substantia turbat;
XXXII, 54 His deus ⟨est⟩ uxorque dei, || ipsamque sororem;
XXXII, 202 Hic dominus de corde dei, || hic spiritus oris.

Quibus spectatis non necessaria esse videtur coniectura, quam, ut removeatur hiatus (XXXI, 124), dubitanter utique proponit Hartelius: *Et virtute dei (iam) ambulat aequor homo.* Cui coniecturae etiam obstat elisio in arsi quarta pentametri, quae in ceteris versibus non exstat.

Neque eam lectionem rectam esse puto, qua idem vir doctissimus (p. 88) sanare studet v. XXI, 785, quem exhibent libri manu scripti talem:

quo totiens aquae possessor egere solebas;

ubi legendum esse censet Hartelius: ‚*q. t. (tuae) aquae*‘. At ‚*tuae*‘, quamquam sententiae optime convenit, legibus synaloephes, quas

hic poëta secutus est, non respondet. Nam etsi similis elisio deprehenditur in App. III, 160, tamen mihi constat hoc carmen minime normam esse posse, secundum quam Paulini versus emendemus. Quare, cum Muratori quoque coniectura *,undae'* non veri similis sit (cf. Hartel. p. 89), praetulerim id, quod speciminis causa E. Hauler proposuit:

quo totiens ⟨vel⟩ aquae possessor egere solebas.

Tum in his carminibus molesta **creticorum** verborum elisio prorsus ab hexametro excluditur, in iambico autem metro, ubi exstat, artis circumscribitur finibus.

Nam ne unum quidem exemplum inveni cretici verbi elisi in syllaba, in quam incidit accentus acutus; cum syllabis vero, quibus deest accentus, haec exempla coalescunt: *spiritu affectu* (XXI, 271); *nautico erraret pede* (XXIV, 320); *lubrico infortunio* (App. II, 13). Deinde synaloepha, quam in iambicis quidem verbis cum monosyllabis acutis haud raro sibi concessit, in creticis vocibus non usus est nisi his locis: XXI, 208 *(saeculo in)*; XXI, 248 *(diaboli e)*; XXIV, 477 *(purpurae et)*. Sola vero arsis quarta, in qua aliis saepius inveniri synaloephen cognoscemus, elisas voces creticas exhibet.

Deinde verba, quae in **anapaestum** exeunt, maiore quidem elisionis libertate fruuntur, sed haud nullis legibus coercentur. Raro enim coniunguntur cum syllaba accentu acuto praedita (X, 121 *trifido igne*; XVI, 261 *licito utile*; XXVIII, 158 *propriā ipse*; XXXI, 5 *spatio aevi*) neque alio loco atque in arsi secunda (X, 121) aut caesuram sequente (XVI, 261; XXVIII, 158; XXXI, 5), quae ubique vel duriori elisioni patet. Quod idem dicendum est de horum verborum elisione in syllaba, cui non est accentus. Coniunguntur enim cum arsi secunda haec verba: *principio extremoque* (V, 3); *insolito exortu* ‖ (VI, 201); *populi adstiterunt* ‖ (VIII, 2); *perfidiae addictis* ‖ (XV, 92); *invidiā effectus* ‖ (XV, 128); *corporei excludit* ‖ (XV, 213); *ideo occulti* ‖ (XVIII, 294); *domino exorans* ‖ (XXI, 673); *facili eloquio* ‖ (XXI, 674); *domini ipsius* ‖ (XXIII, 231); *pretio ambiri* ‖ (XXV, 100); *subito exciti* ‖ (XXVIII, 93); cum arsi tertia: ‖ *solito adductum* ‖ (XXIII, 153); ‖ *gremio exceptum* ‖ (XXXI, 583); *navigio Ausonias* ‖ (XXXII, 73); cum arsi quarta: ‖ *reditu expertas* ‖ (XVIII, 387); ‖ *merito officioque* (XIX, 287). Ceteris vero locis — sunt XXX fere — anapaestum sequitur vox monosyllaba, quacum verba iambica haud raro coalescere supra exposuimus.

Quoniam verba anapaestica tam arte adiungi ad iambicorum numerorum rationem vidimus, non mirabimur ea secundum horum usum etiam integra extrema vocali poni ante vocalem; quod fit in caesura:

V, 52 si scelere abstineo || errori obnoxius et si;
XXXII, 44 illud ut auxilii || hoc esset causa bibendi.

Neque dubitabimus, quin recte se habeat lectio, quam proponit Hartelius ad versum X, 250 (p. 11):

Raraunum Ausonia || heu devenisse curules,

ubi VNn exhibent *Ausonias*, BO *Ausonia seu*.

Tum in verbis **spondiacis** Paulinum eorum usum plerumque secutum esse cognoscimus, qui harum vocum elisionem in brevi syllaba non admiserunt nisi in thesi prima. Sed sunt inprimis verba diuturna consuetudine trita, quae hac in sede imminuuntur. Exempla autem sunt haec: *extra hominum* (X, 226); *quare ades* (XV, 50); *quare opifex* (XXXI, 97); *quare age* (48, 1); *nostro opere* (XXI, 575); *gaude igitur* (XXI, 822); *quare inopi* (XXVII, 198); *frustrā in oves* (XIX, 236, cf. p. 5). In quarta quoque thesi duo reperiuntur spondei elisi in brevi, dico: *tactu oculoque* (XXI, 627) et *sese animalia* (XXXI, 283). At has licentias cum ob artam vocum coniunctionem et similitudinem vocalium, tum ob ipsum pronomen *sese* facile excusabimus. Lectionem autem *Christi et in nomine* (XXVIII, 122) mihi suspectam esse supra (p. 13) innui.

Praeterea adferri debet elisio praepositionis *intrā* in thesi altera versus XV, 90 *(intra uterum)* et vocis *sollemni* in versu VI, 326 (' *sollemni hominum* ||). Sed illam propter inclinationem praepositionis ad suum nomen, hanc propter caesuram antecedentem non graviter feremus.

Hoc loco non omittam verbum spondiacum bis in caesura exhiberi imminutum ante vocalem his in versibus:

XXXII, 13 cum duce qui mergi || infestos vidit equestres;
ibid. 15 Manna cui e caelo || et fons de rupe cucurrit.

Iam saepius cognovimus Paulinum maiore cum libertate carmina iambica condere. Eadem deprehenditur in spondiacorum verborum synaloephe. Tribus enim locis trimetri iambici in sede secunda, tertia, quinta voces spondiacas cum sequente brevi coalescere passus est et, licet versuum numerus multo minor sit, tamen tot fere verba spondiaca minuta exstant in iambis, quot in hexametris. Eliduntur enim in syllaba brevi tertia: *nexi ad invicem* (XXIV, 13); *Christo et illis* (XXIV, 522); in brevi quinta: *alto in Abrahae* (XXIV, 491). Quare non ob taedium elidendae vocis spondiacae, sed ob verborum oppositionem et paronomasiam excusari hiatum hoc in versu (XXIV, 222) puto:

exul soli, hospes sali [1])

[1]) cf. Hartel. p. 25.

Denique Paulinus, quamquam verba trochaica et dactylica, quae in *m* exeunt, plerumque in thesi prima et quarta brevi hexametri elisit, tamen non omnino vitavit eorum synaloephen in aliis numerorum partibus.

Restat, ut adferam reliquos versus, in quibus exstat hiatus Certe minime offendendum, si interiectiones cum sequente vocali non coniunguntur, id quod fit:

VI, 276: O pater, o hominum rerumque aeterne creator;
App. II, 51: Salve, o Apollo vere, Paean inclite.

At mendum latere in versu XIX, 364 opineris, qui ita in codicibus exstat:

dives et in minimis; nam hoc quoque sumpsimus istic.

Versum sanare sibi visus est Muratorius proposita lectione *nos;* sed quamquam haec coniectura ex re palaeographica probabilitate non caret, tamen intellegere non possum, quid *nos* sibi velit, quod sane superfluum mihi videtur esse. At de monosyllabis non elisis aut longis aut brevibus, quae *m* littera terminantur cf. Groeberi disputationem in *Comment. Woelfflin.* p. 173, Leonem in *Stud. Plaut.* p. 306 sq., Haulerum in Dziatzkonis tertia *Phormionis* editione p. 56.

Idem valet de hiatu, quem libri manuscripti exhibent in hoc versu (XXI, 650):

omnibus exstructis, operum quae arte videntur;

qui versus iteratur post versum 703 eiusdem carminis politior et correctior:

omnibus instructis, operum quae multa videntur.

Deinde XVI, 141, quem versum Hartelius recepit ita:

causa fuit, neque herois virtutibus ista,

codices exhibent:

causa fuit neque vero suis virtutibus ista.

Vitavit illum hiatum idem vir doctus hac lectione proposita (l. l. p. 58):

causa nec herois vires virtutibus istas.

Quibus allatis facile concedes non ab eodem poëta composita esse posse haec:

App. III, 5 corporis ignote || oculis, vix cognite menti;
App. IV, 24 et tandem finem || his, pie, pone malis.

b. De hexametri elisionibus peculiaria.

Alias leges synaloephes e numerorum normis prodire supra diximus. Quas iam accuratius perscrutemur et primum de **extremis hexametri partibus** agamus.

Synaloephae rationes, quas plurimi poëtae, qui ab Ennii temporibus floruerunt, in pede 5. et 6. hexametri secuti sunt, maxima cum cura collegit Eskuchius[1]).

Qui vir doctus quattuor has elisionis formas distinguit:

– el. ⏑⏑–⏓; –⏑ el. ⏑–⏓; –⏑⏑ el. –⏓; –⏑⏑– el. ⏓.

Quarum ultimam, quae raro invenitur in carminibus Latinis, frustra quaeres in his versibus. Solum enim verbum *est (es)* hic illic in fine versus cum antecedente vocabulo, quod sive vocali sive *m* terminatur, confluit; at tamen hoc iniuria elisionibus adnumeratur.

In sexta autem arsi Paulinus elisionem duodecies posuit; neque tamen ea utitur nisi in syllabis aut brevibus aut mediis verborum usu tritorum, quae ea de causa ad synaloephen recipiendam reliquis proniores sunt. Invenies autem haec exempla: *etiam oris* (XVI, 12); *etiam urbs sit* (XVIII, 168); *modo orta* (XVIII, 456); *sine usu* (XIX, 464; XXI, 800); *prope ipsos* (XXI, 509); *efficere omnes* (XXI, 535); *bibere undam* (XXI, 689); *decidere et cum* (XXII, 140); *ero impar* (XXVII, 297); *vetera aeque* (XXVIII, 218). Quibus adnumeramus illud *interea illic* (XIX, 275), de quo supra (p. 4) disputavimus.

Elisio autem in thesis quintae syllaba prima his locis exstat (cf. p. 19): VI, 7 *fonte Iohannem;* 58 *esse Iohannem;* 144 *materna Iohannes;* 169 *ore Iohannes;* 191 *scribitque Iohannem;* 268 *mente Iohannes;* 303 *sancte Iohannes;* 315 *alme Iohannes;* 327 *praeferre Iohanni;* XII, 34 *patiere et amabis;* XV, 24 *nostră abolente;* 143 *posse aboleri;* XVI, 139 *magna Hierico;* XIX, 26 *maiorem ibi morbus;* 78 *Ephesoque Iohannem;* 95 *Diană Iohanne;* XX, 245 *atque Iohannes;* XXII, 53 *ulteriora Iohannes;* XXIII, 64 *ante agitati;* XXVII, 48 *tinguente Iohanne;* XXVII, 87 *cuncta in eodem;* 411 *baptista Iohannes;* XXVIII, 105 *únde etenim vis;* 230 *retro actă abolere;* XXXI, 445 *fine ut ameris;* XXXIII, 98 *ambo et idem quae.*

In syllaba altera: V, 61 *tempore eodem;* 141 *tempore in omni;* VIII, 21 *pectore in uno;* X, 119 *aspice et ora;* 223 *Birbilim acutis;* 232 *Barcino amoena;* 330 *divite amici;* XII, 38 *munere in isto;* XIII, 11 *nomine et idem;* XVI, 172 *numine agebat;* 226 *corpore adesse;* XVIII, 63 *dignatio et istic;* 85 *tempore ab illo;* 226 *pignora et ipsos;* XIX 32 *intendere ad ipsos;* 379 *munera in ipso;* XX, 13 *ut quidem et ante;* 344 *tuguri fore aperta;* XXI, 11 *vertere in ipsos;* 94 *corpore et ore;* 396 *arbore ab illa;* 480 *et modo in ipsis;* 492 *et modo in ista;* 493 *quem mihi abundat;* 561 *nos tibi amore;* 718 *munere habendas;*

---

[1]) In disputatione, quam inscripsit: 'Die Elisionen in den zwei letzten Füssen des lateinischen Hexameters, von Ennius bis Walahfridus Strabo' in Musei Rhenani vol. XLV (1890), p. 236 et 385 sqq.

784 *tempore in ipso;* XXIII, 2 *lumine et ipsa;* XXV, 135 *ulcere obiret;* XXVI, 162 *callida Iudith* (p. 20); XXVII, 285 *et cruce amarus;* 518 *nomine Iesus;* 601 *ambigo amari;* XXVIII, 26 *inclita Iudith;* 73 *fateor, mihi id ipsum;* 111 *limina et inde;* XXXI, 1 *nomine avito;* 57 *corpore in uno;* 131 *nomine eodem.* App. III, 91: *tempore in omni;* 111 *pectore et ore.*

His subiciam Eskuchii tabulam, ex qua Paulini ratio cum eius aequalium ratione apte comparari possit; sed cum in syllaba hexametri extrema vocalium concursus non admittatur nisi in verbis *es, est,* hanc syllabam non respiciemus.

Forma I. (– el. ⏑⏑–⏑).

Elidit	in versuum numero	syll. breves	longas	medias	
Iuvencus	3218	2	—	—	2
Avienus	3272	25	Perieg. 908: *Hyrcani Apyrique*	Arat. 28: *rerum opifex hic;* 1619: *partem in utramque;* Perieg. 921: *sanguinem equinum.*	29
Reposianus	182	1	—	—	1
Ausonius	3497	19	6 (7?)	1	26 (27?)
Prudentius	5145	12	—	—	12
C. de figuris	186	2	3	—	5
Claudianus	9309	2	—	—	2
Paulinus	7620	23	—	—	23

Forma II. (–⏑ el. ⏑–⏑).

Elidit	in versuum numero	syll. breves	longas	medias	
Iuvencus	eodem, quo supra	14	—	—	14
Avienus		58	Arat. 214: *intimo abusque* + 7	3	69
Reposianus		7	—	—	7
Ausonius		43	Epigr. 71, 9: *dixi ego et omnes*	—	44
Prudentius		87	Apoth. 800: *imitatio in umbra est;* Contra Symm. 368: *observatio inhaeres.*	Ditt. 13, 3: *gurgitem in istum?*	89 (90?)
C. de fig.		7	37 *desino in uno;* 40 *communio uti sit;* 128 *libera in urbe*	—	10
Claudianus		—	—	—	—
Paulinus		35	—	X, 223: *Birbilim acutis;* XX, 13: *ut quidem et ante.*	37

Forma III. (– ◡ ◡ el. – ◡).

Elidit	in versuum numero	syll. breves	longas	medias	
Iuvencus	eodem, quo supra	—	—	—	—
Avienus		1	—	—	1
Reposianus		—	—	—	—
Ausonius		9	5	1	15
Prudentius		5	—	—	5
C. de fig.		3	18; 24; 29; 34; 90; 127; 152; 158; 185	6; 7; 93	15
Paulinus		10	? XIX, 275 *(interea illic)*	—	10 + 1?

Praeterea in **arsi prima** elisionem, quam utpote duriorem poëtae optimi vitabant, in Paulini carminibus non saepius invenies quam in Vergili (Buc. III, 48; Catalept. I, 4), dico XXI, 608 *(cum ossiculis)* et XXVII, 137 *(quam et sine);* nam corruptior est lectio versus XIX, 624, quam ut huc pro certo referri possit *tau inde* (Hartel; tau indem *codd. AD,* taut idem *E*).

Deinde supra (p. 22) attuli versus, qui in **thesi prima** syllabam longam ante brevem elisam exhibent; accedit unus hexameter (X, 189), in quo monosyllabum cum sequente vocali brevi coniungitur *(ne me igitur).* Saepius vero quam CC^ies^ brevis cum brevi coalescit et L^ies^ fere brevis cum longa. Similis quoque ratio est syllabarum, quae in *,m'* exeunt; quarum L fere eliduntur in brevi, XIV in longa.

Tum elisio saepissime invenitur in **arsi secunda.** Qua in sede circiter LXX^ies^ longa, XC^ies^ media, CXXX^ies^ brevis cum proxima vocali confunditur.

Minus quidem frequenter exstat elisio in **thesi quarta;** Cies fere breves et mediae cum longa syllaba synaloephe cohaerent. Magna vero cum cura Paulinus syllabam brevem cum brevi coniungit in hac sede. Duobus enim locis exceptis (XVIII, 223: *aratra aliena;* XIX, 154: *Delphinum Aquitania),* quorum alter *a* vocali iterata, alter nominibus propriis excusatur, alias voces duarum pluriumve syllabarum cum brevi syllaba antecedente in unum coire passus non est, at monosyllaba haec vocabula: XV, 328: *commune ad ovile;* XVI, 221: *agnoscere et ante;* XIX, 20: *par gratia et aemula;* XXI, 13: *formidine ut imbribus;* XXV, 119: *meruit nisi ab ilice;* XXVII, 151: *sanctorum ut amore;* XXVIII, 46: *incumbere et inde;* 95: *lucere ut aperta.* Syllabas autem longas LXXIV^ies^ cum longis, tres cum brevibus (cf. supra p. 25) confundit.

In **arsi** autem **quarta** elisionum numerus minuitur. Haud enim plures quam XXXV versus exhibent longam vocalem ante vocalem arsis quartae positam, duplex fere numerus — LXII numeravi — brevem, XLVI syllabam mediam. Si vero post arsin quartam incidit caesura, haud raro ex more optimorum poëtarum Paulinus in hac sede aeque atque in caesura semiquinaria ponit monosyllaba, quae, cum sententia pertineant ad ea, quae caesuram sequuntur, propter accentus normas cum antecedentibus synaloepha conectit. Iambicarum quoque et spondiacarum vocum hac condicione sibi permisit coniunctionem cum *‚et'*, *‚ut'*, similibus voculis (cf. supra p. 23).

Porro minus gratam esse synaloepham, quae exstat in ipsa **caesura**, cum natura sua inter se discrepent elisio et caesura, per se patet. Quam elisionem Paulinus non sine consilio in his versibus sibi permisisse videtur, ut vel numeris adiuvaret sententiam:

VIII, 1: Cur gentes fremuere et inania cur meditati
sunt populi?
XX, 354: quosve pedes, tam longe ut posset currere, sumpsit?
XXVI, 416: illam etiam virtutem arcendis indue bellis.
XXXI, 533: quis mihi det pretiosum alabastro fundere nardum
et domini sacros flendo lavare pedes?
VI, 313: diriget hic quae prava et leniet aspera dura.

Deinde facilius ferri synaloepham propter sententiae intermissionem, quae antecedit aut in caesuram incidit, existimo in his versibus:

XIV, 85: hospitibus. Sic, Nola, adsurgis imagine Romae.
XV, 200: carnificum, diversa at non leviore ferebat.
XVIII, 345: membra dolent, iuvat ipsa iniuria; nec situs horret.
XXVIII, 202: et spatii cepere et luminis incrementa.

Quare durior relinquitur hic versus:

XXVI, 361: in Christo Felicem agere insignique potentem.

In caesura autem semiseptenaria elisio non occurrit nisi encliticae *‚que'* (cf. XVIII, 212); quam, quod non synaloepha conecti cum sequente vocali, sed suam vocalem amittere docent viri docti (velut Mueller p. 332), aliis locis non respeximus.

Deinde ne in thesi quidem, quae sequitur caesuram, synaloephe placuit Paulino; quam ob causam longa vocalis non eliditur nisi XXVIII, 56 *(quae exstructis)*; XXXII, 38 *(de anima)*; XVIII, 289 *(te ipsum* cf. Hartel. p. 63), brevis vero: XVIII, 452 *(tibi adhuc)*; XXII, 108 *(mare et astra)*.

Item a **quinta arsi** arcetur vocalis longa ante vocalem posita; quod tamen potius permitti videtur post incisionem semiseptenariam quam post semiquinariam. Nam paulo saepius illam quam hanc sequitur longa in hac arsi elisa. Invenitur enim synaloephe in

quinta arsi post caesuram penthemimeren: XII, 20 *(tanto aequore ponti)*; XXIII, 175 *(liquido interfuso)*; XXVII, 331 *(in quo hactenus aeger)*; post hephthemimeren: X, 316 *(ne me ultimus)*; XVI, 261 *(licito utile praefert)*; XXXII, 67 *(primo ordine ponunt)*; XXXII, 204 *(si qui idola vitat)*. Neque vocales breves aut mediae saepius quam XL[ies] hoc loco cum vocali concurrunt, quarum elisionum haud exigua pars exstat post caesuram semiseptenariam.

Ingratus vero est concursus vocalis longae cum brevi in **thesi quinta**; qua de causa Paulinus eum omnino vitavit. Brevis autem vocalis XLVI[ies] cum proxima syllaba in unam coit.

Tum quaelibet elisio durior in his carminibus abest a **thesi, quae incisioni semiquinariae antecedit.** Raro igitur syllaba media exstat ante vocalem et ne brevium quidem alia atque *i* et *e* vel *a* sequente *a* (XV, 173 *astra animo)*. Quam ob rem non mirum est longam vocalem non inveniri in elisione nisi bis in his versibus:

XXVII, 83: et naturae opifex deus omnis et artis, in omni.
ibid. 440: quamvis sancti omnes toto simul orbe per unum.

Unde probabilitate carere existimo coniecturam, quam supra tetigimus (p. 23):

XXI, 785: quo totiens ⟨tuae⟩ aquae possessor egere solebas.

Iam consideremus reliquam versus heroici **partem**, quae caesura semiseptenaria adhibita media exstat **inter semipedem secundum et arsin tertiam.**

Atque primum hoc loco commemorandum est in arsi secunda admitti elisiones verborum iambicorum et anapaesticorum, quae excepta arsi quarta aliis locis non inveniuntur.

Tum in thesi secunda magna cura hic arcet synaloephen, ita ut solos duos versus V, 34 et X, 197 invenire potuerim, in quibus enclitica *que* suam vocalem ante vocalem amittit.

Porro in versibus, qui caesuram trithemimeren et hephthemimeren sine caesura muliebri in pede tertio exhibent, usitata est synaloephe in arsi tertia, nisi forte unum verbum occupat totum spatium, quod est inter has caesuras. Deinde thesis, quae proxime antecedit incisioni metricae, qualibet duriore elisione libera est aeque ac thesis ante caesuram semiquinariam posita. Haud raro autem (circiter XL[ies]) *ĕ* et *ĭ* vocales hac in sede cum sequente vocali synizesi coniunguntur. Itaque saepe iteratur haec hexametri forma:

V, 24: nec solam remeare animam, sed corpore toto.

Hic illic *a* exstat in synaloepha:

XIX, 183: O caecis mens digna animis et numina digna!

Eadem in sede *-um* et *-em* syllabae eliduntur, quod quidem admodum raro fit. Sola enim haec repperi exempla:

XXI, 436: Christus habet neque tantum isto, quo sumpserit istinc.
XXIII, 253: hunc habeam natalem oculi pariterque celebrem.
XXVII, 152: binum habeam natalem hodie, quo corpore sumpti.
XXVII, 590: historias castorum operum subrepit honestas.
XXXI, 93: quippe sui rem tantum operis sibi reddere curans.
XXXI, 175: ecce in me cunctorum hominum discrimine nullo.

Ceterum de hac versuum forma nobis disserendum erit in ea parte, qua de caesura agetur.

c. De pentametri elisionibus.

Transeamus igitur ad pentametri leges reperiendas. Cuius pars prior hexametri normas sequitur ita, ut ab arsi prima quaelibet arceatur synaloephe, thesis autem prima, si est longa, et arsis secunda etiam elisioni longae vocalis pateant. Deinde in thesi secunda uno loco (XXI, 305: *ut nec in ipso arbor*‖) longa vocalis coniungitur cum longa, duobus locis (X, 18: *ut fecere aliis:* XXXI, 4: *ut rudis ille annis)* eliditur ĕ, uno loco (XXXI, 176: *mors superata abiit)* ă ante ă posita.

In altera autem parte synaloephes longae vocalis unum deprehendere potui exemplum (XXXI, 376: ‖*tango fide et video*). Syllabarum vero mediarum et brevium elisiones concluduntur in thesin quartam quintamve et in arsin quintam. Qua in arsi non plures quam duae mediae (XXXI, 384; 458) et duae breves (XXXI, 152; 244) vocali excipiuntur.

Itaque sine elisione exstant initium et finis huius partis[1]).

Iam vero vides multum a Paulini ratione differre has elisiones App. III:

v. 10: hoc semper maior ‖ quo fide es uberior.
v. 160: assit praecipuus ‖ in tuo amore modus.

Qui longam vocalem hac in sede concurrere cum brevi veritus est, is nullo pacto verbum iambicum cum brevi vocali coire pati potuit.

d. De iamborum elisionibus.

Iambicorum numerorum iam si spectamus initium et finem, severiores synaloephes leges, quas Horatius, Martialis, alii secuti sunt (cf. Mueller., p. 351), Paulinum transgressum esse — etsi

---

1) Nisi forte probas illam coniecturam (XXXI, 124: *(iam) ambulet*), quam supra commemoravimus.

paucis in versibus — statuendum est. Scribit enim Paulinus in prima thesi et in arsi ultima:

XXI, 262: nam et liberorum plurimis cervicibus,
XXIV, 71: quo abrupta mortis incidentis excipit,
X, 37: quam vis sophorum callida arsque rhetorum et,
XXIV, 167: qui tunc remoto fessus in prorae sinu et,
XXIV, 492: secretum ab igne divitum et.

Quos paucos versus nobis non licet augere illa Zechmeisteri coniectura: ‚*vi eius potentes*' (XXIV, 615; cf. p. 22).

Reliquorum vero pedum leges, quae sint, facile ex hac tabula cognosces, cui nonnulla, quae commemoratione nobis digna videntur, adiciemus. Eliduntur in pede

	I	II		III		IV		V		VI
syllabae	arsis	thesis	arsis	thesis	arsis	thesis	arsis	thesis	arsis	thesis
longae . .	7	2	0	8	2	0	7	4	4	0
mediae . .	7	1	0	7	2	5	6	8	7	0
breves . .	12	14	4	4	2	3	24	10	4	0

Atque magna cum cura Paulinus ab arsi altera synaloepham duriorem arcet; nam ex quattuor versibus, qui hoc loco exhibent elisionem, duo *e* (XXI, 219: *in principe urbe* et XXIV, 501: *in semine Isac*), duo vocem *modo* in elisione positam exhibent (XXI, 223: *Valeri modo huius;* XXIV, 767: *nam quomodo ille*).

Tum haud grata synaloephe incidit in thesin quartam; qua in sede non inveni elisam brevem aut mediam, nisi in monosyllabo aut in syllaba accentu non praedita (cf. XXI, 114: *quidam in,* 159: *palmam adeptus;* XXIV, 201: *nave in,* 363: *portum ab,* 465: *opere in,* 627: *dena (a),* 823: *tamquam in).* Recedit quidem ab his VII, 51:

at inpiorum pronum iter delebitur.

At hic versus, quod supra statuimus, firmare videtur Paulinum nonnumquam sibi duriorem synaloephen permittere, ut cum sententia aspera metri ratio conveniat.

Denique sicut in ineunte versu, ita post caesuram raro verba monosyllaba eliduntur velut: XXIV, 77: *quae ad;* 625: *qui intus.*

Quibus allatis subiungemus tabulam, quae elisiones in dimetro iambico exhibet. Quo in metro hae synaloephes inveniuntur exempla:

Pedis	I	II		III		IV
syllabae	arsis	thesis	arsis	thesis	arsis	thesis
longae	5	1	2	7	2	0
mediae	2	5	1	6	3	1
breves	5	7	7	6	0	0

Certe mira est synaloephe, quae sola invenitur in thesi quarta. Nam cum Paulinus etiam in trimetro iambico omni diligentia curaverit, ut thesis ultima pura esset, neque dimetrum iambicum elisione dissimilem condiderit, nobis scrupulus iam iniceretur de ista elisione vel consentientibus codicibus. At hi non exhibent (X, 100): *veniale quidquid horum inest,* sed *veniale* (vel *aliud* Hn) *quidquid* (*quid* H, *quis* n) *horum* (*heorum* W) *est.* Quem hiatum nonnulli viri docti removere voluerunt hac lectione: *vel aliud horum quidquid est*, Peiper: *veniale quidquid horum erit;* Zechmeister autem lectionem, quam supra attulimus, commendat. Sane Zechmeisteri et Peiperi coniecturae obstare videtur elisio in thesi quarta; in ceterorum vero lectione aegre cognosci potest, quid sibi velit *vel aliud;* quare praefero lectionem, quam sagaciter Hartelius proponit (p. 6):

veniabile (*vel* veniale et) horum quidquid est.

e. De logaoedorum elisionibus.

In eo versu, quem sapphicum maiorem dicere solemus, synaloephe severissimis legibus continetur. Omissis enim elisis voculis *‚ne'* (XVII, 1) et *‚que'* (XVII, 270) synaloephe arcetur a I., II., IV., VI., VII., X., XI. syllaba huius versus. Haud plures quam tres vocales longae eliduntur eaeque in syllaba tertia XVII, 15 *tuo accedens,* 189 *freto emenso,* semel in syllaba, quae antecedit locum caesurae penthemimeris XVII, 210 *bello in* ‖ *domiti.* Latius ergo synaloephae patere videtur membrum versus tertium, quoniam hoc loco XVII breves quoque eliduntur.

Versus deinde Adonius, qui cum Sapphico in stropham coniungitur, nullum praebet elisionis exemplum.

Quibus denique pauca addemus de versu Asclepiadeo. Ex parvo sane versuum numero — neque sunt plures quam XX — leges, quas secutus est Paulinus, cognosci vix possunt. At ex paucis

his versibus efficitur in tertio et octavo versus membro facilius admitti elisionem, cum in hoc bis, semel in illo elisio inveniatur.

His commemoratis omnia attuli, quae de quantitate syllabarum et de vocalium concursu memoria digna esse visa sunt, ita, ut iam nihil obstet, quin de legibus agam, quas Paulinus in versibus condendis secutus sit.

II. De variis apud Paulinum metris legibusque, quas in eis secutus est.

Rem propositam ita absolvemus, ut primum agamus *de singulis pedibus*, deinde *de versuum dactylicorum*, *iambicorum*, *logaoedicorum caesuris*.

1. De singulis pedibus.

‚In **heroico versu** vel pueris notumst', Mueller (p. 149) inquit, ‚optimam constare rationem numerorum mixtis dactylis et spondeis, par ut utrisque cedat numerus pedum. Qualis si spernitur aequabilitas, aut fractus nimis et mollis aut durus et onustus existet rhythmus.' ‚Itaque apud optimos hanc fere fuisse proportionem existimes, ut ex octonis septenisve pedibus terni essent dactyli, apud deteriores, ut ex senis bini, ceteri spondei, cum apud Graecos contrarius obtineret modulus' (p. 151). In Paulini hexametris 6219 — non adnumeravi disticha — hos inveni numeros:

Exstant in pede	I	II	III	IV	V	I—V
dactyli	4361	3374	3029	2415	6192	19371
spondei	1858	2845	3190	3804	27	11724

Ex quibus numeris liquet Paulinum vel optimorum poetarum [1]) rationem superare. Hoc quidem mirum non est, quod huic poëtae,

---

[1]) Apud Vergilium invenies (cf. La Roche, Stud. Vind. XXIII, 126):

in pede	I	II	III	IV	V	I-V
dactylos	5912	4627	3929	2693	9814	26975
spondeos	3927	5212	5910	7146	25	22220

id quod supra vidimus, mutata sermonis condicione syllabae breves longe plures quam poëtis pristinorum temporum praesto fuerunt. Nam dubium non est, quin multitudo longarum syllabarum, quae invenitur in sermone Latino, duriorem reddiderit versum heroicum apud Romanos quam apud Graecos (cf. Mueller. p. 151 et La Rochii disput. p. 126).

Deinde in efficienda numerorum concinnitate et varietate magnam operam consumpsit Paulinus, qua in re praeter ceteros imitatus est Vergilium[1]).

Itaque apud eum non inveni hexametros, qui quinque dactylis constant, nisi dactylorum ordo continuus sententiae optime respondet. Certe non sine cura et arte primus quisque versus c. XV, XVI, XVIII ita conformatus est:

XV, 1: Annua vota mihi remeant simul annua linguae,
XVI, 1 s: Tempora temporibus subeunt, abit et venit aetas,
XVIII, 1: Lex mihi iure pio posita hunc celebrare quotannis.

Tum quam apte exprimitur stupor anus, quae praeter spem reducem Felicem recipit, his verbis:

XV, 344: voce graduque tremens quatiente timore senectam.

Similiter perturbatio et festinatio eorum, qui Felicem persequebantur, his versibus describitur:

XVI, 65 sqq. . . . notum (Felicem) non agnovere furentes
Felicemque rogant. Felix ubi cernitur, et non
cernitur; ipse nec ipse vir est; cum sit prope, longe est.

Praeterea pulchre dei immutabilitas ex numerorum et verborum aequabilitate elucet in his versibus XVI, 380 s.:

Ille deus Danielis et ille trium puerorum
Felicis deus ipse deus nec se minor ipse.

Quibus addimus versum XXVIII, 218:

Suntque simul vetera et nova nec nova nec vetera aeque.

Simili modo Paulinus spondeis usus est, ut gravitas numerorum cum gravitate sermonis concineret.

Quae poëtae ratio facile cognosci potest ex carmine VI. Cuius carminis numeri, si conferimus cum carmine XXVIII., quod vel maioris est amplitudinis (illud 330, hoc 468 versuum est), spondeis auctis — in c. VI. in quattuor prioribus pedibus inveniuntur: DCCXLVIII, in c. XXVIII: DLXI — multo graviores sunt quam carminis XXVIII. Quod ideo factum esse mihi videtur, quod in illo

[1]) Cf. R. Maxa, 'Lautmalerei und Rhythmus in Vergils Aeneis,' in Stud. Vind. XIX, 78.

carmine grandia mysteria religionis praedicantur, in hoc miracula quaedam narrantur. Me vero hac in re non quaesitam subtilitatem Paulino tribuere, ex aliis quoque locis cognosces, quos modo ad rem probandam adferam. Legimus enim VI, 39 sqq.:

> ecce sacram propter caelestis nuntius aram
> adstitit ac . . . .
> se caelo missum vultuque habituque probavit,
> tum sancta in tales laxavit pectora voces.

Gravis Dei nuntius — spondeis *,se caelo missum'* haec gravitas designatur — primo aspectu agnoscitur a Zacharia — quod dactylis exprimitur —, sequitur missio divina, cuius gravitati aptantur spondei. Deinde de s. Iohanne angelus cumulatis spondeis haec dicit in v. 52 sqq.:

> Nascetur dignus tanto sponsore beatus
> perpetuusque puer, qui primo protinus aevo
> te maior sacras invicto in pectore vires
> . . . . habebit.

Tum ratio habitusque sancti Ioannis his depingitur versibus (249 sqq.):

> mirabimur immo
> rectius invictum nullique imitabile prisci
> exemplum saecli transgressum humana labore
> semideumque virum, qui labe immunis ab omni
> praescripsit, quid nos vel post peccata deceret.
> At postquam invictum firmans per talia mentem
> exegit largum tempus statuitque reperta . . .

Praeterea imitatus Verg. Aen. VI, 155 s.:

> . . . . . dixit pressoque obmutuit ore
> Aeneas maesto defixus lumine vultus . .

Paulinus de Zacharia dicit (99 s.):

> dumque cupit narrare suae miracula plebi
> conatus frustra defixo obmutuit ore.

Denique virginitatis beatae Mariae mysterium et nativitatis Dei grande miraculum his praedicat verbis:

> 112: virgo inlibatum servabat casta pudorem,
> 122 s.: . . . . . . corpus tua viscera praestent
> illi, qui caelum, terras, mare, sidera fecit.

Allata sufficient ad firmanda ea, quae statuimus.

Tum gratum fuisse huic poëtae non minus atque ceteris versum heroicum, qui a dactylo incipit, facile cognosces ex magno numero pedum trisyllaborum in ineunte versu collocatorum.

Atque in multis versibus, quibus est caesura semiquinaria, dactylum in primo pede positum sequitur d a c t y l u s in p e d e a l t e r o

(II, 1, 2; IV, VIII, 3, 9 al.); si vero exstat semiseptenaria dactylus saepe sequitur tertio loco (II, 3; XXIII 1 al.; XXX, 2).

In pede autem quinto spondeus in his carminum versibus invenitur: II, 11; X, 203; 253; XIV, 84; XV, 181; XVI, 118; XVIII, 33; 122; 370; 414; XIX, 74; 312; XX, 274; XXI, 443; 461; 511; 568; XXII, 155; XXIII, 135; 173; 175; XXV, 89; 221; XXVI, 19; XXVII, 93; XXVIII, 67; 91; 202; 252; in epist. 48, 7; 49, 23; 50, 57; 51, 91.

Ex quibus versibus certe in uno Paulinum imitatum esse Vergilium facile cognosces, dico versum XVIII, 33:

hi leves titulos lento poliunt argento,

simillimum versui, qui apud Vergilium legitur, Aen. VII, 634:

aut leves ocreas lento ducunt argento.

In versu autem XV, 181 spondeum in quinto pede positum removere conatus est Chatelainius. Lebrunus enim ex optimis libris manu scriptis loco vulgatae lectionis:

temptat et in mortem poenarum gressibus exit

hanc lectionem enucleavit:

temptat et in mortem surgit gradibus poenarum.

Chatelainius autem, cum codices exhibeant: G R *urgit* et A B G Q R *gradibusque*, legendum esse censuit:

temptat et in morteş urget gradibusque perurit.

Sed ipse iure hanc lectionem reliquit. Nam supra cognovimus Paulini usum, ex quo spondeum ad augendam sermonis gravitatem adhibet (cf. Hartel., p. 56).

Similiter spondeo usum esse poëtam, ut sententiam adiuvaret, nemo negabit in his versibus:

XIV, 84: credas innumeris ut moenia dilatari
hospitibus . . .
XVI, 118: qua vel mole putri vel araneolis obductis,
XXI, 461: et spatiis amplas et culminibus sublimes,
XXV, 89: sed neque vel proprio per corporis incrementum,
XXVIII, 202: et spatii cepere et luminis incrementa.

Ipsis enim verbis excusatur hexametri forma. Nomina autem propria, quibus imprimis poëtae Latini ex Catulli temporibus versus spondiacos concludere consueverunt, sola haec inveniuntur: *Pyrenaei* (X, 203), quod haud raro apud alios poëtas hoc loco exstat (cf. Lucan. I, 689; Iuv. X, 154; Aus. ep. XXIV, 87; 16. 69; XXV, 51) et *Augustinus* (ep. 48, 7; 49, 23; 50, 57). Reliqua verba, ex quibus Paulinus versus spondiacos effecit, conferens cum iis, quae ceteri poëtae adhibebant, invenire non possum eum verba ab aliis ad-

hibitā usurpasse, id quod ceteros facere consuevisse testatur Viertelius [1]).

Praeter ea enim, quae attulimus *‚argento'* et *‚incrementum'* (Verg. Ecl. IV, 49), nullum reperitur nisi unum tale nomen *‚testamentum'* (XXII, 155; ep. 280, 8; Iuv. XII, 121).

Tum ad versus formam quod attinet, duo versus (XXI, 443; 51, 91) constant e quinis spondeis et singulis dactylis in sede quarta positis, tres (XIX, 312; XX, 274; XXVIII, 67) e quaternis dactylis, ceteri aut binis aut trinis dactylis. Illud vero addendum est, poëtam excepto v. XVIII, 122

certatim populus pietatis circumfusus

strenue observasse, ut in pede quarto dactylus praecederet spondeo.

Iam si complectimur, quae modo protulimus, et cum Vergiliana ratione conferimus (cf. La Roche l. l. p. 131 ss.), has hexametri spondiaci formas invenimus:

1. – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – – | – ⏓

apud Paul.: XIX, 312; XX, 274 XXVIII, 67	Verg. (Aen.) II, 68; VIII, 679.

2. – ⏑ ⏑ | – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – – | – ⏓

Paul. X, 253; XXV, 221; XXVIII, 91; 252	Verg. III, 12; VIII, 402.

3. – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – – | – ⏑ ⏑ | – – | – ⏓

Paul. XVIII 414; XIX, 74; XXIII, 173; XXV, 89; XXVII, 93	Verg. VII, 631; Ecl. IV, 49.

4. – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – – | – ⏓

Paul. XVI, 118; XXIII, 135; 175; Ep. 48, 7; 50, 57	Verg. —

5. – – | – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – – | – ⏓

Paul. —	Verg. V, 761; XII, 83.

6. – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – – | – – | – ⏓

Paul. XVIII, 122	[Verg. IX, 67.]

7. – ⏑ ⏑ | – – | – – | – ⏑ ⏑ | – – | – ⏓

Paul. II, 11; X, 203; XV, 181; XVIII, 370; XXI, 461; 568; XXVI, 19; XXVIII, 202; Ep. 49, 23	Verg. III, 549; V, 320; VIII, 341; IX, 9; 196; Georg. I, 221; IV, 463.

[1]) In disputationis de versibus poëtarum Latinorum spondiacis p. 806, quae publicata est in Nov. ann. phil. LXXXV (a. 1862).

8. — — | — — | — — ¦ — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑̱

Paul. XXI, 443; ep. 51, 91	Verg. I, 617; III, 517; VIII, 345; IX, 241; 647; XII, 863.

9. — ⏑ ⏑ | — — | — — | — — | — — ' — ⏑̱

Paul. —	Verg. III, 74.

10. — — | — ⏑ ⏑ | — ' — — | — — | — ⏑̱

Paul. —	Verg. VII, 634.

Tum **pentametri** leges in altera parte servandas Paulinum migrasse non invenies.

Allatis iis, quae ad metra dactylica spectant, de legibus acturus sum, quas in numeris **iambicis** observatas esse videmus. Quae res eo difficilior est — id, quod supra diximus — quo saepius dubitare possumus, utrum Paulinus numerorum leges an syllabarum quantitatem neglexerit. At iam exponere ordiamur, quae de impari sede trimetri et dimetri iambici sunt dicenda.

Atque in pede primo, tertio, quinto et Graecos et Latinos poëtas iambi loco spondeum posuisse notum est. In Paulini autem carminibus iambus his locis motus fere est; nam apud eum

reperiuntur in	versibus	iambi		
		in pede I	III	V
trim. c. VII	51	14	7	15
trim. c. X	84	10	12	10
trim. c. XXI	167	27	45	30
trim. c. XXIV . . .	471	68	98	79
trim. c. XXXIII . . .	20	4	5	5
trim. ep. 286	14	4	2	1
dim. c. X	84	7	7	—
dim. c. XXIV	471	78	92	—

Quibus numeris adiciendi sunt pedes, quorum arsis est soluta; sed raro apud Paulinum occurrit tribrachys in sede impari. Nam primi pedis iambici arsis soluta est quater (XI, 66: *retíneat;* XXI, 220: *Valérius;* XXIV, 692: *latéribus;* 906 *et ópibus*), tertii VIII^{ies} (XXI, 251: *parentĭs ălĭquid;* 254: *redemptionĭs ŏpĕre;* XXIV, 69: *altă mĕdĭi;* 221: *(iactŭs) pĕrĭt;* 331: *deierandŏ mŏnăchos;* 399: *istă pĕnĭtus;*

465: *creatŏr ŏpere;* 649: *ergŏ vĕtĕre*). Ea autem est condicio solutae arsis, ut verbi accentus cum ictu metrico concurrat. Deinde in uno versu X, 75 codices exhibent tribrachim in pede quinto:

contempta praesens vel mage deposíta sibi.

At certe haec lectio versus et verbi accentus discrepantia suspecta fit. Quare Zechmeister legendum esse putat: *depŏsita măge sibi.*

In spondeo quoque, qui iambi loco exstat, arsin solutam Paulinus sibi concessit. Invenies igitur dactylum in primo pede XV[ies], in tertio pede XIX, in quinto pede hoc in versu (XXIV, 175):

plerisque mersis intus in navís utero.

Quod in sede tertia propter caesuram semper fit excepto versu XXIV, 599 *(defĭcĭat)*, ut thesi longae adiungatur verbum, quod e tribus duabusve[1]) syllabis constat, hoc vel in primo pede VIII[ies] (X, 29: *nunc alia;* XXI, 170: *et merito;* 227: *non capiat;* XXIV, 59: *qua miseri;* 659: *quo capite;* 751: *si vitia;* 763: *et facile;* 801: *quo vehitur*) invenitur; ceteris vero locis Paulinus a verbo, quod paeonem primum aequat, versum orditur (XXI, 201: *praeterită;* 205: *mancipia;* XXIV, 47: *intereă* (cf. p. 4); 77: *susciperet;* 315: *exiguă;* 381: *Theridius;* 623: *exterior*). Itaque, quod in aliis arsibus solutis videmus, idem in his cognosci licet, ictum metricum et verbi accentum in unam eandemque syllabam cadere.

Qua ex parte quidem Zechmeisteri coniectura commendatur, qui versum XXIV, 883, quem libri exhibent talem:

cornibus et alis arduae fultus crucis,

legi vult transpositis verbis:

alis et cornibus arduae fultus crucis,

At quia anapaestus in sede tertia aliis locis non invenitur atque in pede quinto uno loco (XXIV, 175) accentus discrepent (*navis utero*), Zechmeisteri lectionem improbo. Quod vero supra (p. 18) statuimus, *diaboli* (XXI, 248) esse trisyllabum, hac re firmare licet.

Secundum eandem rationem formati sunt novem dactyli, qui in prima sede dimetri iambici nobis legentibus occurrunt (X, 80: *restituet*; XXIV 300: *exposuit;* 306: *Massilia*; 350: *prosequitur*; 452: *iustitia;* 466: *hos recreat*; 672: *ut vetera*; 748: *iustitia*; 930 *inveniat*); in sede vero tertia hanc pedis formam apud Paulinum frustra quaesivi.

---

1) XI, 65 et XXIV, 427. Sagaciter versum XXIV, 106, qui ita scriptus legitur: *‚caelum serenis enitebat nubibus'*, Hartelius (p. 29) restituit: *‚c. serenum sine nitebat n.'*

Tum thesin spondei solutam deprehendimus, sed numero diverso in diversis pedibus. Deest enim anapaestus in pede tertio, in pede quinto exstant quattuor exempla, CX in pede primo. Atque idem, quod in pede quinto omnibus locis invenitur, contineri thesin solutam et arsin uno verbo (X, 23: *stŭdĭó;* XXIV, 95: *perfugio;* 97: *facies;* 617: *asinum*), LXI[ies] in pede primo est; e duobus vero vocabulis anapaesti constant XLI, VIII e tribus, quod raro apud ceteros poëtas exstat, quare Paulinus hoc duobus locis (XXIV, 257: *nec aqua excitatum;* 447: *nec enim ulla*) synaloepha mitigare studet.

Maiore vero cura formantur anapaesti, a quibus dimeter iambicus incipit. Primum enim hoc in pede anapaesti numero duplo fere minore sunt (LVII), numquam autem is pes trinas voces, XXXVII[ies] singulas, XX[ies] binas voces complectitur. Deinde in pede tertio hi inveniuntur anapaesti: X, 92: *voluít deus;* XXIV, 408: *spatio*; 744: *servĭtĭĭ.* Hi simillimi sunt eis, quos ex pede quinto trimetri iambici supra attulimus.

Iam a sede pari metri iambici Graecos et Graecanicos poëtas reiecisse spondeum nemo ignorat. Neque vero Paulinus hanc legem recepit. Magna quidem cum cura horum versuum finem tractavit, ita ut hunc unum versum XXIV, 820 invenire potuerim, in quo neglegitur, quam positionis legem dicere solemus — at venia quaedam a repetito verbo *‚mixtus'* *(sic mixtus ut non mixtus sit)* repetenda, vix e consona ‚s' —, sed ita ut priores poëtae scaenici Latini secundae et quartae sedis iambum saepe non observavit. Quamquam huc referri non potest versus XXIV, 13 (*ambo nexi*, cf. Hartel. p. 27), quoniam ultima syllaba verbi *‚ambo'* ubique correpta ponitur (cf. supra p. 7 s.), tamen haud pauci deprehenduntur spondei et in sede **secunda:** XXI, 152: *non defraudatus*; XXIV, 267: *adlabéntem;* 345: *munitor;* 433: *atramento;* 489: *defrudati*; 843: *dilatáto;* 845: *vitali;* 332: *casumque;* 364: *Centum Céllas;* 494: *vivorum*, at recte X, 79: *multaque spretam* (V[1], *quae multa* V W) legitur recteque XXIV, 498 exstat *prŏpágo* (cf. Hartel. p. 31), cum idem verbum V, 19 correpta prima syllaba legatur; praeterea XXIV, 618: *iumentum;* 794: *adstringit colla*; 804: *vitam in terris*; X, 86: *argumentum* (de XXIV, 47: *intérea návis* cf. p. 4); et in sede **quarta**: XXIV, 69: *medii dórsa;* 205: *magni vatis;* 331: *monachos sé;* 433: *calami séd;* 445: *merito sé;* 587: *postea fíat;* 627: *dena ⟨a⟩ déxtris*; 839: *sancto fláta;* 861: *defaecáta;* 889: *sanctae radix (sancta radix v);* X, 55: *homines ínter;* XI, 67: *oblivisci;* XXI, 182: *pareret mé;* 16, 180: *peccatrícis;* 242: *libertatem*, cf. 250: *libertas.* Nam etsi forte in uno alterove versu suspicari

possumus Paulinum non tam contra leges Graecae doctrinae, quam contra syllabarum quantitatem peccasse — id quod verbi gratia in *suffrăgáta* (XXIV, 293) et *allophy̆la* (XXIV, 549) propter usum verborum *suffrăgiis* (XXXI, 618; App. I, 74) et *allophy̆lum* (XXVI, 71) statui licet —, tamen relinquuntur spondei, de quibus dubitari non potest. Quare quia in hexametro Paulinus syllabarum quantitatem non saepe laesit, concludendum est eum numerorum iambicorum severas leges Graecas non servasse.

Atque adeo arsin spondei in sede pari positi Paulinus solvit. Quod quidem raro fit; sed sententia commendatur dactylus alterius pedis hoc in versu (XXIV, 59):

qua miseri fugiant pelagus infestum via?

Apte enim turbatis numeris describitur mentis perturbatio. Deinde verbum Graecum veniam dat versui:

XXIV, 677: sed rursus idem et euangelico desuper.

Sed non ita excusari possunt hi versus:

XXI, 214: qui mixta veteris et novi ortus gloria;
XXIV, 225: nam liber undis, intra mare <et> exter maris;
627: tunc mille a latere, dena <a> dextris milia;
863: desueta pennarum remigia denuo.

Ex quibus versibus iam liquet, quibus verbis Paulinus in soluta arsi usus sit; statuere enim possumus eum numquam ictum metricum a verbi accentu discrepantem sibi permisisse: quem ad modum Plautus et Terentius in iambico senario vocabula, quae tribrachyn efficiunt, nunquam contra verbi accentum acuunt[1]).

Tum in sede quarta vel thesis longa solvitur in his versibus:

X, 23: fuit ista quondam non ope, sed studio pari,
75: contempta praesens vel mage deposita sibi (cf. p. 42),
XXIV, 413: nec sente vultum nec lapide artus contudit,
617: sit fortis anima mortificans asinum suum.

Denique tribrachys iambi loco positus in sede altera invenitur XLI^{ies}, IVes in quarta trimetri, VII^{ies} in dimetri pede secundo. Mira autem reperitur congruentia tribrevis pedis in secunda sede admissi. Excepto enim uno versu XXIV, 745, ubi tribrachys unius verbi *sustinuerat* parte continetur, arsis soluta in uno verbo trisyllabo occurrit, quod plerumque anapaestum aequat. Unde commendatur lectio, quam proponit Hartelius ad versum XXIV, 407, quem libri manu scripti exhibent:

parvo breve per iter (pariter *B*) aere conductum sedet.

1) Cf. Lindsay in Woelfflin. Archiv. VII 596 sq., Philol. LI 364 sqq.

Eum sic sanare studet (p. 27):

parvo per itiner aere conductum sedet,

Haec lectio cum accentus tum elisionis causa — nam in compluribus versibus (XXI, 201; XXIV, 407; 707) synaloephe in caesura exstat — praeferenda est lectioni, quam in editione invenimus:

parvo per iter breve aere conductum sedet.

2. De caesuris.

A. De caesuris hexametri.

De caesuris hexametri cum acturus sum, non meum esse puto adferre diversas sententias, quas de iis viri docti proposuerunt. Nam nostro iure ponere possumus Paulinum in hac re eam amplexum esse rationem, quam Ausonius in versibus componendis secutus est. Qui eius doctor in praefatione centonis nuptialis has enumerat caesuras[1]): *Diffinduntur autem per caesuras omnes, quas recipit versus heroicus, convenire ut possit aut penthemimeris cum reliquo anapaestico aut trochaice cum posteriore segmento aut septem semipedes cum anapaestico chorico aut ..... post dactylum atque semipedem quidquid restat hexametro.* Ex quibus verbis liquet distinctionem 'post dactylum atque semipedem' praeter semiquinariam et semiseptenariam haberi inter eas, quas recipiat versus heroicus. Quare, ut res fiat perspicua, materiam in sequentibus ita disponam, ut primum agam de versibus, quibus est *caesura semiquinaria*, deinde de versibus, qui exhibent *incisionem post arsin alteram et arsin quartam addita aut omissa distinctione post trochaeum tertium*, denique de *ceteris versibus*.

Cognitis enim regulis, secundum quas Paulinus maiorem versuum numerum condiderit, facilius elucebit, quae caesura in ceteris versibus ex mente Paulini aut principalis aut subsidiaria aut nulla habenda sit.

Caesura igitur semiquinaria, quam ceteri poëtae Latini ut elegantiorem magna cum cura coluerunt, Paulinus quoque omnium longe plurimum utitur; 5470[ies] enim legitur. Iam accuratius eius formam explicabo.

Atque sententiae intermissionem, quam optime cum caesura coniungi ipsa fert natura, persaepe in his carminibus cum penthemimeri concurrere ex eo facile apparet, quod MCXVIII[ies] post

1) Ex Schenkelii editione p. 140 locum 'difficilem et haud dubie corruptum' adfero.

arsin tertiam exstat signum interpunctionis. Tum eodem loco aeque atque in versus fine — quamvis raro — invenitur syllaba ceterum brevis producta, velut V, 46: *feró si* (cf. p. 9); XX, 38: *homó, deus est homŏ*; XXVII, 179: *videó;* 182: *fió;* 194: *adsideó;* 331: *teneó;* XIX, 369: *eiús | aetate;* XXXIII, 34: *latró felix.* Vel hiatus hoc loco permittitur (cf. p. 25).

Quae caesura, quamquam in ea vocem subsistere constat, tamen nonnumquam incidit inter verba, quae arte inter se cohaerent aut vi iam pertinent ad ea, quae sequuntur.

Ponitur igitur caesura saepius post particulas '*et*' (XVI, 176; XIX, 401; 708; XX, 349; XXI, 415; 608; XXII, 29; XXVI, 89; 268); '*ut*' (XX, 401; 404; XXI, 772); '*tamquam*' (XVIII, 340; 390; XIX, 221); '*quamquam*' (XVIII, 341); '*quoniam*' (XIX, 332); '*quasi*' (XVIII, 42); '*ac, si*' (XXI, 763); '*nec, si*' (XXVI, 287); '*cur*' (X, 215); '*donec*' (XVIII, 72); '*nec*' (XXVI, 82); '*nec enim*' (XVIII, 372). Pronomina quoque relativa abstrahuntur a suo enuntiato ('*de quo*' XVIII, 64; '*quod*' XXIII, 107), atque adeo praepositiones a suo casu *in‖sacra dona* XIX, 592; *in‖laudem Felicis* XXI, 707; *pro‖Felicis honore* 16, 708). Plerumque vero haec verba cum antecedentibus synizesi coniungi supra ostendimus ibique attulimus versus, qui in ipsa caesura elisionem exhibent.

Hoc autem loco figuram, quam parisosin aut homoeosin nominamus, omittere non possumus; quam temporum progressu poëtis gratissimam factam esse, Birtii libello (*Ad historiam hexametri Latini symbola*, p. 50) docemur. Paulinus quoque hanc verborum collocationem ita adhibuit, ut poneret adiectivum in caesura et substantivum in fine ordinis metrici:

I, 1: Sume igitur pastas dumoso in rure volucres,
VI, 215: Condiderat sacri, quas servat pagina saxi.

Similiter substantivum seiungit a suo genetivo, subiectum a praedicato, verbum ab obiecto velut:

V, 32: Vipereumque nefas nocituri averte veneni,
VI, 79: hunc tuus aequabit meritorum stemmate natus,
IV, 19: perpetuam spondent ventura in saecula vitam.

Qua verborum collocatione hic adeo delectatus est, ut eam in plurimis versibus inveniamus atque etiam per versus insequentes protractam esse videamus; cf.:

V, 172 s: . . . . deus, qui fraude superbi
offensus populi gentes in regna vocavit.
VI, 139: interea gravidam soboles quamquam edita needum
instigat Mariam . . . . .
IV, 9: vincat corporeas casto bene conscia lecto
inlecebras turpesque iocos obscenaque dicta.

Deinceps versus ii inprimis considerandi sunt, quos non inepte **tripartitos** appellat Birtius. Atque duplicem formam distinguit hic vir doctus. Namque aut finitur verbum post arsin secundam et quartam et post tertium trochaeum: – ⏑ ⏑ – ‖ ⏑ ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ – ‖ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒ (apud Birtium haec forma tertia dicitur) aut deest caesura muliebris: – ⏑ ⏑ – ‖ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ‖ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒, quam formam secundam nominat Birtius. Haec minus grata erat poëtis Latinis, quod ex numeris ab illo viro docto diligenter collectis patet. Apud Paulinum hanc inveni LXXXV^{ies}, illam CMXXXXV^{ies}. Iam cum quaeritur, utrum caesuram trochaicam an semiseptenariam in forma tertia Paulinus principalem existimaverit, est quod respondeam. Atque primum negari non potest — quamquam hoc ad naturam caesurae non pertinet — elegantiorem fieri distinctionem metricam, si sententiae clausula coeat cum verbi fine. Quod in plurimis versibus de semiseptenaria, de caesura trochaica vero in his solis versibus valet:

X, 316: hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus atris,
XVI, 163: nunc alias de more, sibi quas coxerat escas,
XIX, 659: hoc opere est perfecta, modis ut consita miris,
XXVI, 37: sanctaque tunc Iudaea, domo licet inpius illos,
XXVII, 455: hoc etiam mirare, domus quod martyris alta.

Quibus addere possumus hos versus:

III, 1: Europamque Asiamque, duo vel maxima terrae membra,
XXIII, 82: his etiam potiora, tamen spectata profabor,
XXVII, 535: perfidiam nurus una, fidem nurus altera monstrat,
XXVII, 635: ipsius pia dona, meos commendo labores.

Non dubito, quin vel in his versibus caesura hephthemimeres plus valeat quam caesura trochaica. Quae quidem in quinque versibus X, 316; XVI, 163; XIX, 659; XXVI, 37; XXVII, 455 incidit post verba, quae pertinere puto ad ea, quae sequuntur; at haec verba, quae semiseptenaria abscinduntur, posita sunt ante coniunctionem aut pronomen sententiae secundariae, ita ut commode vox post ea subsistere possit. Idem persaepe in caesura semiquinaria observare licet. Deinde nequaquam offendere possumus, quod caesura incidit post particulam '*tamen*'; nam simillima invenimus in penthemimere. Tum in versu III, 1 et syllaba brevis producta — nam aliter hoc solo loco vocalis '*o*', quam omnibus locis correptam vidimus extra caesuram, vi solius arsis producta esset, — et substantivum '*membra*' in ineunte proximo versu positum semiseptenariam indicant caesuram principalem. Remanet igitur solus versus XXVII, 535, in quo caesura trochaica exstare videtur. Qua incisione versus apte dividitur in partes fere aequales. At ne hoc quidem loco incisioni trochaicae principalem vim tribuam, cum

non minus apte in caesura semiternaria et semiseptenaria sibi opponantur *perfidiam* et *fidem;* etenim quam maxime delectatus est Paulinus verba opposita ponere ante caesuras.

Immo vero, cum in caesura trithemimere — id quod non pauci versus indicant, quoniam persaepe cum arsi secunda consociatur sententiae clausula, hac in arsi exstat syllaba communis (XVIII, 170; ibid. 278; XXII, 76; XXVI, 333), invenitur figura parisosis — magnum insit pondus, nullius fere momenti esse puto caesuram tertiam trochaicam[1]). Percurras, quaeso, nonnulla exempla, quae modo adferam, neque dubito, quin concedas recte me statuere. Verbi gratia legimus:

XVI, 261: cuncta licent, | non cuncta iuvant. || Licito utile praefert,
IV, 2: exaudi, | si iusta precor: || ne sit mihi tristis,
IV, 10 sq.: inlecebras, | turpesque iocos || obscenaque dicta
oderit . . . . .
IV, 16: verna satur | fidusque comes || nitidusque minister,
V, 25: caelestes | intrare plagas || et inane sepulchri,
V, 34: deceptumque | adiunxit Adam; || nos sera nepotum,
V, 40: qua proceres | abiere pii || quaque integer olim,
V, 44: si lapides | non iuro deos || unumque verendi.

E ceterorum versuum numero optime me his adiungere puto illos, qui carent incisione post arsin quartam. Vocabula arsi quidem altera et tertio trochaeo terminantur, sed caesura semiseptenaria deest his versibus:

XV, 203: cura sui || gregis urit || et afficit; uritur igne,
XV, 262: bisseno || sublimis || in agmine discipulorum,
XVI, 13: obsequio || celebrare || per annua carmina sanctum,
XVI, 111: qui nos in || deserta || doloso callidus astu,
XXII, 79: tu cui mens || generosa || superni seminis igne,
XXIII, 96: mira haec sunt || et magna || (quis abnegat?) et tamen usu,
XXVI, 411: sed ventis || deserta || cadentibus ire negaret,
XXVII, 43: sic aeque || divina || feruntur munera Christi,
XXVII, 395: sed rursum || redeamus || in atria. Conspice sursum,
XXVIII, 273: ut nitido || purgata || patesceret area dorso,
ep. 50, 61: una fides || deus unus || et unicus e patre Christus,
VIII, 29: ecce brevi || cum magna || potentis inarserit ira,
X, 261: sed lingua || mulcente || gravem interlidere dentem.

Qui versus omnes fere in eo conveniunt, quod post dactylum quartum verbum finitur. Duo soli versus, VIII, 29 et X, 261 ab hac forma recedunt; at in utroque invenitur verbum compositum et, cum Paulinus non abhorruerit a caesura in tmesi posita (cf. infra p. 55) nihil gravius obstat, quin eiusdem rationis hos versus esse

---

[1]) Cum his, quae modo attulimus, conferas quaeso, quae La Roche l. l. in p. 124 s. de Vergilii ratione proponit.

dicamus. Porro nonnullis locis (XV, 203; XXIII, 96; XXVII, 395) hanc distinctionem addito sententiae interstitio — a quo hoc loco poëtae diligentes abstinuerunt (cf. Mueller., p. 216) — ita effert, ut facere non possim, quin ei vim subsidiariam tribuam. Neque huic rei verba Ausonii, quae supra attuli, obstare puto. Quem illas caesuras ex communi cum Prisciano fonte enumerare Stráehler nos docet in disputatione, quae inscribitur: *De caesuris versus Homerici* (p. 19). At Priscianus caesurae bucolicae mentionem facit his verbis (G. L. K. III. 460, 13 ss.): *commata autem sunt tria: tertia trochaica, semiquinaria et semiseptenaria. Quarta enim bucolica magis passio est sicut et ⟨III⟩ hemipes et quarta trochaica et quae inveniuntur per singulos pedes.* Iure ergo concludere possumus Ausonio quoque bucolicam diaeresin notam fuisse. Atque adeo ipse frustula Vergiliana hac in incisione copulat:

Cent. nupt. 21:

Ante oculos interque manus sunt | *mitia poma,*
Aen. XI, 311. Ecl. I, 80.

Cent. nupt. 65:

Omnibus in morem tonsa coma: | *pectore summo.*
Aen. V, 556. Aen. V, 558.

— Immin. 27:

Altius ad vivum persedit | *vulnere mucro*
Georg. III, 442. Aen. XI, 817.

Porro in istis Ausonii verbis (cf. p. 45) lacunam exstare et locum corruptum esse viri docti consentiunt. Quam explere vult Birtius his verbis: *aut ⟨parvulum initium cum toto⟩ post dactylum et* .....; Mueller legi mavult: *aut ⟨tres semipedes et⟩ post dactylum et semipedem.* Mihi quidem non absonum videtur hoc loco intercidisse verba, quae ad caesuram bucolicam pertinent, praesertim cum Ausonius in ratione enumeratarum caesurarum principalium quoque cum Prisciano consentiat (cf. Straehler l. l.).

Denique eandem formam hexametri apud alios poëtas invenimus et miror, quod Walser[1]) hanc rem non observavit. Qui vir doctus has sex formas caesurae trochaicae distinguit:

1. – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑.
2. – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑,
3. – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑,
4. – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑,
5. – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑,
6. – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ‖ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑.

---

1) Cf. disputationem, quam inscripsit: 'Die Caesur κατὰ τρίτον τροχαῖον im lateinischen Hexameter' (Annal. gymn. Austr. XXXIII, p. 1—29).

Perscrutatus sum versus, quos ex nonnullis poëtis adfert, invenique ex 163 exemplis, quae formae 3., 4., 5., 6. adnumerat, 122 in pede quarto aut finitam exhibere vocem aut (Lucret. I, 658 *re-*; IV, 245 *inter-*; IV, 994 *in-*) verbi compositi priorem partem, quae est praepositio; in versibus autem, qui hac incisione carent, plerumque satis perspicuum esse, qua de causa poëta illam formam aspernatus sit (cf. infra p. 56).

Quam miram similitudinem casu natam esse mihi persuadere non possum. Quare contra L. Muellerum (vid. eius librum p. 216) et contra Aug. Engelbrechtum (cf. *Serta Harteliana* p. 296 s.) cum Guilm. Meyero[1]) diaeresin bucolicam illis in versibus caesuram subsidiariam statuere malo.

Iam quaeritur, quae sit in his versibus caesura:

XVIII, 107: corpore nos; animaeque potentis spiritus illic,
XVIII, 253: increpitans miscetque precantia verba querellis.

Nam si recta se habet Meyeri[2]) sententia caesuram semiquinariam his in versibus statuemus. Sed uberius de hac re agamus necesse est.

Complectitur Meyer suam doctrinam his verbis: 'Es ist unbestreitbar, dass diese Enklitika (intellegit '*que*') mit dem Wort, an das sie angehängt wird, in vielen tausenden von Fällen verschmilzt und mit demselben als ein Wort behandelt wird. Wie viele wären sonst falsch, indem z. B. die 5. Hebung (vgl. *tactumque vereri*) Wortschluss bilden würde! Allein, wie in seltenen Fällen diese Enklitika lang gebraucht wird, so bei einigen Dichtern auch als selbstständiges Wort. Der Beweis liegt in Folgendem. Im klassischen Hexameter ist es Gesetz, dass die weibliche Caesur im 3. Fuss mit zwei männlichen Caesuren im 2. und 4. Fuss verbunden sein muss. Diese Regel hat Lucan in 1543 Versen von 8060 streng beobachtet. Nur in 5 Versen scheint er diese Regel verletzt zu haben: I, 124; 357; II, 459; VII, 188; 742; in diesen Versen fehlt die Caesur nach der 2. Hebung: allein in diesen 5 Versen wird die Senkung der weiblichen Caesur durch '*que*' gebildet. Also ist '*que*' als selbstständiges Wort zu behandeln und in diesen Versen männliche Caesur anzunehmen.' Deinde ad stabiliendam hanc legem adfert nonnullorum poëtarum versus, qui essent vitiosi, nisi caesura incideret ante voculam '*que*'. Quos versus, ut omnia facilius perspiciantur, hoc loco adferam:

---

[1]) Vid. disputationem, quae inscribitur: 'Zur Geschichte des griechischen und lateinischen Hexameters' (Sitzungsb. d. k. b. Akademie der Wissenschaften 1884, VI, p. 1057).

[2]) l. l. p. 1045.

Lucan. I, 124: **Erigit, impatiensque loci fortuna secundi,**
I, 357: **Laelius emeritique gerens insignia doni,**
II, 459: **Aequora: nubiferoque polus cum cesserit Euro,**
VII, 188: **Adiacet, Armeniumque bibit Romanus Araxem,**
VII, 742: **Hic iacet. Eoasque premunt tentoria gazas,**
Stat. I, 126: **Instruit exspectatque sonum redeuntis aratri,**
Colum. X, 68: **Durior aeternusque vocat labor: eia age segnes,**
X, 114: **Iam Siser, Assyrioque venit quae semine radix,**
X, 297: **Carpite narcissique comas sterilisque balausti,**
X, 425: **Claudimus imperioque tuo paremus agrestes,**
Val. Fl. Arg. IV, 245: **Protulit horrendosque toris informibus artus,**
IV, 351: **Exsilia intentisque canit: 'Videre priores',**
V, 469: **Agmina suppressumque videt iam murmur Iason,**
Colum. X, 73: **Ne dubita summoque** [*at codd.*: **et summo**] **frequentia caespite mista,**
X, 99: **Ora feri calathisque virentia lilia canis,**
X, 245: **Nascuntur gracilique melanthia grata cumino,**
X, 262: **Caelitibus templisque Sabaeum miscet odorem,**
X, 398: **Dulcis erit riguoque madescit luteus arvo,**
X, 250: **Achrados indomitasque bryonias alligat alnos.**

Quibus adiungam versus, quos in Paulini carminibus repperi:

V, 77: **Tempora cunctaturque dies, procul exige saevum,**
X, 163: **sidera spectantesque deum verique profunda,**
XIV, 121: **suscipe commendaque deo, ut cum sedula cura,**
XVI, 237: **crescere testaturque seni mage debita Quinto,**
XVIII, 305: **vindicet aequatoque tuum libramine constet,**
XXI, 45: **munera privatosque canam Felicis honores,**
XXI, 94: **gaudeat hospitiisque suis et corpore et ore,**
XXI, 834: **moenia. Felicisque sinu gaudente locatos,**
XXIII, 169: **ducere palpebramque levi suffundere tractu,**
V, 3: **principio extremoque carens antiquior aevi,**
XVIII, 99: **daemonas invictosque rapit frustraque rebelli,**
XIX, 477: **nec fugit impavidusque manet. Tegit una latentem,**
XXVIII, 248: **corporis evictamque suae draco duxerit escae,**
Ep. 290, 3: **cantharus intrantumque manus lavat amne ministro.**

Primum videre non possum, qua de causa in versibus XVIII, 107 et 253 et Colum. X, 73; 99; 245; 262; 398 statuenda sit caesura semiquinaria, cum horum versuum forma minime differat a versuum, quos supra attulimus; quare exstare caesuram tertiam trochaicam cum semiternaria addita incisione bucolica puto. Eiusdem generis esse opinor versus Silii:

VIII, 75: **Attollit mitique manu intra limina ducit,**
X, 309: **Pulchra decus misitque viri inter sidera nomen.**

neque cum Muellero facio, qui in his versibus caesuram in tmesi *in*‖*tra* et *in*‖*ter* statuit (cf. p. 462).

Deinde in versibus, quibus est caesura semiseptenaria, deest vero semiternaria, apud omnes poëtas miram invenimus aequabili-

tatem congruentiamque. Omnibus enim locis dactylo primo verbum finitur, in plurimis versibus unum verbum pedem primum explet. Eandem rem in versibus, quos Walser p. 9 adfert, 28^{ies} observare licet[1]). Atqui cum apud poëtas veteres 'non prorsus fuerit laudatum pedem primum dactylica constare voce' (Mueller, p. 240), hoc neglegi non debet. Accedit, quod persaepe aut cum hoc vocis fine concurrit sententiae intermissio aut verbum dactylicum artissime cohaeret cum voce praecedente; nam in Paulini saltem carminibus hoc mihi observasse videor: eius versum heroicum raro incipere a voce dactylica, cuius sententia non arto vinculo conexa sit cum versu antecedente. Atqui cum in ineunte versu ictus metrici et accentus pedestris discrepantia maxime placuerit, displicuerit vero in exeunte versu (Mueller, p. 234), illa re innui arbitror dactylum primum aliqua ex parte spectare ad versum praecedentem hocque modo effici, 'ne divisione sola septenaria nimis impares partes reddantur versus' (cf. Mueller., p. 203). Quare in illis versibus solam caesuram semiseptenariam esse coicio neque vero voculam '*que*' caesura abscindendam esse a verbo praecedente. Quam opinionem etiam his rationibus fulciri posse credo. Etsi concedere velim in versu:

XXI, 675: In tua vestibula atque domos manare fecisti

particulam '*at*‖*que*' caesura posse discindi, quamquam non veri simile esse mihi videtur, certe Meyeri sententia non quadrat in versus:

IX, 48: Nec minus ille beatus | erit, ‖ qui parva tenebit,
XVI, 67: cernitur; ipse nec ipse | vir est, ‖ cum sit prope longe est,
XIX, 298: adforet. Inde perennis | honos ‖ et gloria sanctum,
XXVII, 405: Pulveris inter sancta | sacri ‖ libamina reddant,
XXXI, 261: difficile omnipotentis | opus ‖ fere creditur, ut nos.

Porro Meyer quidem in versibus, quorum ratio est haec:

Iustitia inviolata malis placidissima virgo

cum Lachmanno caesuram statuit in arsi altera, ita ut in Paulini carminibus semiternariam exhibeant versus hi:

XIX, 260: Humanam invenere suam. Nunc ergo reorum,
XXI, 656: Felicem incusare meum quasi sequitur istis,
XXVII, 176: Laetitiam enarrare meam, quare munera Christi.

Sed si eundem virum doctum sequimur, in versibus his:

V, 3: Principio extremoque carens, antiquior aevi,
Val. Flacc. IV, 351: Exilia intentisque canit videre priores

esset caesura semiquinaria. Iisdem adeo versibus utitur, ut verbum encliticum '*que*' pro se ipso stare posse demonstret.

Iam quae caesura est, si neque elisio in arsi altera neque vocula '*que*' exstat in arsi tertia? Id, quod invenimus his locis:

---

1) De quinque versibus, qui eximuntur, vide infra p. 53.

XV, 266: Sic meus educente deo || geminatur per atra,
XVI, 299: Donec et adspirante deo || conatibus aegris,
XVIII, 293: Et capis includente deo, || quo cuncta tenentur,
XIX, 598: Claruit admiranda dei || cernemus operta,
XX, 87: Passibus elucente die || simul aggere plano,
XXI, 452: Ad genus emigrare tuum et || caelestia magis,
XXI, 771: Quo magis exuperante tuam || bonitate querellam,
XXI, 784: Moenibus influxisse tuis || et tempore in ipso,
XXVI, 111: Nunc opus adiutore deo || solusque timendus,
XXVII, 222: Undique convenisse diem || Felicis amore,
XXVII, 227: Sensibus adspirare precer || quasi munere tanto,
XXVII, 274: Si placet inspiciamus adhuc || mysteria regni,
XXVII, 330: Credulus ingeminabo rogans ||; dic quaeso redisti,
XXVII, 373: Laetior inlustraret honos ||; et aperta per arcus,
XXVII, 400: Nam quasi contignata sacris || cenacula tectis,
XXVII, 563: Immolat ignoscenda tamen || puto talia parvis,
XXVIII, 6: Cernitis emicuisse pari || splendentia cultu.

Non inutile duco hoc loco iterum monere omnes hos versus ea re similes esse, quod primo pede verbum finitur. Id non observatur in solis quinque versibus his:

XX, 432: Illa rebellis et humanis || non subdita vinclis,
XXI, 487: Quam praecelsa superbarum || fastigia rerum,
XXIII, 75: Hostis amare quid insultas || qua spe ruis in nos,
XXVIII, 117: Promo tenensque manu adversis || procul ingero flammis,
XXXI, 569: Incorrupta profanorum || quoque corpora surgent.

Quibus consideratis iam neque versibus XVIII, 107 et 253 caesuram semiquinariam esse contendes, cum exstet ipsa semiternaria, quae cum tertia trochaica accedente incisione bucolica in ceteris quoque versibus invenitur.

Sed redeamus ad versum:

Iustitia inviolata malis placidissima virgo.

Supra commemoravi Meyerum in hoc versu demendam esse putare vocalem ineuntis verbi[1]) *inviolata* et caesuram post arsin alteram *in* || *violata* esse existimare. Eadem ratione in versibus:

Iussa tamen | Teucri exsequitur || classemque revisit
Cum sic unanimam adloquitur || male sana sororem

statuit incisionem post tertiam arsin. Inveni similes versus apud Paulinum hos:

V, 69: Fungantur | membra officiis || nec saucius ullis,
VI, 40: Adstitit ac | veste insignis || venerabilis ore,
X, 105: Culta prius | vestrae oblitum || consortia vitae,
X, 128: Quae volumus | : quid me accusas? || si displicet actus,
X, 239: An⟨ne⟩ tibi, o | domine inlustris, || si scribere sit mens,

[1]) 'Die lateinischen Dichter sahen ja, dass von den griechischen Dichtern hie und da eine Anfangssilbe elidiert wurde', Meyer l. l. p. 1047, adn. 1.

XI, 29: Vulnere tam | tenera offensae || quam libera culpae,
XII, 10 et XIII, 5: O pater, o | domine, indignis || licet adnue servis,
XIV, 61: Gaurus alit, | laeta exercent || qui Massica quique,
(XV, 196: Quantasque ex | homine induerat || caro subdita poenas),
XVI, 141: Causa fuit | neque herois || virtutibus ista,
XVI, 289: Servitium, | subitam omnipotens || de sentibus uvam,
XVI, 178: Quae quondam | mundo abductum || pavere prophetam,
(XVIII, 212: Dum paucis | magnum exiguis || que opus eloquor orsis),
XIX, 451: Nocte nefas | tacita arripuit || nulloque labore,
XIX, 558: Conscia sic | mentem inpietas || caecaverat, ut nec,
XX, 147: Me fateor | merito exitium || cepisse patique,
XX, 376: Ingenio | porcum, ignotis || ut tramite recto,
XX, 43: Felicem | parili audivit || pietate benignus,
XXI, 644: Quae cecini || digne ediderim || vel cuncta profusi,
(XXII, 27: In quibus et | linguam exercens || mentem quoque sanctam),
XXIII, 153: Neglexit | solito adductum || restringere nodo,
XXIII, 258: Ne timeat | tuto ausurus || producere ferrum,
XXIII, 313: Martyris hoc | opere ingentes || cui contulit olim,
(XXIII, 321: Proderet et | merito illius || curaque doceret),
XXV, 157: Descendens | tacito adlapsu, || velut imber ab alta,
XXV, 183: Et quia iam | Christum induti || deponimus Adam,
XXV, 227: Ille iugans | capita amborum || sub pace iugali,
XXVI, 398: Quae tulimus | paene absumptis || incendia tectis,
XXVII, 41: Ceteraque his | paria Aegypto || multasque per oras,
XXXI, 583: Aut illum | gremio exceptum || fovet almus Abraham,
XV, 34: Nec tibi difficile omnipotens || mea solvere doctis,
XVI, 195: Nil opis humanae indignum || solamine Christi,
XVIII, 13: Qua quis possit ope ingenii || linguaque reique,
XVIII, 434: Quos miser hesterno amissos || deflerat eosdem,
XIX, 101: Nomine ferali abscondens || venerabile nomen,
XIX, 356: Ut quasi mercede officii | pretiumque laboris,
XIX, 444: In quibus admissi inpietas || insignior esset,
XX, 172: Iure retraxisti iniectis || pro crimine vinctis,
XXI, 66: Et simul Eunomia aeternis || iam pacta virago,
XXI, 484: Illic infandae acturus || commercia fraudis,
XXI, 570: Iugiter adfluere innumeris || ope divite donis,
XXI, 589: Marmoris adfixi argenti || vestita metallo,
XXI, 652: Et per vestibula extentis || circumdata late,
XXI, 761: Respicere oblita humanis || mea vota putabas,
XXIII, 123: Heu! iam vicini incautus || discriminis ibat,
XXIII, 151: Sed puer exstincto abstulerat || qui numine lychnum,
XXVI, 68: Nunc ad laetitiam affectus || quam causa timoris,
XXVI, 213: Et dum natalem ipsius || celebramus ovantes,
XXVII, 473: Quod si etiam interdum obveniat || defectus aquarum,
XXVIII, 151: Praestitit inde parem incensae || quia liquerat illic,
XXXI, 105: Ipsaque iudicii iniusti || rea facta vicissim,
XXXII, 73: Hic quia navigio Ausonias || advenit ad oras,
Ep. 50, 55: Nomine divino argentum || venerantur et aurum.

Iam vides duplicem rationem versuum esse distinguendam. Alii enim caesuram post arsin alteram exhibent, in aliis deest haec

incisio. In utroque autem versuum genere Meyer putat adesse caesuram semiquinariam. At nequaquam huic opinioni adsentior. In versibus enim XXVII, 41; XXI 66 et 761 aut caesura incidit in media verba *Ae*‖*gypto, ae*‖*ternis, hu*‖*manis* aut, si demitur vocalis ineuntis verbi, non adest arsis longa. Ergo de illa caesura his in versibus sermo esse non potest. Neque caesuram in tmesi statuere licet, cum haec non reperiatur nisi post praepositionem aut '*in*' negativum. Quare in priore genere versuum metrum inciditur tantummodo post arsin alteram et quartam. Eiusdem formae sunt eamque prae se ferunt versus plurimi, quos Birtius secundae formae adnumerat; nam in his quoque plerumque cum thesi secunda verbum finitur (cf. Mueller., p. 206).

Iterum videmus in illis versibus, qui incisione carent post arsin alteram, verbum terminari post dactylum primum.

Porro fit quaestio, utrum caesura versuum XI, 9 et XXXII, 208 in verba composita incidat necne. Legitur enim:

XI, 8 s.: Cura mihi semper fuit et manet officiis te
Omnibus excolere, adfectu observare fideli,
XXXII, 208: Quique invisibilem inconprensibilemque fatetur.

Ad quam quaestionem solvendam priusquam accedam, praemittam ea, quae de hac verborum distractione extra caesuram apud Paulinum invenimus.

Primum igitur illud Vergilii (Buc. VIII, 17: *praeque diem veniens;* Aen. X, 794: *inque ligatus*) Paulinus imitatus est

XXXI, 408: Procurare bonis praeque cavere malis.

Deinde tmesi distraxit *antequam*

X, 5: Nulla tua vidi scripta notata manu,
Ante salutifero felix quam charta libello
Dona negata . . . daret.

Eodem referendum est '*inque vicem*' (XXI, 409; XXV, 145; XXVI, 215; XXVII, 347; XXXI, 109), quod enclisi in unum verbum coierat apud Latinos (cf. Schweizer-Sidler, p. 10). Facile autem ferri potest tmesis in verbo *circumiaciendi*

XXVI, 258: Et tua captivi iaceant vestigia circum.

In metro quidem Sapphico, ubi diligenter servatur caesura post arsin tertiam, *in* negativum abscinditur incisione metrica hoc in versu:

XVII, 210: Semper a bello[1]) in‖domiti negarunt.

---

[1]) Animum attendas quaeso ad elisionem duriorem, qua tmesis hoc in versu adiuvatur; in iis, quae sequuntur, hanc synaloephen iteratam videmus.

In versibus autem heroicis, quos supra attulimus, dubitari nequit, quin poëta depingere studeat et Dei immensitatem et suam ipsius sollicitudinem inquietam, qua magistrum prosequitur, quae cura ne respirandi quidem praebet facultatem. Ex quo effici mihi videtur ex mente Paulini versus illos non interruptos proferendos esse nihilque interesse, utrum caesuram quandam in tmesi statuamus necne.

Est ergo, ubi Paulinus ad conformandam metrorum et sententiarum rationem a tritis caesuris recedat. Quod in his quoque versibus videre licet:

XV, 308: **Felicis | videt ora | sui amplexusque vicissim,**
XXIII, 85: **Excussum | de plebe | rapi admotumque sacratis,**
XIX, 274: **Utque manu | prensante | comam excutiuntur in altum,**
XXVII, 186: **Nonne tua | ducente | manu adventasse fatebor,**
XVIII, 269: **Conquerar immemoremque | mei accusabo patronum,**
XIX: 428: **Longius argentoque | levem amandare lucernam.**

Non negabis alteram versus partem imprimis verborum iambicorum elisione, quae in hoc pede alibi non invenitur nisi ante verba monosyllaba, artissime cum praecedentibus coniungi, quod ubique apte cum sententia convenit. Quare si caesuram in tmesi statuendam esse putas, hoc observes, ex mente poëtae eam, quantum fieri potest, esse reprimendam.

His non inepte adiungemus duos versus, in quibus caesura tertia trochaica, ut metrum concordet cum sententia, sine incisione bucolica, sed cum trithemimere admittitur. Sicut enim sententia in duas partes dividuntur, ita etiam caesura trochaica in partes fere aequales dispertiuntur hi versus:

XX, 88: **Non tenebris | pavitante || nec offendente salebris,**
XXVI, 380: **Ille deus | Danielis || et ille trium puerorum.**

Ceteri quoque poëtae hanc ob causam diaeresin bucolicam (cf. supra p. 50) saepius omiserunt. Ut pauca adferam, Lucretius omnibus locis cum incisione tertia trochaica et trithemimere coniungit bucolicam exceptis his versibus:

IV, 1068: **Ulcus enim | vivescit || et inveterascit alendo,**
V, 1361: **At specimen | sationis || et insitionis origo,**
IV, 460: **Et sonitus | audire || severa silentia noctis,**
VI, 435: **Coniectu | trucidatur || et extendatur in undas,**
VI, 1122: **Qua graditur, | conturbat || et immutare coactat.**

Deinde apud Vergilium, qui cum Ovidio rarissime hanc caesuram formavit, hi versus carent diaeresi bucolica:

Aen. V, 781: **Iunonis | gravis ira || neque exsaturabile pectus,**
VII, 711: **Ereti | manus omnis || oliviferaeque Mutuscae,**
XII, 617: **Confusae | sonus urbis || et inlaetabile murmur,**
III, 707: **Hinc Drepani | me portus || et inlaetabilis ora,**
III, 269: **Qua cursum | ventusque || gubernatorque vocabat,**

VIII, 725: Hic Lelegas | Carasque ‖ sagittiferosque Gelonos,
IX, 574: Turnus Ityn | Cloniumque ‖ Dioxippum Promolumque,
IX, 764: Alcandrumque | Haliumque ‖ Noëmonaque Prytanimque,
X, 749: Massapus | Croniumque ‖ Lucaoniumque Erichaeten.

Qui numerus versuum ex ceterorum poëtarum carminibus augeri potest. Porro caesura trithemimeres deest in his Vergilii versibus:

IV, 316: Per conubia nostra ‖ per inceptos hymenaeos,
IV, 486: Spargens umida mella ‖ soporiferumque papaver,
V, 591: Frangeret indeprensus ‖ et inremeabilis error,

quibus simillimi sunt versus Paulini:

XIX, 34: Solvere collyrioque ‖ medentis inungere Christi,
XIX, 428: Longius argentoque ‖ levem amandare lucernam.

Denique unum versum inveni apud Paulinum, cui omissa trithemimere est caesura tertia trochaica cum incisione bucolica:

XIX, 429: Sed miser ambitiosus ‖ et ipsa in | fraude superbus.

Ut paucis complectar, quae modo exposui, has caesuras legitimas apud Paulinum me statuere posse puto (cf. Meyer. p. 1074 s.):

1. — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓
2. — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⁞ ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
3. — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓
4. — ⏑ ⏑ ⁞ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓
5. — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ‖ ⏑ — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ — ⏑
6. — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ‖ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
7. — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ‖ ⏑ — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ — ⏑.

B. De caesuris metrorum iambicorum.

Deinde *caesuram trimetri iambici,* ad quam convertimur, post thesin tertiam ceteris esse elegantiorem ex omnium poëtarum carminibus elucet. Eam Paulinus quoque magni aestimavit, qui easdem leges, quibus penthemimeren in hexametro formavit, hoc in metro observavit. Itaque maxime eo delectabatur, uti verba socianda in fine et prioris et alterius versus partis seponeret. Atque videas quaeso XX versus iambicos carminis XXXIII, in quibus haec poëtae cura in promptu est. Deinde LVIII[ies] in caesuram sententiae clausula incidit. Tum verbum, quod est ante incisionem metricam, raro cum voce, quae sequitur, synaloephe coniungitur; nam quattuor solos huius generis versus (XXI, 201: *tempore* ‖ *aut;* XXIV, 407: *breve* ‖ *aere*[1]); 415: *propinquantem* ‖ *aedibus;* 707: *forsitam* ‖ *in*) invenire potui. Raro autem semiseptenaria loco semiquinariae adhibetur. Nam,

[1]) Locus dubius.

si Muellerum sequimur, qui statuendam esse putat hephthemimeren, non penthemimeren, si post thesin quartam cum verbo finitur sententiae aliqua pars, semiseptenaria exstat in his versibus:

X, 91: Cui cuncta sancta iura, || cara nomina,
XXIV, 81: Novatianus ille, || discissam fidem,
211: Commenta domini mira; || mersus aequore.
483: Ditavit humili corde, ut || aeternam tibi,
605: Et illa Samso gesta, || quae priora sunt.

Solam autem hephthemimeren invenies his locis:

XXI, 122: Iccirco nos magistra || providentia,
XXIV, 599: Saül in hoc deficiat || et regnet David,
813: Sapientiae monile || gloriae stolam.

Tmesi quoque Paulinus usus videtur esse (cf. supra p. 55); nam in his versibus:

X, 65: Se cogitari, intellegi, credi, legi,
XXIV, 747: Et sustinendo iniquitatis vincula.
917: Meridiano incendio mundi repens,

aut nulla est caesura — in versu enim XXIV, 747 synaloephe prohibemur, quin incisionem post dipodiam primam statuamus — aut exstat in tmesi. Nequaquam vero offendemur distracta praepositione, *in || ter*, quia saepius a poëtis Latinis tmesi dirimitur (cf. Mueller., p. 461 s.). In versibus quoque XXI, 187 et 229 statuam penthemimeren in verbis compositis. Nam hephthemimeres in priore versu minus grate incideret inter voces *exortus est*, at post praepositionem *ex*, si voce subsistimus, figura parisosis adest, in posteriore autem illa stabilienda esset in synaloephe, a qua poëta vel in semiquinaria abhorruit. Legere igitur malo versus ita:

XXI, 187: Felix ad illam ex || ortus est potentiam,
XXI, 229: Retroacta vel prae || sentia humani status.

Denique cum pessime se habeat diaeresis post tertiam arsin, melius post primam vel alteram dipodiam, non illam, sed hanc exstare puto XXIV, 659: *quo capite liberi super || taetrum caput*, praesertim cum contulerim hos versus:

VII, 3: Et in via | peccantium || non manserit,
XXIV, 179: Tabulis adhuc || supernatabat extimis,
895: Pietatis admirabili || mysterio.

Neque tamen negare possum vel diaeresin post tertiam dipodiam ipsis verbis *super taetrum caput* excusari.

III. Quemadmodum verborum accentus rationem habuerit Paulinus.

Iam ad aliam partem transeamus, quae, si non iucundior, tamen est certior. Quam quidem certiorem non dico, quasi inter viros doctos de vi accentus rhythmici constet, sed quod facile statui potest, ubi congruit accentus, quem rhythmicum dicimus, cum ictu metrico. Itaque rationes, quas Mueller (p. 233 sqq.) adfert, secuti rem, quoad possumus, absolvere studebimus.

Per se patet quaestionem, quae est de ratione, quam Paulinus verborum accentus habuerit, maximi esse momenti, quod hic iam proxime accedit ad ea tempora, quibus poëtae spretis metrorum legibus in carminibus condendis ad solum verborum accentum respexerunt. Quam quaestionem, quatenus ad hunc poëtam spectat, magna cum cura tractabo. Aggrediamur igitur ad versum heroicum caesura semiquinaria divisum, de cuius duabus partibus ita agemus, ut primum ea, quae sunt circa initium, adferamus.

Atque 'primum quartumque pedem uno vocabulo effici nihil vetare' contendit Froehde[1]).

Cui quidem sententiae numeris nisus, quos ex singulorum poëtarum carminibus adfert, opponit Birtius (p. 15) 'invenustum stare atque iners in pede primo verbum spondiacum, quod cum fine pedis finitur consentientibus accentibus'. 'Haud secus,' inquit, 'displicebit pes quartus spondiacus, si antecedit caesurae, cui nomen bucolicae.' Et in p. 19 contendit 'per totam litterarum Latinarum historiam molestias illas formarum spondiacarum ab inelegantioribus magis admissas esse, magis vitatas ab optimis poëtis, ita ut inter nobiliores certe fuerit etiam aliqua progressionis per saecula continuatio et poëtarum unumquemque hac in re certam suam secutus sit consuetudinem ....' Ad quam sententiam accedit L. Mueller, qui dicit (p. 240) accentuum varietatis causa 'non prorsus esse laudatum primum aut quartum pedem dactylica constare voce et minus etiam spondiaca, qua nimis gravati ac tardati velut pedestres fiant numeri.'

Quaerentes igitur, quam Paulinus hac in re secutus sit normam, 841 vocabula dactylica invenimus in ineunte versu hexametro posita. Exceptis vero CLXXIX versibus Paulinus verbo spondiaco hac in sede abstinuit et demptis versibus, ubi consilio et arte in sede prima ponitur vox spondiaca — qui versus non sunt pauci — sane valde differunt dactylorum et spondeorum numeri.

---

1) 'De hexametro Latino,' Philol XI, 1856, p. 533 et 538.

At, si accuratius perscrutamur versus, in quibus verbum dactylicum primum pedem occupat, certam aliquam cognoscere me puto Paulini rationem; neque enim dactylicum vocabulum posuit, nisi cum eius fine aliqua fit sententiae intermissio. Quam rem plerumque esse causam admissae vocis dactylicae non inepte mihi concludere videor his de causis:

Primum enim in pede primo CCCXCII^ies^ finitur enuntiatum et quidem CCCXL^ies^ verbo dactylico.

Deinde plus CCC^ies^ verbum dactylicum artissime cohaeret cum ultima versus, qui antecedit, voce; qua re certe fit, ut voce subsistatur. Idem valet, si verbum ex enuntiati structura evulsum particulae aut pronomini, ex quo pendet sententia, anteponitur, velut:

II, 1 s.: **Pauperis ut placeat carum tibi munus amici**
Munera ne reputes, quae mittis ditia nobis.

Tum dactylicum cum proximo verbo cohaerens LV^ies^ invenies respondere verbis postremis. Cf.:

I, 4: **Agmina viscatis suspendit credula virgis,**
XXI, 21 s.: **Hostibus Augusti pueri victoria pacem**
reddidit . . . ,
X, 103: **Defore me patriis tota trieteride terris.**

Denique ad sententiam stabiliendam novum argumentum petere possum ex distichi structura. Nam, cum in hoc versuum genere omnibus fere locis fine pentametri sententia quoque concludatur et pars prior pentametri iisdem ac versus heroicus legibus subiecta sit, plures in prima pentametri quam hexametri sede inveniri verba dactylica consentaneum est. Re vera in primo pede pentametri nobis legentibus occurrunt CV verba dactylica, in hexametro LV, ex quibus haud iniuria colligi posse puto verba dactylica in primo pede saepe poni, si accentu, ut ita dicam, logico praedita sunt.

Idem in verba spondiaca, quae hac in sede invenimus, quadrare videtur. Qua positione certe vis, quae in spondeo inest, augetur. Spondiaca enim verba suo iure maioreque vi in prima sede posita inveniri supra commemoravimus. Conferas quaeso hos versus:

XIII, 1: **Felix, hoc merito quod nomine, nomine et idem**
qui merito . . . .
XIV, 1: **Venit festa dies caelo, celeberrima terris.**

Quid autem de pede quarto valeat, iam videamus. Qua in sede Paulino verborum accentus cum ictu numerorum discrepantiam quam maxime acceptam fuisse, ex eo patet, quod caesuram semiquinariam 2940^ies^ sequitur vocabulum in arsi quarta finitum. Neque tamen hic fugit vocabulum, quod explet etiam thesin tertiam finitque in thesi quarta; verba autem, quae spondeo terminantur, verbis, quae in dactylum desinunt, eum praetulisse numerus

probare videtur; nam illud DCCCXX[ies] inveni, hoc CCCL[ies]. Ceterum hoc vix fundatur eo, quod spondeum hoc loco dactylo praetulit.

Si vero vox, quae pedem quartum occupat, non complectitur thesin tertiam, iterum maior est numerus verborum dactylicorum quam spondiacorum. Idem autem, quod in pede primo cognovi, in hac quoque sede observavi. Nam ex CCCC dactylis, qui uno verbo constant, quinquaginta sex in fine enuntiati positi sunt, centum triginta quinque arte cum verbo, quod antecedit, coniunguntur. Verbi gratia adfero LXXXII[ies] praepositionem collocari in thesi tertia, sequi substantivum dactylicum in pede quarto; cf.:

I, 2: Quas latitans filicis sub tegmine callidus auceps,
III, 9: Et qui regnavit sine nomine moxque Sesostris,
II, 11: Oro libens sumas nec vilia dedigneris,
V, 14: In caelo solium, cui subdita terra sedenti,
68: Non animo doleam, non corpore; cuncta quietis,
73: Nec timeat mortem bene conscia vita nec optet,
85: Et responsuris ferit aëra vocibus Amen.

Iam hoc loco e Birtii libello numeros quosdam adferam, ut facilius conferre possimus huius poëtae rationem cum ceterorum consuetudine. Semel igitur exstat in vv.:

apud	in	in pede I.		in pede IV.	
		Spond.	Dact.	Spond.	Dact.
Horat.	Sat. I	16 (34 exempla)	$8^8/_{11}$ (78)	$4^8/_{13}$ (117)	—
	Epist. I.	10 (58)	$7^5/_8$ (75)	5 (117)	—
	Art. poët.	$23^4/_5$ (20)	7 (78)	6 (80)	—
Vergil.	Bucol.	22 (37)	$5^{13}/_{30}$ (150)	$7^1/_3$ (111)	$8^{13}/_{15}$ (92)
	Georg. I.	$34^3/_4$ (23)	$6^1/_2$ (123)	8 (100)	$16^2/_3$ (48)
	Aen. I.	$33^1/_3$ (30)	$7^1/_2$ (133)	$9^3/_7$ (106)	$26^1/_3$ (38)
Tibull.	I.	$20^1/_4$ (20)	$16^7/_8$ (24)	7 (59)	24 (17)
Ovid.	Amor. I.	32 (12)	6 (63)	$8^1/_4$ (47)	14 (28)
	Art. am. I.	$29^3/_{13}$ (13)	$6^1/_{64}$ (64)	$8^1/_5$ (47)	$12^2/_5$ (31)
	Met. I.	$55^2/_5$ (14)	$4^1/_3$ (179)	$7^1/_2$ (103)	$10^1/_9$ (77)
	Trist. III.	79 (5)	$6^1/_3$ (62)	$9^1/_3$ (43)	$12^7/_{10}$ (31)
	Fast. I.	$72^2/_5$ (5)	5 (72)	$6^2/_3$ (54)	$9^1/_2$ (38)
Stat.	Theb. X.	$72^1/_4$ (13)	—	$13^7/_9$ (68)	—
	Silv.	29 (17)	—	8 (63)	—
Paulin.	—	$40^6/_{45}$ (173)	$8^1/_4$ (841)	$26^1/_2$ (261)	$16^1/_2$ (420)
—	additis verbis, quae thes. III. compl.:			$5^1/_4$ (1321)	9 (772)

De accentus autem legibus in caesura Mueller docet (p. 234) nullo pacto bonum esse versum, nisi finis ordinis metrici suos propriosque retinuerit numeros. Secundum quam legem in caesura penthemimere et hephthemimere numerus anapaesticus servandus est.

Neque Paulinus in incisione semiquinaria verbis monosyllabis prorsus abstinuit. Supra enim commemoravimus (cf. p. 46) haud raro in his carminibus caesuram non solum post praepositiones et pronomina relativa, sed etiam post particulas et coniunctiones incidere. Magna vero cum severitate rhythmus anapaesticus servatur. Duos enim solos versus XVIII, 287 et XXI, 364 repperi, in quibus monosyllabum in caesura positum sequitur verbum spondiacum. At facile excusari possunt hi versus, cum monosyllabum encliticum cohaereat cum vocabulo priore et efferatur sententiae vi sequens spondeus. Nam legas quaeso hos versus:

XVIII, 287: In quibus ipsum te subplex adstringo tibique,
XXI, 364: Quam tua circa me, Felix bone, dona referre.

Deinde, quamquam numero anapaestico optime conveniunt verbum monosyllabum et breve et longum cum syllaba brevi vocabuli antecedentis, tamen hanc formam Paulinus multo rarius adhibuit illa, qua aut verbum, quod pyrrhichium aequat, aut duo monosyllaba brevia cum monosyllabo longo componuntur. Exstant enim hoc versus loco 154 vocabula monosyllaba; ex quibus undecim soli versus hi:

VI, 104: Paenituisse sat est |
X, 123: Qui super omne, quod est |
XX, 40: Sed natura, quod est |
XXVIII, 267: Nam breve tempus id est |
XXII, 26: Quanto maior ab his |
XXIII, 157: Armabatur et his |
XXVI, 33: Nec pavor ater in hanc |
211: Concurramus ad hunc |
XXVII, 464: Unde replenda sit haec |
XVI, 243: Observabat et os |
XXI, 707: Nominis huius ut in | [1])

habent monosyllabum, quod coit cum antecedente monosyllabo brevi et syllaba brevi prioris vocabuli. Iam vides enclisi formari rhythmum anapaesticum.

Tum in versibus, in quibus trithemimeres hephthemimeri additur simulque post tertium trochaeum clauditur verbum, de semiseptenaria nihil est, de quo verba faciam (cf. supra p. 47).

In semiternaria autem, in qua sane numerus anapaesticus servari debet, 'propria primi pedis libertas legitimam turbat severi-

[1]) Cf. p. 46.

tatem. Quamquam, quo quis perfectior fuit in arte, eo diligentius trithemimeris proprios custodierunt numeros' (Mueller, p. 244). Qua in caesura ut numerum anapaesticum servaret, Paulinus non omni cura nisus est. In triginta sex enim versibus monosyllabum ponitur post dactylicam aut spondiacam vocem:

V, 10: Mundi quem |
VI, 270: Praedicat hic |
VIII, 28: Amodo iam |
X, 222: Urbibus et |
XII, 19: Consule, iam |
XV, 228: Fulserat et |
338: Unica quod |
358: Muneris, o |
XVI, 171: Muneris hoc |
199: Pocula non |
213: Spiritus et |
XVIII, 231: Algidus et |
349: Aspicit et |
XIX, 209: Hostibus his |
253: Daemones, hi |
390: Mitteret in |
426: Tutius is |
464: Lumina, cum |
XXI, 282: Iungitur hoc |
740: Surgere nec |
759: Fontis, quo |
806: Colligis et |
XXII, 62: Nomine quo |
XXIII, 20: Vocibus et |
63: Ultima iam |
205: Crimine, quem |
211: Pauperis hanc
XXV, 219: Filius est, |
XXVII, 213: Gaudia sed |
351: Tempore. Nam |
442: Corporis ut, |
619: Invidus et |
XXVIII, 48: Cernere nec |
120: Credite nec |
278: Brassica fert |
317: Redditur et |

His autem locis monosyllabum cum verbo dactylico synaloepha cohaeret:

IX, 44: Diruite et |
X, 232: Caesarea est |
XIV, 118: Annuaque hic |
XVIII, 102: Respicio hanc |
337: Excussa ut |

XIX, 357: Praesidia ad |
XX, 400: Adgressi hanc |
XXVI, 359: Congruere et |.

Neque in altera forma hexametri tripartiti, cui verbum terminatum trochaeo tertio deest, dactylus aut spondeus, qui uno verbo constat, abest a sede prima. Tribus quidem locis (X, 151: *consilio ut;* XV, 196: *quantasque ex;* XXVII, 41: *ceteraque his*) verbum monosyllabum cum tali voce elisione cohaeret, at remanent sex versus (VI, 40; XI, 25; XIX, 295; 558; XXIII, 313; 321), ubi synaloephe deest. Minus vero durus est versus XXVIII, 257, in quo post vocem monosyllabam enuntiatum finitur et verbum ipsum arte cohaeret cum praecedente. Est autem versus:

Actibus his, quibus invigilat mens mortua Christo.

Praeterea in caesura principali semiseptenaria verbum monosyllabum ponere Paulinus sibi non indulsit, nisi elisione cum verbo antecedente coeat (XV, 345: *depositum hoc;* XX, 20: *materiam ex*). In ceteris autem versibus, quibus haec caesura est, miram invenimus similitudinem conformationis. Atque primum quidem Paulinus non delectatus est verbis, quae totum inter has caesuras spatium complent — non plures quam quinque versus huius formae invenire potui (VI, 183; IX, 38; XVI, 255; XIX, 295; XXXI, 593) —, at XXXII[ies] pyrrhichius aut monosyllabum longum post caesuram trithemimeren cum proximo verbo in unam quasi vocem synaloepha coalescit. Verbi gratia adfero:

VI, 40: — | veste insignis |
X, 105: — | vestrae oblitum |
239: – | domine inlustris |.

Reliquis versibus haec est accentus forma: ‖ ⏑́ ⏑ | – ⏑́ ⏑ – ‖.

Tum in versibus, qui omissa trithemimere vocabulum terminant in tertio trochaeo sequente caesura semiseptenaria, omni studio servavit legem, quam ceteri poëtae secuti sunt (cf. Mueller., p. 246), non apte finiri verbum in tertio trochaeo, nisi idem verbum simul expleat pedem secundum. Quater quidem Paulinus hanc legem migravit, at ei non crimini dabimus versum

XVI, 67: Cernitur; ipse nec ipse vir est. Cum sit prope, longe est,

quoniam versus structura optime quadrat cum sententia. Elisione autem et arto verborum nexu excusatur hic versus:

XXI, 675: In tua vestibula atque domos manare dedisti.

Relinquuntur hi duo versus, qui minus placent:

IX, 48: Nec minus ille beatus erit, qui parva tenebit,
XIX, 298: Adforet. Inde perennis honos et gloria sanctum.

Postremo in caesura trochaica quam rationem Paulinus secutus sit, cum omnes ea instructos versus supra (p. 47 sqq.) attulerimus, exponere necessarium non est.

Restat, ut agamus de iis, quae sunt circa finem versus heroici.

Hoc loco primos adferam versus, qui in quinto pede spondeum exhibent. Cuius generis versus optime terminari uno verbo, quod pedem quintum et sextum explet, per se patet, quoniam hac structura vis et gravitas, cui hi versus serviunt, maxime augetur. Quare apud Paulinum quoque XXVII versus leguntur, in quibus hic usus observatur. Verbo dispondiaco autem XII[ies] anteponitur verbum dactylicum vel monosyllabum longum cum pyrrhichio, in ceteris versibus pyrrhichium, quod adnectitur spondiaco vel anapaestico; solus versus XVIII, 122, qui tribus spondeis clauditur, in semipede sexto et pede quarto exhibet verbum, quod aequat ionicum a minore:

Certatim populus pietatis circumfusus.

Si vero verbum molossicum exstat in fine, in quattuor versibus (X, 253; XV, 181; XVIII, 33; XXI, 568) praecedit vox anapaestica. Idem dici potest de versu XXIII, 173, in quo verba *cadat út* in anapaestum coeunt; in versibus autem XVI, 118 *(araneolis obductis)* et XXI, 461 *(culminibus sublimes)* vox praemittitur anapaesto maior. Quam si conferimus rationem cum ceterorum poëtarum usu, sane recedit Paulinus ab usu trito; raro enim poëtae Latini verbum molosso minus longum ante semipedem nonum ponunt[1]).

Iam ex numero versuum, quibus in pede quinto est dactylus, non plures quam XVII inveni, in quibus unum verbum pedem quintum et sextum complectitur. Uno nomine proprio (X, 191: *Bellerophontis*) excepto invenies substantiva et verba cum simplicia tum composita (V, 9: *anticipator;* X, 156: *participantum;* XI, 25: *simplicitatis;* XV, 262: *discipulorum;* XV, 287: *convenienti;* XVI, 103: *obstipuerunt;* XVI, 254: *ambitionem;* XIX, 396: *praecipitavit;* XIX, 521: *egredientis;* XX, 130: *opperienti;* XX, 378: *advenientem;* XXI, 462: *ambitiosas;* XXI, 826: *praenituisti;* XXV, 87: *sollicitatis;* XXVII, 214: *praececinistis;* XXVIII, 121: *omnipotenti;* XXVIII, 250: *nocticolores*).

Deinde de verbis tetrasyllabis in fine versus heroici collocatis accurate scripsit Plewius[2]). Ex iis, quae hic vir doctus adfert, elucet poëtas Latinos, quo maiore cum cura et elegantia suos quisque

---

1) Cf. Viertel, *De versibus poët. Lat. spondiacis* in Nov. ann. phil. vol. LXXXV, p. 811.

2) Der viersilbige Versschluss des Hexameters (in Nov. ann. phil. vol. XCIII, p. 631—642).

versus condiderit, eo studiosius evitasse hunc versus exitum. Cuius frequentiam apud singulos scriptores, quos perscrutatus est Plewius, adferam. Atque invenitur verbum quattuor syllabarum in exeunte versu positum semel apud Horatium inter 116 versus; apud Persium inter 216; apud Iuvenalem inter 79; apud Vergilium inter 261; apud Ovidium inter 1500; apud Catullum inter 134; apud Valerium Flaccum inter 799; apud Statium inter 2823; apud Lucretium inter 46. Paulinus Vergilii fere rationem imitatus est; haec enim exstat numerorum proportio: 6872 : 30 = 229. In verbis autem, quae cum Vergilius tum ceteri poëtae admittebant, quam maxime ab iis recedit. Namque illi paucis versibus exceptis sola verba Graeca receperunt (Vergilius 52 : 47; Ovidius 8 : 7), quod hic ter (XV, 53: *patriarchas;* XVI, 224 et XXXIII, 96: *paradisi*) fecit. Praeterea XVI[ies] vocem monosyllabam ponit in arsi quinta (X, 13; 172; XIV, 28; XV, 53; 60; 359; XVI, 140; 224; XXI, 575; 840; XXII, 81; XXVI, 115; XXVII, 13; XXVIII, 241; p. 51, 73; 279, 9), quod cum Vergilius tum Ovidius evitare studebant, quibus placuit verbum Graecum praemittere verbo Graeco.

Melius numeri dactylici versus heroici servantur in versibus, in quibus verbum trochaicum aut in trochaeum exiens synaloepha cum verbo sequente, quod aequat ionicum a minore, cohaeret; qua verborum coniunctione thesis artius cum arsi conectitur. Qua in re Paulinus ceteros poëtas secutus est in his versibus: XV, 143: *posse aboleri;* XIX, 547: *circum agitabat;* XX, 292: *carne alimentum;* XXXI, 627: *miserante habeamus.* Omissa vero synaloepha versus huius clausulae retardari et impediri Paulino visum esse ex his locis cognoscere licet, ubi non sine consilio adhibetur illa conclusio:

XIX, 536 sqq.: . . . . fassusque per illos
Octo decemve dies, quibus ire paraverat urbem
Romuleam, inplicitis ita se pedibus retroactum,
Semper ut ire parans, semper retrahente rediret
Nescio quo. . .

XX, 260 s.: Saevior et morbis et vulneribus medicina
In corpus grassata meum est . . . .

Item in versu XXVI, 380, quem iam attulimus *(ille deus Danielis et ille trium puerorum),* hic exitus consulto positus videtur esse.

In compluribus aliis versibus verbum monosyllabum vim attrahendae thesis accipit ex magno pondere, quo in ineunte enuntiato ponitur, velut:

XIV, 28: Velatumque oculis mortalibus, at manifestum
Auribus . . .

XXVIII, 241: Nec modo commissum peccati sed meditatum.

Denique duobus locis (XXI, 463; XXVIII, 44) verbum *porticibus* minus numerose anteponitur verbo tetrasyllabo.

Iam ex iis, quae supra dicta sunt, patet Romanis non satisfecisse versum, cuius pes quintus compositus est ex extrema syllaba vocis complurium syllabarum et verbo pyrrhichio. Cuius structurae versus XXXV apud Paulinum exstant, duobus vero solis versibus XVI, 97 *(ferratis dare valvis)* et XIX, 567 *(spatiabatur sibi rure)* exceptis sola thesis pedis quarti cum arsi quinta cohaeret (VI, 9: *potuit dare mundo;* VI, 30: *coniunx huic alma;* VI, 151: *salve pia virgo;* IX, 39: *versa vice nostra;* XIV, 51: *avidis mora noctis;* XIV, 91: *gemino bene caelum;* XIX 426: *quoniam minus esset;* XIX, 664: *parili pede constat;* XX, 18: *geminos dedit una;* XXI, 89: *Christo duce missis;* XXI, 590: *gemino patet ore;* XXI, 621: *primus labor illis;* XXI, 760: *promptos fore fontes;* XXII, 52: *fuerit prius aevo;* XXIII, 319: *signum dare servis;* X, 151: *Christi fore dum sum;* XVI, 153: *quoniam tua mecum;* XVIII, 82: *quantumque erit aevum;* XVIII, 371: *adhuc sibi credit;* XXII, 27: *mentem quoque sanctam;* XXIII, 204: *magno reus ingens;* XXVI, 358: *operum quoque formas;* XXVI, 287: *operum tibi dispar;* XXVII, 575: *idem tibi discors;* XXVIII, 73: *fateor mihi id ipsum;* XXXI, 535: *operam dare curis;* XXXI, 629: *operam dare qua te;* XXXII, 101: *Chronon quia tempus;* 292, 18: *agnis genus haedi).* Sane invenustas crescit, si post quintam arsin enuntiato finito intermissio augetur et pes metricus diripitur. Quo mendo duo versus XXI, 721:

> Praebuit ubertim gratis operis. Locus altis

et XXIII, 265:

> Et puto plus hodie solito niteat, quia lumen

laborant.

Ingratum quoque, immo minus tolerabile esse verbum monosyllabum in semipede ultimo, cum voce complurium syllabarum huic antecedente numerus dactylicus non bene efficiatur, per se patet[1]). Triplicem autem formam distinguere possumus; praemittitur enim voci monosyllabae verbum aut duarum aut trium aut quattuor syllabarum. Sed in promptu est versus formam, quam altero loco commemoravi, multo minus placere ceteris, quia et quinti et sexti pedis numerus perturbatur. Quare hanc versus structuram Paulinus sibi non permisit, nisi simul pede quarto finitur verbum, quocum coit sententiae quoque clausula. Deinde duobus locis arsis quinta cum sequente thesi synaloepha coalescit. Iam ipsos versus, qui huc pertinent, adferam. Legimus igitur:

---

[1]) Cf. I. La Roche: 'Zur griechischen und lateinischen Prosodie und Metrik', in Stud. Vind. XIX, p. 7 s.

XV, 303: Hinc animae sensus, calor ossibus atque oculis lux,
XXVII, 250: Ante lacum viventis aquae sedet, hic etiam tres,
XXVIII, 105: Nil ope de nostra praesumimus. Unde etenim vis.

Enclisi praeterea res mitigatur in his versibus:

X, 181: At mihi non eadem cui gloria cur eadem sit,
XIX, 124 s.: Quae divina putas, si di sunt nec miseri sunt,
Aut si sunt miseri, di non sunt atque homines sunt.
XXVIII, 118: Ut clipeum retinens pro pectore, quo tegerem me.

Tum minus placet vocabulum monosyllabum in fine collocatum, cui antecedit vox, quae pedem quintum et semipedem paenultimum amplectitur. Quam versus conclusionem esse insolentem vel Paulinum sibi persuasum habuisse ex ipsis exemplis patet. Namque non utitur ea, nisi ut describat res plane insolitas, quae contra naturae leges fiunt, aut designet res, quae fieri nequeunt. Quod ut probetur, sufficit ipsa Paulini verba adferre. Scribit enim:

XVIII, 157: Ilico sed positis ex ossibus emicuit lux,
XX, 145 s.: Hac in sede miser, qua, si miser adveniat quis,
Efficitur felix!
XX, 190 s.: Coetibus; ipse iacens etiam nunc erigitur spe
Increpitansque moras . . . .
XXI, 439: Fenore seque ipsum credentibus efficiet rem,
XIX, 2: Defore, mella favis, aqua fontibus, uberibus lac.

Cui denique non in mentem venit illud Horatii (Ep. II 3, 139): *parturiunt montes, nascetur ridiculus mus* vel Vergilii (Georg. I, 181): *tum variae inludant pestes: saepe exiguus mus,* qui legit Paulini versum (XIX, 360):

De modica sacri stipe corporis exiguus ros?

Idem poëta a versus clausula, quae verbo iambico et monosyllabo efficitur, abstinuit et, ubi eam sibi indulsit, iniucunditatem mitigare studuit ita, ut sententia efficiatur artus verborum conexus qui deest numeris; cf. X, 195: *crede ergo, pater, nos;* XI, 31: *gestasse quidem me;* XV, 316: *Christoque meam me;* XVIII, 267: *heu quid agam nunc;* XIX, 647: *mens una, triplex vis;* 690: *atque crucis vim;* XX, 195: *totasque iubet mox;* 249: *sanavit apud nos;* 283: *oro, tuus me;* 321: *superante pedum vim;* 333: *manebat iners sus;* 345: *notumque suem vir;* XXI, 349: *debere, cui me;* 428: *caelestis emit spem;* 857: *sorte sui iam;* XXII, 95: *lecta fuit gens;* 103: *in utroque maris vis;* XXVII, 7: *ita compensare moras, ut;* 23: *ille die fit;* 320: *magna super me;* 525: *pendebat aquae mons;* 610: *generisque mei sim;* XXVIII, 72: *temnenda quidem vox;* 287: *ira, levis spes;* XXIX, 4: *esto meis fons;* XXXI, 189: *fuge, culpa. Ruit mors.* Quibus in versibus non sine consilio factum esse credo, ut plurimi (X, 195; XV, 316; XIX, 647; XX, 249; XXII, 95; 103; XXVII, 23; 525; 610; XXVIII, 72; 287; XXXI, 189) exhi-

beant caesuram semiseptenariam aut sententiae clausula proxime antecedat; qua re vox ipsa utpote vividior rhythmum trochaicum format, praesertim cum enclisi verba arto conexu cohaereant. Tum in versu XX, 333 de industria monosyllabum in ultimo semipede collocatum est. Nam legas versum:

Ille, sua pressus qui mole manebat iners sus.

Iam ut Paulini rationem conferre possis cum aliorum poëtarum consuetudine (vide La Roche, p. 8 s.), hoc loco adferam versuum clausulas, in quibus verbum monosyllabum cum monosyllabo coit:

III, 4 et quos; V, 52 et si; VI, 47 non vult; 294 nam quo; 305 qua te; VIII, 10 es tu; X, 136 ex hoc; 151 dum sum; 239 sit mens; 270 Cum me; XI, 27 non fert; XII, 22 ad te; XIV, 60 aut quos; XV, 3 in quo; 12 et pro; 21 in te; 46 laus est; 245 et se; 327 et me; XVI, 66 et non; 76 et dat; XVIII, 168 etiam urbs sit; 268 de te; 303 per te; 401 ad se; 452 in me; XIX, 121 aut quid; 137 et quod; 168 in qua; 180 in se; 237 quae nos; 388 ut fur; 397 est plus; 449 et cum; 532 in qua; 548 et cum; 558 ut nec; 612 et nunc; 720 o crux; XX, 36 in se; 39 non est; 175 quae nunc; 179 non est; 184 et quae; 224 et rex; 272 ut me; 289 ut iam; XXI, 54 in nos; 284 nam quos; 358 nec ex his; 489 haec spes; 430 at res; 431 et rem; 445 in rem; 477 et nunc; 496 in re; 569 in nos; 619 ad nos; 637 ut iam; 786 a te; 812 non est; XXII, 56 per quod; 71 et fit; 141 et cum; XXIII, 74 est crux; 75 in nos; 218 ne me; 227 nunc me; 276 et qua; 292 et qui; XXV, 53 ut sit; 59 ut sit; 169 non est; 177 quae non; 179 nec mas; XXVI, 414 per te; XXVII, 130 et cor; 145 est me; 195 quod me; 201 haec sunt; 296 pro me; 315 et me; 417 et nos; 547 hic est; 645 ut tu; XXVIII, 190 et dat; 282 in me; 324 in se; 325 a se; XXXI, 167 et quam; 185 vel quae; 213 iam non; 261 ut nos; 509 at tu; 629 qua te; XXXIII, 84 in se; 86 sunt haec; 127 et te; App. I, 67 nec se; 101 in te; III, 3 ex quo; 75 his est; 113 quam sis; 197 per te; 199 par est; 205 per quem; 227 ex te.

Rarius ergo quam Ovidius verbi *esse* formas monosyllabas in versus fine posuit Paulinus; in eo autem cum illo poëta congruit, quod pronominum personalium atque relativi et interrogativi pronominis casus monosyllabos in hac versus sede collocavit. Numero deinde vocum monosyllabarum Paulinus Lucretium fere aequat, in cuius 7393 versibus CXVII[ies] monosyllabum cum monosyllabo hoc loco coniungitur.

Ex XCVII verbis trisyllabis pedis primi XXXV ita ponuntur, ut sententia iis finiatur et totidem cum voce, quae antecedit, arte cohaereant.

Deinde pentametri partem priorem, cum leges illius partis hexametri sequatur, quae antecedit caesurae penthemimeri, paucis verbis absolvere possumus.

Atque verba monosyllaba ante caesuram posita non invenies nisi duo (XXV, 66: *divinum in;* XXV, 146: *Christum in*), quae synaloepha verbis antecedentibus adnexa esse vides. Verba iambica, quae non-

nulli poëtae a caesura pentametri arcebant (cf. Meyer, p. 1032) LXIX[ies] occurrunt.

Deinde idem, quod supra de verbis dactylicis in hexametri pede primo collocatis statuimus, in pede primo pentametri reperimus.

In exeunte iam pentametro verbum iambicum optime poni cum ceteris poëtis tum Paulino visum esse inde elucet, quod saepius quam in alio versu haec clausula nobis legentibus obvenit. CCLIX[ies] enim vox iambica hoc loco exstat.

Verba autem trium aut quattuor syllabarum in ultimo pede aeque sunt frequentia; illa enim CXX[ies], haec CIV[ies] inveniuntur. Hic commemorandum esse mihi videtur omnibus fere locis verbis choriambicis praecedere verba dactylica, ita ut LXXXVIII[ies] in sede quarta numerus dactylicus optime servetur. Eandem ob causam in versibus, in quibus verbum monosyllabum incidit inter vocabulum dactylicum et anapaesticum, vox monosyllaba omnibus locis arte cohaeret cum verbo, quod sequitur.

Tum in sede extrema hic passus non est aliam vocem monosyllabam exstare atque *est* (XXI, 293: *sunt*), cui verbum pyrrhichium anteponi solet:

XXV, 174: Mente coit cui vir non homo sed deus est,
182: Membra quibus Christus corporis in caput est.
216: Munus opusque dei! qui minor, hic pater est,
XXXI, 46: Gaudentemque deo flere nocens amor est.
424: Ingentes plagas flumine flere opus est.
602: Nominis, accitus tempore quo datus est.

In pede quarto CCV verba dactylica reperiuntur. Quem numerum, si confers cum LXXXI versibus, in quibus primo loco verba dactylica posita sunt, certe concludere licet hoc loco Paulinum accentus et ictus metrici discrepantia minus delectatum esse. Sed ne modum excedas neve statuas poëtam in quarta sede numerum dactylicum omni cura servare studuisse, obstant, ut hoc unum adferam, plus triginta versus, in quibus vox monosyllaba verbum anapaesticum praecedit. Qua de causa hoc solum statuere licet, Paulinum in hac sede libertate usum esse.

In iambis, ut rhythmus servetur, caesura semiquinaria incidere debet aut post verbum trochaicum vel in trochaeum exiens aut post duo monosyllaba. Atque illa forma ut elegantior plurimis locis exstat; duo monosyllaba, quae enclisi arte cohaerent, in solis versibus XXI, 171 *(in quo)*; XXIV, 215 *(cum sit)*; 393 *(ad nos)*; 487 *(es nunc)* inveniuntur, in XII versibus (XXI, 111; 167; 176; 258; XXIV, 73; 343; 387; 417; 447; 491; 497; 677) monosyllaba verbo antecedenti synaloepha adnectuntur.

Proclisi verborum excusantur duo versus, qui verbum monosyllabum post verbum iambicum exhibent: XI, 67: *mori sic*‖; X, 35: *suis ut*‖[1]).

In eodem versu exeunte Paulinus omni cura numerum iambicum servat. Plurimi enim versus in verbum iambicum desinunt et exceptis verbis encliticis (XXIV, 605: *priora sunt;* 639: *gesta sunt;* 820: *mixtus sit*) monosyllaba non admittuntur nisi in tribus versibus (X, 37; XXIV, 167; XXIV, 492), in quibus *et* hoc loco invenitur; synaloepha autem cum voce antecedente cohaeret.

Non minore cura Paulinus versum, quem sapphicum minorem dicimus, tractavit. In uno enim solo versu XVII, 145 *(ducat hunc aeque famulum suum dux)* consilio monosyllabum in fine positum esse mihi quidem videtur. Cum ceteris vero poëtis verbum spondiacum, quod tertium et quartum semipedem complectitur, hic non admisit.

Adonium quoque inveni (XVII, 72: *quae rapiunt te*), in quo versu rhythmus dactylicus enclisi verbi monosyllabi efficitur.

Asclepiadei autem minoris pedem ultimum trochaicum formavit excluso ab hac sede monosyllabo.

Restat, ut de Paulini sententiarum clausulis agamus.

IV. De sententiarum clausulis.

Perspicuum est poëtas, qui in verborum ordine liberiores erant, in clausulis sententiarum ordinandis non severiores leges sibi imposuisse. Neque vero minus patet sententiae intermissionem magis convenire cum fine ordinis metrici quam cum quovis alio loco aut paulo ante aut statim post incisionem metricam; ita enim, quoniam vox pronuntiantis subsistit in fine sententiae, fit, ut aliqua numerorum pars minus recte abstrahatur ab iis, ad quae pertinet.

Paulini carmina iam si spectamus, hoc observare licet, verba, quae in soluta oratione primum locum obtinere non possunt, numquam in ineunte versu aut statim post caesuram esse collocata.

Omni vero hic poëta studio nisus est, ut in fine pentametri distichi argumentum finiatur. Quae sententia exceptionibus, quas invenimus, omni ex parte firmatur. Nam parenthesi mediis sententiae verbis iniecta, quae occurrit XXI, 301, ceteri quoque poëtae sententiam

[1]) Huc pertinet versus X, 101: *amans, mi.* At de lectione versus non constat. Exhibent enim codices:

ignosce amans (*amens:* N V; *amice:* W; *amanti* H n v) *si geram, quod expedit.* Legendum esse '*clemens*' putat Zechmeister, Hartelius proponit '*mi*' vel '*mihi*'.

protraxerunt in distichon sequens (cf. Mueller., p. 267). Idem admittitur in enumeratione, velut in Ep. 49, 33 sqq.:

Haec bona libertas Christo servire et in ipso
Omnibus esse supra. Non dominis hominum,
Non vitiis servit, non regibus ille superbis
Tantum qui Christo se dederit domino.

Etiam intra ipsum distichon sententiae apte conveniunt cum metro, nisi quod caesura in versibus XXV, 65 et 146 minus grate incidit inter praepositionem et substantivum.

Discrepare autem numeros et sententiarum clausulas in versibus XXXI, 253 sqq.:

Et certe nil terra mihi spondere nec ausa est
Nec potuit; quin et saepe fefellit ager
Vix commissa sibi reddens sata; ...

non vituperabimus, sed laudabimus; bene enim hoc sententiae respondet.

Neque in semipede primo pentametri neque in thesi quarta neque in arsi quarta neque in pede quinto invenies sententiam terminari.

In trochaeo quidem primo quinquies (X, 12; XXX, 6; XXXI, 216; 524; 620) enuntiatum finitur; sed unius generis hi quinque versus sunt. Ter enim sequitur particula copulativa *et*, semel coniunctio finalis *ut* (XXXI, 524), semel particula adversativa *sed* (XXXI, 620), quas voculas Paulinum magna cum libertate modo ad ea, quae antecedunt, modo ad ea, quae sequuntur, traxisse ex plurimis locis patet. Subsistere autem vocem post pedem primum haud est absonum.

Tum in hexametri caesura persaepe concurrere finem orationis cum numerorum fine supra commemoravimus. Paulinum autem non abhorruisse a caesura, quae inter verba arte coniuncta incidit, ex versibus illo loco allatis elucet.

Post alterum dactylum interpunctionem in solo versu X, 204 inveni. Est versus hic:

(Quid tu mihi) ...... ninguida Pyrenaei
Obicis hospitia, in primo quasi limine fixus —?

Quo loco duram esse intermissionem, quamvis aliqua ex parte mitigetur synaloepha, concedes.

Graviorem vero intermissionem in thesi secunda reperimus in versibus XXI, 411 et XXXII, 53. Vix autem fallor ratus interpunctionem in illo excusari oratione properante. Dicit enim Paulinus se in quavis vitae condicione Felice adiutore praestantissimo usum esse:

Inque vicem sensi Felicem adsistere nostris
Rebus in omne bonum per cuncta domique forisque
Conficienda. Mihi res et defensio rerum
Unus erat Felix......

Quae non differre mihi videntur ab usu nostro, ex quo praecedentem enumerationem intermittimus post verbum 'kurz'. Neque durior est intermissio in altero versu:

> Quid dicam diversa sacra et dis atque deabus
> Condita templa? Loquar, quae sint Capitolia primum.

Vel levem intermissionem in hac versus parte Paulino ingratam visam esse ex parvo versuum numero colligo, qui hanc incisionem exhibent. Neque enim plures quam septem sunt (XV, 243; XIX, 510; 606; XX, 40; XXI, 707; XXIII, 157; XXVII, 467).

Quod syllabam brevem, quae sequitur caesuram, Paulinus interpunctione non seiunxit, haud mireris; nam haud gratam esse enuntiati clausulam post tertium pyrrhichium per se patet. At non omnibus locis Paulinus hac abstinuit. Mitigatur autem plurimis locis aut elisione (XIX, 402: *alia ut novistis;* XXI, 621: *facere*; *et;* XXVII, 459: *quoniam, etsi;* XXVII, 501: *domino et*; cf. XXI, 272: *mecum et;* XXVII, 264: *septem et*) aut nexu, quo inter se cohaerent sententiae velut:

> XX, 362: Si tamen hi careant duce, quo via luceat illis,
> XXVII, 393: Quaeque prius pilis stetit, haec modo fulta columnis.
> XXVI, 309 s.: .... tam prodigiali
> Daemone distentus fuit, ut iam ....;

eodem referri potest versus XVIII, 64:

> Non qui sed de quo loquar, exaudite libenter.

Atque adeo arte excusatur, quod aliis locis minus gratum est. Qua ratione versus XIV, 32 apte in duas partes dividitur:

> Una dies cunctos vocat, una et Nola receptat.

Neque aegre feremus intermissionem in versu XXI, 48. Dubius enim animus sententia a metro discrepante bene depingitur. Nam legas quaeso hos versus:

> Unde igitur faciam texendi carminis orsum?
> Quae bona Felicis referam? quae multa per omnes
> Passim agit, expediam magis, anne domestica dicam
> Munera?

Minus autem placent hi versus:

> XVIII, 142: Totis, qua caelum patet, occurrentia portis.
> XX, 164 s.: Occultasset enim meriti discrimen iniquo
> Corporis inlaesi vigor et vinxisset inertem
> Mens durata reum .....
> XXI, 616: Quo magis hoc mirum foret, intervalla dierum,
> XXVII, 480: Aspice nunc aliud latus: ut sit porticus una.

Totiens fere post trochaeum quintum invenimus enuntiatum clausum, quotiens post dactylum quintum legitur; illic enim XXX[ies], hic XL[ies] sententia terminatur.

Deinde duo versus commemorandi sunt, in quibus monosyllabum in extremo semipede positum interpunctione abscinditur, dico versus XXVII, 7 et XXXIII, 98. Illic particula *ut* minus venuste in fine versus collocatur, hic vero enuntiatum, quod incipit, non ad finem perducitur; Baebianus enim (XXXIII, 98):

. . hoc dicens: 'Unum sumus ambo et idem', quae
Ingeminans sancto placidam sic ordine complens
Finem, euangelico vitam in sermone refudit.

Tum in pede primo — iam ad ineuntem hexametrum tractandum aggrediamur — enuntiatum persaepe quidem finitur; sed supra commemoravimus poëtam ut sententia verbo dactylico clauderetur studuisse.

Atque primo trochaeo XXXII^ies^ sententiam finiri passus est neque graviore interpunctione abstinuit, cf. XIX, 506; XX, 424; XXVII, 116 al.

Semipedem autem primum interpunctione a ceteris seiunctum venustate carere non dubitabis dicere; a qua interpunctione vel Paulinus refugit. Nam in iis versibus, in quibus gravius interpungitur elisione impedimur, quominus respiremus, id quod fit:

XVIII, 29: Cedo: alii pretiosa ferant donaria meque,
XXIII, 280: Fixum, impune diu tenuem pressisse metallo,
XXVI, 412: Flamma et consumpto moreretur languida pastu.

Praeterea in arsi altera CLXXXII^ies^ legitur interpunctio.

Gravius feremus, versus finem fieri inter praepositionem et substantivum vel inter verba arte cohaerentia. Quae licentia, qua Paulinus in versu XV, 12 usus est, facile excusatur iterata praepositione:

Pro cunctis opibus cunctisque affectibus et pro
nobilibus titulis

Quem versum apte conferre possumus cum his:

III, 4: Regnatas multis, quos fama oblitterat et quos,
V, 55: Si scelere abstineo errori obnoxius et si,
XXIII, 276: Qua pituita gravis pilus intolerabilis et qua,
XXIII, 292: Perdita caecatis qui lumina reddidit et qui,
XXXI, 167: Ergo tenete fidem, quam cernitis, insuper et quam.
185: Quae, rogo, sufficient nobis solacia vel quae.

Videas quaeso verborum collocationem; eadem aut in ineunte et exeunte versu aut in initio et fine alterius partis sibi opponuntur.

Iam ad sententiarum clausulas metri iambici examinandas transeamus. Supra tres versus (X, 37; XXIV, 167; XXIV, 492) attulimus, in quorum fine particula *et* exstat. Quibuscum versibus apte componuntur verba sancti Pauli (Cor. I, 27), quae adfert Paulinus his versibus:

XXIV, 458: (Deus) non stulta iam tantum neque
Infirma mundi defluentis eligit.

A ceteris vero versus partibus excepta caesura graviorem sententiae intermissionem prohibuit. Nam illa, quae legitur in versu XXIV, 85:

Ut esset onerum portio. In navem suam

elisione tollitur.

In reliquis quoque metris Paulinus omni studio elaboravit, ut sententia apte cum metro coiret. Vel leviorem discrepantiam, si hanc dicere licet in versu XXXIII, 49, synaloepha auferre studet. Scribit enim Paulinus:

Tunc ille: o mulier, nescia quid petas.

Denique uno loco XVII, 73 s. ludere mihi videtur oppositione verborum *odimus* et *amamus*, quae magna cum vi et in ineunte et in exeunte versu collocantur. Qui versus sunt:

Odimus quamvis, sed easdem (vias) amamus;
Odimus quod te retrahunt, amamus
Quod tuum nobis procul attulerunt
Cernere vultum.

Sed his rebus commemoratis oratio ad finem perveniat. Iam paucis verbis si complector, quae hoc opusculo me lucratum esse puto, statuere me posse credo Paulinum Nolanum artem metricam magna diligentia coluisse propeque in ea re accedere ad optimorum poëtarum rationem. Quibuscum concinunt, quae Alexander Baumgartner, litterarum ille aestimator, in libro, quem inscripsit: 'Geschichte der Weltliteratur' (tom. IV, p. 151), de Paulini oratione et genere dicendi profert his verbis: 'An Vertrautheit mit den Klassikern, besonders Vergil und Horaz, kommt Paulinus seinem Lehrer Ausonius zum wenigsten gleich, an Gewandtheit in Sprache und Ausdruck erreicht er ihn meist, an eigentlichem poetischen Geist und Schönheitsgefühl übertrifft er ihn bei weitem. Er hat die antiken Versformen (Hexameter, Distichon, Epoden, sapphische Strofe) wirklich gewandt und lebendig mit dem neuen christlichen Stoff durchdrungen und beseelt.'

Index

I. Locorum tractatorum.

II. Rerum metricarum memorabilium.

DE

A. CORNELII CELSI

RHETORICA

SCRIPSIT

DR. IUSTINUS WOEHRER.

Ex omnibus A. Cornelii Celsi scriptis soli de medicina libri octo exstant. Quos qui perlegerit egregios esse cognoscet atque omnino ea probabit, quae C. Darembergius de iis scripsit[1]: 'Quo saepius.. Celsum perlegebam, eo magis me detinuit cum dicendi nitor ac brevitas tum perspicacitas iudicii sensusque verax et ad agendum accommodatus, quibus omnibus genuinam nobis repraesentat civis Romani imaginem . . . Quodsi rem naturalem ac medicam spectes, permultis sane additamentis augeri possit opus Celsianum, vix tamen pauca quaedam reperias, quae resecanda sint . . . Utique clarissimis linguae latinae monumentis accensendum est'.

Quare ceteros quoque A. Cornelii Celsi libros satis magni ingenii speciem prae se tulisse conicere possumus. Profecto eos, quos ille de re rustica conscripsit, probat Columella, velut II 2, 15: *Cornelium Celsum non solum agricolationis, sed universae naturae prudentem virum* et IX 2, 1: *Venio nunc ad alvorum curam, de quibus neque diligentius quidquam praecipi potest quam ab Hygino iam dictum est nec ornatius quam Vergilio nec elegantius quam Celso . . . Celsus utriusque memorati adhibuit modum.* Atque ea, quae idem de philosophia scripsit, laude fuisse digna ipse Quintilianus indicat X 1, 124: *scripsit non parum multa Cornelius Celsus, Sextios secutus, non sine cultu ac nitore.*

Itaque vel eius rhetoricam, quamquam Quintilianus omnia fere, quae ex ea adfert, corrigit et reprehendit, minime exilem fuisse suspicamur; immo vero eam perisse maxime nobis dolendum videtur esse. Accedit alia res, quae ut in Celsi rhetoricam inquiramus nos excitat; Quintilianum enim multa ex ea sumpsisse veri simillimum est.

Totius quaestionis instituendae fundamentum esse ea, quae scriptores veteres tradunt, manifestum est. Qua de causa primum *testimonia* et *fragmenta*, quae ad Celsi rhetoricam referenda sunt, colligamus.

[1] Praef. edit. p. V.

I. Testimonia.

1. Quintil. Instit. orat. III 1, 21: *Scripsit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, non nihil pater Gallio, accuratius vero priores [Gallione]*[1] *Celsus et Laenas et aetatis nostrae Verginius, Plinius, Tutilius.*

2. Iuvenal. Sat. VI 242 ss.:

Nulla fere causa est, in qua non femina litem
moverit. Accusat Manilia, si rea non est.
Conponunt ipsae per se formantque libellos,
principium atque locos Celso dictare paratae.

3. Schol. Iuvenal. Sat. VI 245: *Celso dictare paratae*] *oratori illius temporis, qui septem libros Institutionum scriptos reliquit.*

Quia et Iuvenalis versus et interpretis verba maximi sunt momenti, de iis accuratius agamus oportet.

Atque Iuvenalis haec dicere vult: Illae mulieres rerum forensium tam peritae sunt, ut patronis non indigeant, sed ipsae sibi libellos componere et formare possint, atque arte oratoria adeo sunt institutae, ut Celsum, qui tam accurate de principiis et locis (i. e. de arte oratoria) egit, docere paratae sint. — Neque enim dubium est, quin *principium* et *loci* ex rhetorica sumpta sint et ad rhetoricam pertineant, non ad ius civile. Accedit, quod etiam verba *componere* et *formare* rhetoricam libellorum compositionem indicare videntur. Si vero hoc loco de rhetorica agitur, Iuvenalis de A. Cornelio Celso locutus est, non de P. Iuventio Celso iuris perito. Haec est simplex interpretatio; quaelibet alia est contorta neque difficultatibus caret[2]. Quare Madvigio[3]

---

[1] Vocem *Gallione* cum Fr. Rittero (in Nov. annal. phil. XXXVIII, 57) tamquam interpretationem eicere malo.

[2] veluti C. Kisselii in libro, qui inscribitur: 'Aulus Cornelius Celsus. Eine historische Monographie', p. 51 ss.

[3] N. Madvigius haec scribit (Opusc. acad. p. 546, adn. 2): 'Celsum praetorem plerique P. Iuventium Celsum iurisconsultum intelligunt, quem nescio unde (nam ego nullam prorsus auctoritatem reperio eius rei nec in Plinii epist. VI 5 ullam

et Friedlaendero[1]) et Rittero[2]) adsentiri malo, nequaquam autem iis Iuvenalis saturarum editoribus, qui de Iuventio Celso cogitant[3]). Neque negari potest etiam Iuvenalis interpretem nobiscum facere, qui adnotat ad vocem *Celso*: *oratori illius temporis, qui septem libros Institutionum scriptos reliquit.* Qui quin minus accurate Celsum *oratorem illius temporis* vocaverit, dubium non est. Qua in re non offendemus, si eius scribendi rationem cognoverimus. Atque verba *illius temporis (illo tempore)* apud eundem interpretem leguntur his locis:

ad sat. III 98: *Nec tamen Antiochus*] *hi illius temporis comoedi fuerunt.*

ad sat. III 251: *Corbulo vix*] *alii dicunt athletam illius temporis fortem Corbulonem fuisse, alii genus navis.*

ad sat. V 90: *cum Boccare nemo lavatur*] *quidam illo tempore, qui putenti oleo se unguebat in balneis.*

ad sat. VI 87: *Paridemque reliquit*] *difficile est deserere consuetudinem. Paridem dicit illius temporis pantomimum, quem postea ob adulteratam uxorem ab eo suam (Domitiam) Domitianus occidit.*

ad sat. VI 236: *Advocat Archigenen*] *medicum magnum illius temporis.*

ad sat. VI 280: *Quintiliane, colorem*] *Quintilianus orator egregius illo tempore. Ergo quasi ad ipsum loquitur: dic orator colorem ad defensionem huius causae.*

ad sat. VII 91: *Et Baream tu, nobilium*] *nobiles illius temporis.*

ad sat. X 221: *Quot Themison aegros*] *archiater illius temporis, cui detrahit.*

ad sat. X 222: *Quot Basilus*] *advocatum illo tempore praevaricatorem.*

Ex his locis, quos exscripsi, aliquo saltem modo definiri posse opinor, quantum temporis spatium vocabulis *illius temporis* indicetur.

ad sat. III 98: Iuvenalis hoc loco quattuor comoediarum actores nominat: Antiochum, Stratoclem, Demetrium, Haemum. De Antiocho nihil est traditum. Stratoclis autem et Demetrii mentionem facit Quintilianus (XI 3, 178): *maximos actores comoediarum, Demetrium et Stratoclea, placere diversis virtutibus vidimus.* Sed quia Quintilianus de iis non loquitur nisi tempore praeterito (178:

---

video temporis notam), a. 855 (102 p. Ch.) praeturam gessisse statuunt, *eundemque sat. VI 245 nominatum putant*, scholiastam sequentes (?); nam poetae verba *(principium et loci)* multo magis oratorem quam iurisperitum significant'.

[1]) D. Iunii Iuv. Sat. libri V, vol. I, p. 311, adn. ad v. 245.

[2]) l. l. p. 60.

[3]) velut Heinrichius et Weidner.

vidimus, fuit, erat; 179: *poterant, decuit, adiuvabatur;* 180: *dabat)*, eos, antequam ille Institutionis oratoriae librum undecimum composuit, mortuos esse manifestum est. Dicta igitur sunt verba *illius temporis* de hominibus, qui, cum Iuvenalis hanc saturam scripsit, de vita iam decesserant.

ad sat. III 251: Iuvenalis hoc loco Cn. Domitii Corbulonis mentionem facere videtur, qui, postquam imperatore Claudio in Germania (Tac. Ann. XI 18—20), imperatore Nerone in Armenia legionibus praefuit (ibid. XIII 34—41; XV 3—6, 9—17, 25—31), a Nerone occisus est anno LXVII p. Chr. n. (Tac. Hist. II 76); eum corpore ingentem fuisse commemorat Tac. Ann. XIII 8: *ne, si . . . Suriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens.*

ad sat. VI 87: Paris pantomimus florebat imperatore Domitiano (Sueton. Dom. 10).

ad sat. VI 236: Archigenes Apameus Syrus Romae medicus erat celeberrimus imperatore Traiano: Suid. s. h. v.: *Ἀρχιγένης . . . ἐπὶ Τραϊανοῦ ἰατρεύσας ἐν Ῥώμῃ.*

ad sat. VI 280: Quintilianus natus est circa annum XXXV p. Chr. n.; decessit ante annum C.

ad sat. VII 91: P. Egnatius Celer anno LXVI falso testimonio effecit, ut Barea Soranus, cuius magister et cliens et amicus fuerat, damnaretur (Tac. Ann. XVI 32; cf. Hist. IV 10).

ad sat. X 221: Hic Themison idem esse videtur, cuius Celsus in libris, quos de medicina conscripsit, septies mentionem facit, veluti I prooem. p. 2, v. 37 ss. (D.): *Ex cuius* (Asclepiadis) *successoribus Themison nuper ipse quoque quaedam in senectute deflexit.*

Ex iis, quae attulimus, verba *illius temporis* non satis diligenter dicta esse manifestum est; interpretem enim, si cuius hominis primi potissimum p. Chr. n. saeculi aetatem accurate indicare non potuit, ea adhibuisse dixerim. Quae cum ita sint, in his verbis *illius temporis* de A. Cornelio Celso dictis minime offendemus.

At interpres *oratorem* appellat Celsum, qui non fuit orator, sed de rhetorica libros composuit. Si ille Celsum rhetorem vocasset, nemo dubitaret de A. Cornelio Celso. Sed vocem *orator* apud eum idem fere significare atque vocabulum *rhetor* facile colliges ex his locis:

ad sat. VI 280 *Quintiliane*] *Quintilianus orator egregius illo tempore. Ergo quasi ad ipsum loquitur: Dic orator colorem ad defensionem huius causae.*

ad sat. VII 217 *rhetoris aera*] *plus oratores accipiunt quam grammatici.*

ad sat. VII 203 *paenituit* (versus hic est: *paenituit multos vanae sterilisque cathedrae*)] *oratores.*

Interpres igitur, quamquam vocabulo *rhetor* usus est (cf. ad sat. VII 204 *Sicut Thrasymachi*] *rhetoris apud Athenas*, ad sat. XVI 23 *Mulino corde Vagelli. In alio Mutinensi*] *Rhetor aliquis de Mutina)*, tamen voces *orator* et *rhetor* promiscue usurpat idque eo modo, ut saepius adhibeat vocabulum *orator* quam voce *rhetor* utatur.

Qua de causa, quominus eum de A. Cornelio Celso locutum esse statuamus, nihil obstare apparet; atque adeo voce *oratori* rhetorem sive quendam, qui de rhetorica scripsit, nequaquam autem iuris peritum significari satis elucet.

Cum Iuvenalis igitur tum eius interpres A. Cornelium Celsum intellegit. Ab eodem rhetoricae, quam Celsus composuit, et inscriptio et librorum numerus memoriae prodita sunt: A. Cornelius Celsus *septem* libros de rhetorica scripsit iisque *Institutionum* vel *Institutionum oratoriarum* nomen dedit. Sicut igitur in codicibus manu scriptis, quibus medicinae libri VIII servati sunt, inscriptio traditur: *A. Cornelii Celsi artium liber VI., VII., . . ., idem Medicinae I., II., . . .,* eodem modo rhetoricae indicem fuisse veri simile est: *A. Cornelii Celsi artium liber x., y., . . ., idem Institutionum* ⟨*oratoriarum*⟩ *I., II., . . .* Quare Quintilianus, cum libris, quos de rhetorica scripsit, *Institutionis oratoriae* nomen dedit, A. Cornelium Celsum in hac re secutus videtur esse. Si vero Celsus septem libros Institutionum composuit, non est mirum, quod Fabius dicit: *accuratius vero . . . Celsus (scripsit)*, quia, si libri rhetoricae tam ampli fuerunt quam medicinae, magnitudine Institutiones oratoriae et Medicina inter se non multum differebant (VII : VIII).

Quibus propositis iam Institutionum fragmenta colligamus.

II. Fragmenta.

fr. 1.

Quintil. Instit. orat. X 1, 23: *Nam de domo Ciceronis dixit Calidius et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiam si egisse eum Cornelius Celsus falso existimat.*

fr. 2.

Ibid. II 15, 22: *Itemque* (atque Theodorus Gadareus) *Cornelius Celsus, qui finem rhetorices ait dicere persuasibiliter in dubia civili materia.*

fr. 3.

Ibid. II 15, 32: *Consensisse autem illis superioribus* (qui rhetoricam a iustitia separaverunt et veris credibilia praetulerunt) *videri potest etiam Cornelius Celsus, cuius haec verba sunt: Orator simile tantum veri petit; deinde paulo post: non enim bona conscientia, sed victoria litigantis est praemium.*

fr. 4.

Ibid. III 5, 3: *Praestantissimis auctoribus placet alia in rhetorice esse, quae probationem desiderent, alia, quae non desiderent, cum quibus ipse consentio. Quidam vero ut Celsus de nulla re dicturum oratorem, nisi de qua quaeratur, existimant; cui cum maxima pars scriptorum repugnat, tum etiam ipsa partitio, nisi forte laudare, quae constet esse honesta, et vituperare, quae ex confesso sint turpia, non est oratoris officium.*

fr. 5.

Ibid. III 6, 13: *Unde rursus alia quaestio, an eum* (statum) *semper is faciat, qui respondet. Cui rei praecipue repugnat Cornelius Celsus dicens non a depulsione sumi, sed ab eo, qui propositionem suam confirmet: ut, si hominem occisum reus negat, status ab accusatore nascatur, quia is velit probare; si iure occisum reus dicit, translata probationis necessitate idem a reo fiat et sit eius intentio.*

fr. 6.

Ibid. III 6, 38: *Celsus Cornelius duos et ipse fecit status generales: an sit? quale sit? Priori subiecit finitionem, quia aeque quaeratur, an sit sacrilegus, qui nihil se sustulisse de templo dicit et qui privatam pecuniam confitetur sustulisse. Qualitatem in rem et scriptum dividit. Scripto quattuor partes legales exclusa translatione, quantitatem et mentis quaestionem coniecturae subiecit.*

fr. 7.

Ibid. III 7, 25: *Idem* (Aristoteles) *praecipit illud quoque, quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit, quia sit quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus: quae eadem etiam contra valent.*

fr. 8.

Ibid. IV 1, 12: *Negat haec* (quae ad actorem causae pertinent) *prooemia esse Cornelius Celsus, quia sint extra litem; sed ego cum auctoritate summorum oratorum magis ducor, tum pertinere ad causam puto quidquid ad dicentem pertinet, cum sit naturale, ut iudices iis, quos libentius audiunt, etiam facilius credant.*

fr. 9.

Ibid. IV 2, 9 ss.: *Sed ut has aliquando non narrandi causas puto, sic ab illis dissentio, qui non existimant esse narrationem, cum reus quod obicitur tantum negat: in qua est opinione Cornelius Celsus, qui condicionis huius esse arbitratur plerasque caedis causas et omnes ambitus ac repetundarum. Non enim putat esse narrationem, nisi quae summam criminis, de quo iudicium est, contineat, deinde fatetur ipse pro Rabirio Postumo narrasse Ciceronem: atqui ille et negavit pervenisse ad Rabirium pecuniam, qua de re erat quaestio constituta, et in hac narratione nihil de crimine exposuit.*

fr. 10.

Ibid. V 10, 4: *Epichirema Valgius adgressionem vocat, Celsus autem iudicat*[1]) *non nostram administrationem, sed ipsam rem, quam*

---

[1]) *verius autem iudico* exhibet B (i. e. consensus lectionum Bernensis et Bambergensis); *Celsus autem iudicat* a b (i. e. manus secunda et Ambrosiani et Bambergensis); *celsus* in A (Ambrosiano) in ras. septem fere litterarum m. 2. scripsit; *autem iudic** A[1]. Halmius et Meister ediderunt: *verius autem iudico*. Rationes, quibus adductus sum, ut lectionem manus secundae Ambrosiani et Bambergensis cum Spaldingio et Bonellio reciperem, hae sunt: illos librarios non coniecturam protulisse, sed libros manu scriptos adhibitis aliis codicibus correxisse constat (cf. Halmii

adgredimur, id est argumentum, quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum verbis explanatum, iam tamen mente conceptum, epichirema dici.

fr. 11.

Ibid. VII 1, 10: *Quod pertinet ad actorem, non plane dissentio a Celso, qui sine dubio Ciceronem secutus instat tamen huic parti vehementius, ut putet, primo firmum aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio, quia et initio movendus sit iudex et summo impellendus.*

fr. 12.

Ibid. VII 2, 19: *In quo quidem genere causarum* (*ἀντικατηγορίᾳ*) *admonet Celsus, fieri id in foro non posse, quod neminem ignorare arbitror.*

fr. 13.

Ibid. VIII 3, 35: *Neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat.*

fr. 14.

Ibid. VIII 3, 47: *Siquidem Celsus κακέμφατον apud Vergilium putat: 'incipiunt agitata tumescere'; quod si recipias, nihil loqui tutum est.*

fr. 15.

Ibid. IX 1, 18: *Cornelius tamen Celsus adicit verbis et sententiis figuras colorum, nimia profecto novitatis cupiditate ductus.*

fr. 16.

Ibid. IX 2, 22: *Hoc* (figuram, qua communicantes aliquid inexspectatum subiungimus) *Celsus sustentationem vocat.*

---

praefat. p. VI et VIII et eiusdem commentationes in Actis academiae Monacensis 1866, I p. 511 et 1869 p. 16). Quare non dubium est, quin in codicibus, ex quibus illi librarii varias lectiones adscripserunt, *Celsus autem iudicat* scriptum fuerit. Utramque igitur scripturam traditam esse statuendum est. Utra autem sit genuina, diiudicandum est. Vix explicari posse puto, quomodo vocabula *Celsus* et *verius* commutata sint; sed facile fieri potuit, ut librarius quidam supra vocem *Celsus* scriberet *verius*, quo illam Celsi sententiam veriorem atque probabiliorem esse indicaret: unde *verius* tamquam genuina lectio videtur recepta. Accedit, ut loquendi rationem *verius autem iudico* apud Quintilianum frustra quaeras. Denique Quintilianus non eam, quae illis verbis continetur, sententiam sequitur, sed eam, quam paulo post adfert: *Aliis videtur non destinata vel incohata, sed perfecta probatio hoc nomen accipere ultima specie ideoque propria eius appellatio et maxime in usu est posita, qua significatur certa quaedam sententiae comprehensio, quae ex tribus minimum partibus constat.*

fr. 17.

Ibid. IX 2, 40: *Illa vero, ut ait Cicero, 'sub oculos subiectio' tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur, nec universa, sed per partes: quem locum proximo libro subiecimus* evidentiae. *Celsus hoc nomen isti figurae dedit. Ab aliis ὑποτύπωσις dicitur proposita quaedam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videantur quam audiri.*

fr. 18.

Ibid. IX 2, 54: *Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero 'reticentiam', Celsus* 'obticentiam,' *nonnulli 'interruptionem' appellant, et ipsa ostendit aliquid adfectus vel irae.*

fr. 19.

Ibid. IX 2, 101: *Celsus tamen et non neglegens auctor Visellius in hac eam parte* (comparationem in figuris sententiarum) *posuerunt.*

fr. 20.

Ibid. IX 2, 102 ss.: *Praeter illa vero, quae Cicero inter lumina posuit sententiarum, multa alia et idem Rutilius Gorgian secutus, non illum Leontinum, sed alium sui temporis, cuius quattuor libros in usum suum transtulit, et* Celsus *videlicet Rutilio accedens posuerunt schemata:* consummationem, *quam Graecus † διαμάχην vocat, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur;* consequens, *ille ἐπακολούθησιν, de quo nos in argumentis diximus;* collectionem, *qui apud illum est συλλογισμός;* minas, *id est κατάπληξιν;* exhortationem, *παραινετικόν. Quorum nihil non rectum est, nisi cum aliquam ex iis, de quibus locuti sumus, figuram accipit. Praeter haec* Celsus *excludere, adseverare, detrectare, excitare iudicem, proverbiis uti, et versibus et ioco et invidia et invocatione intendere crimen, quod est δείνωσις, adulari, ignoscere, fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere figuras putat. Partitionem quoque et propositionem et divisionem et rerum duarum cognationem, quod est, ut idem valeant quae videntur esse diversa, ut non is demum sit veneficus, qui vitam abstulit data potione, sed etiam qui mentem, quod est in parte finitionis . . . Visellius, quamquam paucissimas faciat figuras, ἐνθύμημα tamen, quod commentum vocat, et rationem appellans ἐπιχείρημα inter eas habet. Quod quidem recipit quodam modo et Celsus: nam consequens an epichirema sit dubitat.*

fr. 21.

Ibid. IX 4, 132: *Neque enim accesserim Celso, qui unam quandam huic parti formam dedit et optimam compositionem esse prooemii, ut est*

apud Asinium, dixit: 'Si Caesar, ex omnibus mortalibus, qui sunt ac fuerunt, posset huic causae disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit'.

fr. 22.

Ibid. IX 4, 137: *Vult esse Celsus aliquam et superbiorem compositionem, quam equidem si scirem, non docerem: sed sit necesse est tarda et supina, verum nisi ex verbis atque sententiis. Per se si id quaeritur, satis odiosa esse non poterit.*

[fr. 23.]

[Fortunatiani Art. Rhet. III 2 (p. 121 H.): *Qui rerum gestarum ordo est? Celsus tradit primo firmum aliquid esse ponendum, novissimum esse locum firmissimorum, inbecilliora in medio conlocanda. Cur ita? quia et initio movendus est iudex et novissimo inpellendus*] [1]).

---

[1]) Hoc fragmentum inclusi uncinis, quod Fortunatianum Celsi rhetorica non usum esse, sed ea, quae profert, ex Quintiliano exscripsisse mihi persuasum est, praesertim cum in iis quoque, quae sequuntur, uterque ad verbum fere consentiat:

Quintil. VII 1, 10 sq.

Quod pertinet ad actorem, non plane dissentio a Celso . . . primo firmum aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio, quia et initio movendus sit iudex et summo impellendus. At pro reo plerumque gravissimum quidque primum movendum est, ne illud spectans iudex reliquorum defensioni sit adversior. Interim tamen et hoc mutabitur, si leviora illa palam falsa erunt, gravissimi defensio difficilior, ut detracta prius accusatoribus fide adgrediamur ultimum, iam iudicibus omnia esse vana credentibus. Opus erit tamen praefatione, qua et ratio reddatur dilati criminis et promittatur defensio, ne id, quod non statim diluemus, timere videamur.

Fortunatianus.

Qui rerum gestarum ordo est? Celsus tradit primo firmum aliquid esse ponendum, novissimum esse locum firmissimorum, inbecilliora in medio conlocanda. Cur ita? quia et initio movendus est iudex et novissimo inpellendus. Pro reo non plerumque gravissimum quidque primo movendum est? utique, ne illud exspectans iudex reliquae defensioni sit adversus. Hoc et aliquando mutari potest, si leviora illa palam falsa erunt, gravissimorum defensio difficilior, ut detracta prius accusatoribus fide, id est, cum ea, quae levia obiecta fuerint, refutarimus, adgrediamur ad ultimum crimen. Iam iudicibus omnia infirma esse credentibus, hic quid faciemus? Praeparatione utemur, qua et ratio reddatur delati criminis et defensio promittatur, ne quod non statim diluerimus, timere videamur.

Adde quod Iulius Severianus, quem ex Celsi libris praecepta excerpsisse infra demonstrabimus, plane aliis verbis ad easdem res significandas utitur, qua ex re Quintilianum Celsi verba immutasse colligendum est, quia Iulius Severianus excerptor, ut hoc vocabulo utar, sine dubio auctoris verba fidelius retinuit.

Illa igitur Celsi Institutionum fragmenta ad hanc aetatem pervenerunt. Quae frustula sane pauciora sunt, quam quibus expressam huius rhetoricae imaginem nobis effingere possimus. Sed fortasse sufficient illae reliquiae ad quaestionem tractandam, utrum posteriores artium scriptores ex Celsi libris hauserint necne. Duo profecto inferioris aetatis scriptores hanc rhetoricam novisse et legisse et quaedam ex ea excerpsisse videntur: Iulius Severianus et Isidorus Hispalensis, de quibus iam accuratius acturi sumus.

III. De Iulii Severiani excerptis.

Praecepta, quae Iulius Severianus tradit, in codicibus, qui exstant, sic inscribuntur: *Praecepta artis rhaetoricae (rhet. V, reth. E) summatim collecta de multis ac syntomata (acyntomatos V, ac sumpta E) a Iulio Severiano*[1]). Secundus autem editor, Sixtus a Popma, haec exhibet: *Aurelii Cornelii Celsi de arte dicendi libellus.* Quod si hunc cum R. Reitzensteinio[2]) tantummodo coniecisse statueremus, non intellegeremus, quomodo hunc virum doctum, si eum ex Quintiliani locis, quibus Celsi mentio fit, Cornelii doctrinam in Iulii Severiani praeceptis latere cognovisse adfirmaremus, hunc libellum integram illius rhetoricam non esse fugere potuerit, praesertim cum Fabius diserte illum accuratius de hac re scripsisse testetur. Quare ad verum propius accedere nobis videmur, si Severiani librum in codice, quo ille vir doctus usus est, Cornelii Celsi nomine inscriptum fuisse statuimus, cui sententiae etiam C. Halmius adsentitur, cum (Rh. L. M. praef. p. X) dicit: 'Quod secundus editor, Sixtus a Popma, idem (hunc libellum iam typis exscriptum fuisse) ignoraverat, eo nomine excusandum erat, quod libellum in codice suo non integro alio nomine, *Cornelii Celsi*, inscriptum invenerat.' — Quare illa verba: *Aurelii*[3]) *Cornelii Celsi de arte dicendi libellus* fluxisse veri simile est ex vetere eoque bono fonte, in quo haec praecepta ex Celsi libris excerpta esse adnotatum erat. Iam vero epitomam esse hoc scriptum nemo negabit, qui haec verba legerit[4]): *Forsitan me usurpatorem ardui operis . . . fateare . . ., cum possis advertere n i h i l me rhetorum praeceptis a d i u n x i s s e, sed quae in ipsis sparsim legeram, i n q u a s d a m s e r m o n i s a n g u s t i a s c o a r t a s s e. Denique si haec quisquam digna existimet, quae in manus sumat, reperiet ea me de veteribus perstrinxisse, quibus cotidie ad forensem campum adulescentia*

---

1) cf. C. Halmii Rh(et.) L(at.) M(in.) p. 355, appar. crit.

2) Philol. LVII (1898), 54.

3) Eodem modo Celsi praenomen in codicibus manu scriptis, quibus medicinae VIII libri continentur, corruptum est: cf. Ritteri p. 53.

4) p. 355 (H.).

inbuta proludit. Atque eundem libellum cum Celso propinquitatis quodam vinculo conexum sive rectius Institutionum epitomam esse facile cognoscemus, si illius fragmenta cum his artis rhetoricae praeceptis comparaverimus.

Celsi fr. 3.

Orator simile tantum veri petit; non enim bona conscientia, sed victoria litigantis est praemium.

fr. 11.

Quod pertinet ad actorem, non plane dissentio a Celso, qui sine dubio Ciceronem secutus instat tamen huic parti vehementius, ut putet, primo firmum aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio, quia et initio movendus sit iudex et summo impellendus.

fr. 9.

Sed ut has aliquando non narrandi causas puto, sic ab illis dissentio, qui non existimant esse narrationem, cum reus quod obicitur tantum negat: in qua est opinione Cornelius Celsus, qui condicionis huius esse arbitratur plerasque caedis causas et omnes ambitus ac repetundarum. Non enim putat esse narrationem, nisi quae summam criminis, de quo iudicium est, contineat, deinde fatetur ipse pro Rabirio Postumo narrasse Ciceronem: atqui ille et negavit pervenisse ad Rabirium pecuniam, qua de re erat quaestio constituta, et in hac narratione nihil de crimine exposuit.

Iul. Sev. p. 356 v. 8 ss (H.)

In ceteris fere studiis verum quaeritur, finis autem oratoriae virtutis est veri similia dixisse vel tantum contendisse, quantum res passa sit ad victoriam.

p. 356 v. 26 ss.

Nos primum existimamus actorem quasi membra quaedam facere debere .... Deinde inter ipsa unius generis crimina in primo magna ponito; quae minima sunt, in medium congerantur; quae maxima, ultimis partibus reservabis, ut de Gavi crimine, quod a Cicerone in ultimam partem dilatum est. Ita iudicis animus et occupabitur et validissima maxime memoriae mandabit.


p. 358 v. 14 ss.

Narrari pro eo non expedit, qui omnia, quae ab accusatore dicuntur, tantum modo negat, † nec ibi se fuisse. Talis causa Sullae fuit negantis sibi quidquam cum Catilina convenisse contra rem publicam. Tales fere sunt ambitus causae et repetundarum, in quibus unum rei patrocinium est, nullas se dedisse vel accepisse pecunias, ... Nec aliquam narrationem a Cicerone admissam putemus nisi pro natura causarum: edebat enim non solum patrocinia causarum, sed et exempla dicendi.


Neque ea, quae Severianus de statibus habet, ab iis abhorrent, quae Celsus de hac re proposuit, atque adeo eadem esse putes. Nam *Celsus Cornelius duos ... fecit status generales: an sit? quale sit? Priori subiecit finitionem, quia aeque quaeratur, an sit sacrilegus, qui nihil se sustulisse de templo dicit et qui privatam pecuniam confitetur sustulisse. Qualitatem in rem et scriptum dividit. Scripto quattuor partes legales exclusa translatione, quantitatem et mentis quaestionem coniecturae subiecit*[1]), ut sit hoc schema, quod vocatur:

---

1) fr. 6.



Iulius autem Severianus, qui statuum doctrinam leviter attingit eo loco, quo de argumentorum sedibus agit, haec scribit[1]): *Status tres sunt. Ubi, quod a te factum obicitur, negas, coniectura est: ubi, quod a te factum, fateris, set negas eam vim nominis habere, quam adversarius criminatur, finis est: at si neque de facto neque de nomine ambigitur, sed iure factum contendis, qualitas nominatur. — In finitivo statu quaeritur an sit, puta inminuta maiestas*[2]). — *In qualitate per coniecturam quaeritur quale sit, hoc est, utrum iure factum sit an iniuria*[3]). Quae apte ad hanc formam redigere possumus:



Severianus igitur, quamquam id, quod de hac re dicit, excerpti speciem prae se fert, etiam hoc loco atque hac ipsa in re, qua Quintilianus Celsum a ceteris discessisse testatur, hunc sequitur. Neque enim dubium esse potest, quin eius verba *in finitivo statu quaeritur an sit, puta inminuta maiestas* ad huius fr. 6. referenda sint. Quod non animadvertit Reitzensteinius[4]), qui Severianum aliam atque Celsum opinatur proponere statuum doctrinam, quam Ciceronianam esse colligit ex Orat. 45: *Nam quoniam quiquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, in eo aut sitne aut quid sit aut quale sit quaeritur q. s.* Quod hunc virum doctum minus recte statuisse ex iis, quae supra scripsimus, apparet.

Sed alia res, quam viros doctos fugisse opinor[5]), non omittenda videtur esse. Nam quae Iulius Severianus de fine disputat[6]),

[1]) p. 361, 11 ss. (H.)

[2]) p. 363, 1.

[3]) p. 364, 5 sq.

[4]) p. 56.

[5]) Nam ne C. Halmius quidem quicquam nisi exemplum ex Cic. Inv. II 53 fluxisse adnotat (p. 363).

[6]) p. 363 (H.).

magnam partem cum iis, quae Cicero de eadem re habet[1]), ad verbum fere consentiunt:

Cicero Inv. II.

53. *Primus ergo accusatoris locus est eius nominis, cuius de vi quaeritur, brevis et aperta et ex opinione hominum definitio, hoc modo: 'Maiestatem minuere est de dignitate aut amplitudine aut potestate populi aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare.' Hoc sic breviter expositum, pluribus verbis est et rationibus confirmandum, et ita esse, ut descripseris, ostendendum. Postea ad id, quod definieris, factum eius, qui accusabitur, adiungere oportebit et ex eo, quod ostenderis esse, verbi causa maiestatem minuere, docere adversarium maiestatem minuisse et hunc totum locum communi loco confirmare, per quem ipsius facti atrocitas aut indignitas aut omnino culpa cum indignatione augeatur.*

55. . . . *Deinde defensoris primus locus est item nominis brevis et aperta et ex opinione hominum descriptio, hoc modo: 'Maiestatem minuere est'* q. s. *Deinde huius confirmatio similibus et exemplis et rationibus. Postea sui facti ab illa definitione separatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas aut honestas adaugetur.*

56. *Deinde sequetur adversariorum definitionis reprehensio, quae iisdem ex locis omnibus, quos accusatori praescripsimus, conficitur* (54: *Ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur. Hoc ex opinione hominum sumetur . . . . Item infirmabitur, si turpis aut inutilis esse ostendetur* q. s.). *Locus autem communis erit defensoris is, per quem indignabitur, accusatorem sui periculi causa non res solum convertere, verum etiam verba commutare conari.*

Iul. Sev. p. 363, 2 ss.

15 . . . . . *Iam primus locus accusatoris est, cum de vi nominis quaeritur, ut sit generalis eius definitio brevis et aperta et ex opinione hominum ducta, hoc modo: 'Maiestatem minuere est de dignitate aut potestate populi Romani aliquid derogare.' Quae definitio ut vera probetur, multis argumentis aut rebus vel exemplis similibus confirmabitur: post speciatim factum eius, qui accusabitur, describendo subiunge, ut id, quod reum fecisse arguis, simile sit ad id, quod supra definieris. Ergo generalis definitio erit: 'Maiestatem minuere est de dignitate aut potestate populi Romani aliquid derogare.' Species criminis erit ostendere, quid adversarius specialiter fecerit vel dixerit, ut probetur maiestas imminuta: post loco communi confirmarem, per quem facti atrocitas cum indignatione augetur.* 16. *Defensoris autem locus est, adversarii definitionem prius infirmare, si falsa ex opinione hominum aut inutilis monstrabitur: post suam definitionem, ac si veram, ponere, quae multa argumentatione et exemplis similibus confirmabitur; deinde suscepti factum ab ipsa definitione dissimile esse ostendere, post locum communem subicere, per quem indignabimur accusatorem non res solum, sed et verba in periculum innocentis convertere. Sic Cicero pro Quinctio* q. s.

Itaque quaeritur, utrum illa Iulius Severianus ipse ex libris, qui de Inventione inscribuntur, an Celsus ex Cicerone hauserit. Utrumque sane fieri potuit, sed ad verum propius accedere nobis

[1]) Inv. II 53 ss.

videmur, si apud Celsum ea iam fuisse statuimus. Quem usum esse Cicerone auctore constat; quare in eius libris, si exstarent, sine dubio multi loci Ciceroniani inveniri possent. Nam veteres in locis ex aliis scriptoribus sumendis non tam religiose egerunt quam homines huius aetatis postulant, sed multa nominibus non additis ex aliorum libris transferre non dubitaverunt, veluti Quintilianum ea, quae de augendo et minuendo (VIII 4, 1 ss.) habet, magnam partem ad verbum fere ex Cornelii Celsi libris exscripsisse infra demonstrabimus. Ceterum utrum in Severiani fonte, quem statuimus, Tullii nomen hoc loco laudatum fuerit necne ignoramus; in medicinae quidem libris Celsum saepe scriptores, quorum sententias recepit, nominavisse constat ac nescio an verba Iulii Severiani (p. 361, 8 sq.): *de vitiis argumentorum, quae adversarii male posuerint, plene a Tullio insinuatum est* item ad eius fontem referenda sint. Sed argumentum firmum hoc esse arbitror: artis scriptorem inferioris aetatis, qui se *nihil rhetorum praeceptis adiunxisse* ipse confitetur, Ciceronis praeceptum: *defensoris primus locus est item nominis brevis et aperta et ex opinione hominum descriptio . . . Deinde sequetur adversariorum definitionis reprehensio* commutavisse in illud: *Defensoris autem locus est, adversarii definitionem prius infirmare . . . post suam definitionem, ac si veram, ponere,* nequaquam credere possum. Quare eum etiam ea, quae de finitione habet, ex eodem fonte, ex quo cetera, exscripsisse dixerim totumque eius libellum Celsi epitomam esse statuerim.

Praeter Iulium Severianum Celsi Institutiones oratorias etiam novisse et legisse videtur Isidorus Hispalensis.

IV. Isidorus Hispalensis.

Episcopi Hispalensis libri, quamquam ea, quae in iis traduntur, non ab illo excogitata sunt, profecto spernendi non sunt. Qui vir septimo saeculo litterarum studiis parum propitio praeter ceteros eruditus multis et veteribus auctoribus, quorum scripta aetas non tulit, usus est. Inter omnia autem eius scripta libri, quos 'de origine quarundam rerum' composuit, eminent. Iisdem capita quaedam de rhetorica conscripta inseruit (II 1—21). Quae iam accuratius tractabimus, quod Celsi doctrinam in iis latere suspicamur. Sed priusquam ad hanc rem aggressi erimus, de Isidori fontibus in universum paucis disputabimus.

Primum quaeritur, adieritne episcopus Hispalensis scriptores Graecos. Hoc certe negandum est. Sermonis enim Graeci non satis peritus fuit, ut id facere posset. Quod demonstrare videntur, ut aliqua saltem adferam, imprimis duo loci eius libri, qui de viris illustribus inscribitur[1]). In capite enim IV. huius libelli Theodorum, Mopsuestenae urbis episcopum, *sermone Graeco mille voluminum summam conscripsisse* tradit; attamen ne unum quidem librum nominatim commemorat, nedum quaedam ex iis adferat. In capite autem XIX., ubi agit de Ioanne Chrysostomo, quem item *Graeco eloquio multa et praeclara opuscula* condidisse refert, V quidem scripta nominat paucaque de iis dicit, sed additis verbis: *E quibus utitur Latinitas duobus* et: *Est etiam et alius liber eiusdem apud Latinos* eum interpretatione Latina usum esse clare ostenditur. Quem iis ipsis locis, quibus eum libros Graecos evolvisse exspectares, id non fecisse intellegis. Adde quod apud eum in Originum imprimis libris multae reperiuntur ineptae et ridiculae etymologiae, quae magnam partem ex ea re originem traxisse videntur, quod eius sermonis Graeci scientia et cognitio satis exigua fuit. Fortasse etiam vocabulorum Graecorum permultis locis depravatae formae

[1]) Cf. Gustav. de Dzialowskii libellum, qui inscribitur: 'Isidor und Ildefons als Litterarhistoriker (Kirchengeschichtliche Studien, Münster i. W. 1898),' p. 8 et p. 30 sq.; qui vir doctus argumenta satis firma, quibus cc. 1—4 et cc. 6—13 genuina probarentur, attulisse mihi videtur (p. 81 ss.).

non semper librariorum neglegentia et incuria ortae sunt[1]). Quibus de causis Isidorum ex fontibus Graecis hausisse nemo credet. Scriptores igitur Latinos solos evolvit atque eos permultos ex iisque omnia fere, quae habet, exscripsit. Qua in re hac est usus ratione, ut alios locos ad verbum transcriberet, alios contraheret paulumque immutaret, ita tamen, ut scriptoris, quem sequitur, nonnulla verba aut enuntiata semper fere restent. Eadem ratione eum in Originum libris usum esse colligere possumus ex epistula sexta ad Braulionem missa, ubi haec scripta leguntur: *En tibi, sicut pollicitus sum, misi opus de origine quarundam rerum ex veteris lectionis recordatione collectum atque ita in quibusdam annotatum sicut exstat conscriptum stilo maiorum.* Recte autem monuit Dresselius[2]) perpauca esse pro multitudine rerum ad verbum exscriptarum ita immutata, ut propriam Isidoriani ingenii speciem prae se ferant. totumque etymologiarum codicem alienae eruditionis esse receptaculum, in quo transcripti legantur innumerabiles multorum auctorum loci. Veterum igitur scriptorum Isidorus tradit doctrinam, non suam. Itaque cavendum est, ne ipsi ea tribuamus, quae ex quonam fonte fluxerint ignoramus; neque enim dubium est, quin quosdam, quorum libri perierunt, scriptores noverit et legerit.

Quibus propositis iam ad ea, quae sunt de rhetorica, capita consideranda aggrediamur.

Capita V., VI., VIII., IX. ad verbum fere ex Cassiodori rhetorica exscripta sunt[3]). Item caput primum magnam partem ex illa sumptum est; conferas quaeso

Cassiodor. I p. 495 (H.)	Isidor. c. I. p. 507 (H.)
Rhetorica dicitur ἀπὸ τοῦ ῥητορεύειν, id est copia deductae locutionis influere. Ars autem rhetorica est, sicut magistri tradunt saecularium litterarum, bene dicendi scientia in civilibus quaestionibus.	*Rhetorica est bene dicendi scientia in civilibus quaestionibus, ad persuadendum iusta et bona. Dicta autem rhetorica Graeca appellatione ἀπὸ τοῦ ῥητορεύειν, id est a copia locutionis: ῥῆσις enim aput Graecos locutio dicitur, ῥήτωρ orator.*

Haec Isidori definitio[4]) ideo profecto singularis est, quod addit: *ad persuadendum iusta et bona*. Non dubito, quin Isidorus haec

[1]) cf. Dressel., *De Isidori Originum fontibus*. Dissertatio inauguralis, Augustae Taur. 1874, p. 11.

[2]) l. l. p. 2.

[3]) cf. C. Halmii, Rh. L. M., adnott. ad haec cc.; Dressel. l. l. p. 51.

[4])

Cassiod. I, p. 495 (H.)	Isidor. c. III, p. 507 (H)
Orator igitur est vir bonus dicendi peritus.	*Orator est igitur vir bonus dicendi peritus.*

Cassiod. ipse Catonis definitionem (*p. 80, fr. 14 Iord.*) ad verbum secutus est.

verba adiecerit, quia praeter Cassiodorum alios quoque libros evolvit et inspexit, quorum sententias inter se componere voluit. Verba *iusta et bona* ad Quintilianum referri possunt, verba autem *ad persuadendum* in memoriam revocant fragmentum 2 ex Celsi rhetorica, ubi *finem rhetorices* ait *dicere persuasibiliter in dubia civili materia.*

Capite secundo Isidorus agit de inventoribus rhetoricae artis. Mentione digna sunt ea, quae hoc loco de Tullio et Quintiliano scribit: *et translata in Latinum a Tullio videlicet et Quintiliano, sed ita copiose, ita varie, ut eam lectori admirari in promptu sit, conprehendere inpossibile. 2. Nam membranis retentis quasi adhaerescit memoriae series dictionis, ac mox repositis recordatio omnis elabitur.* — Fortasse ex his verbis Isidorum alium quendam adhibuisse scriptorem, qui non *ita copiose, ita varie* scripserit, sive talem, qualis commodius praecepta excerpenda praebuerit, conicere possumus, ita ut eius princeps fons non Cicero sit neque Quintilianus, sed alius quidam. Et profecto haec suspicio confirmabitur, si capita singula accuratius consideraverimus.

Iam in capite quarto quaedam leguntur, quae neque ex Cicerone neque ex Quintiliano neque ex aliquo inferioris aetatis scriptore sumpta esse possunt. Episcopus enim Hispalensis ordinem sequitur, quem apud alios frustra quaeras: *genera causarum tria sunt: deliberativum, demonstrativum, iudiciale*, cum ceteri hoc ordine enumerent genera causarum: *demonstrativum* (Quintil.: *laudativum), deliberativum, iudiciale*, veluti auctor ad Her. I 2; Cicero de Inv. I 7; Quintil. Instit. or. III 3, 12 ss.; Cassiodorus p. 495, 27 ss., alii. Deinde qua re suasoria a deliberativa differat et locus communis a vituperatione indicat. Denique ad laudem illustrandam exempla adicit, quae nullus alius scriptor adfert. Isidorum ipsum ea aut novasse aut adiecisse vix credi potest; quare eum auctore esse usum, quem nos non novimus, suspicamur. Quintiliano autem hunc scriptorem, ex quo Isidorum illa exscripsisse statuimus, non ignotum fuisse colligas ex hac comparatione:

Quintil. III 4, 12 ss.	Isidor. p. 508, 1 H.
Est igitur, ut dixi, unum genus, quo laus ac vituperatio continetur, sed est appellatum a parte meliore laudativum: idem alii demonstrativum vocant. Utrumque nomen ex Graeco creditur fluxisse . . . . Sed mihi ἐπιδεικτικόν non tam demonstrationis vim habere quam ostentationis videtur et multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre	*Demonstrativum, in quo laudabilis persona aut reprehensibilis ostenditur.* v. 12 sq.: *Demonstrativum dictum, quod unamquamque rem aut laudando aut vituperando demonstrat.*

Nisi forte non ex Graeco mutuantes demonstrativum vocant, verum id sequuntur, quod laus ac vituperatio quale sit quidque demonstrat.

Quintil. III 8, 25.

Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt δυνατόν, quod nostri possibile nominant: quae ut dura videatur appellatio, tamen sola est.

Isidor. p. 508, 8 ss.

Suasoria autem in tribus locis dividitur, honesto, utili et possibili.

Magni momenti est caput VII., quod inscribitur 'De quattuor partibus orationis.' Cicero quidem in dialogo, qui est de partitione oratoria quattuor esse orationis partes dicit, sed episcopum Hispalensem ex eius verbis (§ 4): C. F. *Quid? orationis quot sunt partes?* — C. P. *Quattuor: earum duae valent ad rem docendam, narratio et confirmatio; ad pellendos animos duae, principium et peroratio* — ea, quae scribit, composuisse vix est probabile, praesertim cum aliis utatur appellationibus: *exordium, argumentatio, conclusio.* Ceteri autem scriptores aut sex partes esse orationis statuerunt, velut auctor ad Her. I 4: *Inventio in sex partes orationis consumitur, in exordium, narrationem, divisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem;* Cassiodorus p. 497, 35 sq.: *exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio*[1]); aut quinque, veluti Quintilianus III 9, 1: *cuius* (causae iudicialis) *partes, ut plurimis auctoribus placuit, quinque sunt: prooemium, narratio, probatio, refutatio, peroratio.* Attamen sententiam, quam Isidorus sequitur, Quintilianus non solum non ignorat, sed etiam diserte impugnat:

Quintil. III 9, 5.

Tamen nec iis adsentior, qui detrahunt refutationem, tamquam probationi subiectam, ut Aristoteles.

Isidor. p. 510, 20 sq.

Partes orationis in rhetorica arte quattuor sunt: exordium, narratio, argumentatio, conclusio.

v. 26.: *Argumentandum est ita, ut primum nostra firmemus, dehinc adversa confringamus.*

Episcopum Hispalensem Aristotelis rhetoricam evolvisse minime est probabile; quare auctorem, quem adhibuit, aut ex Stagiritae libris hausisse aut eius sententiam aliunde petitam approbasse crediderim.

Sequuntur capita, quae sine dubio ad primas dicendi exercitationes, quae Graece progymnasmata vocantur, pertinent. Sunt

[1]) Cassiodorus quaecumque h. l. de partibus orationis habet ad verbum ex Ciceron. de Inv. I 19 exscripsit.

autem haec: c. X. *De lege*, c. XI. *De sententia (et chria)*, c. XII. *De catasceua et anasceua* (quo in capite et *thesis*, quae vocatur, fit mentio, p. 514, v. 2.), c. XIII. *De prosopopoeia*, c. XIV. *De ethopoeia*.

Isidori auctor certe omnia dicendi primordia, quae a scriptoribus enumerantur, sed in alium ordinem digesta exhibuit, episcopus autem Hispalensis nonnulla tantum recepit. Praeterea adnotandum est in capite de lege conscripto quaedam reperiri, quae non pertinent ad illas primas exercitationes; adde quod eadem fere reperiuntur in Originum libro quinto[1]). Isidorus igitur antea locos, qui ad legem pertinent, alios ex aliis scriptoribus excerpsisse et collegisse videtur; sed ut quosdam in rhetoricam quoque reciperet, hac re adductus esse videtur, quod eius auctor in dicendi primordiis etiam de legum laude ac vituperatione egit. Quis vero est ille auctor? nam Isidorum ea, quae hoc loco adfert, ex scriptoribus Latinis, quorum libri exstant, non excerpsisse patet; accuratius enim disputat de rebus, quas Cicero celeriter perstrinxit[2]), Quintilianus partim leviter attigit, partim aliter descripsit[3]), inferioris aetatis scriptores prorsus omiserunt. Quemnam igitur adiit fontem? An eum Graeco usum esse auctore statuamus? Magna quidem intercedit similitudo inter Isidorum et scriptores Graecos, quod apparet ex comparatione, quae sequitur.

Hermog. prog. Sp. II, p. 6, v. 9 ss. *Γνώμης δὲ διαφέρει (χρεία) . . . . . τῷ τὴν μὲν χρείαν τὸ πρόσωπον τὸ πεποιηκὸς ἔχειν, τὴν δὲ γνώμην ἄνευ προσώπου λέγεσθαι.* Theon. prog. Sp. II, p. 96, v. 22 sq. *πᾶσα γὰρ γνώμη σύντομος εἰς πρόσωπον ἀναφερομένη χρείαν ποιεῖ* (cf. Nicol. Soph. prog. Sp. III, p. 464, 1 sq.).	Isidor. p. 513, 26 ss. *Huic* (sententiae) *si persona fuerit adiecta, chria erit . . . . Nam inter chriam et sententiam hoc interest, quod sententia sine persona profertur, chria sine persona numquam dicitur.*
Hermog. prog. Sp. II, 8, v. 30. *Ἀνασκευή ἐστιν ἀνατροπὴ τοῦ προτεθέντος πράγματος, κατασκευὴ δὲ τοὐναντίον βεβαίωσις.* p. 9, v. 2 . . . . . *ἀλλὰ δεῖ δήπου τὰς ἀνασκευὰς καὶ τὰς κατασκευὰς τῶν ἐφ᾽ ἑκάτερα τὴν ἐπιχείρησιν δεχομένων ποιεῖσθαι, ἀνασκευάσεις δὲ ἐκ τοῦ ἀσαφοῦς, ἐκ τοῦ ἀπιθάνου, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ἐκ τοῦ*	Isidor. p. 513, 33 ss. *Catasceua est confirmatio propositae rei, anasceua autem contraria superiori est.* p. 514, 2 sq.: *Inter hanc et thesin hoc interest, quod thesis, quamvis et ipsa habeat disputationem in utramque partem* q. s. v. 6 ss.: *Anasceuae prima divisio est in inconveniens et mendacium. Inconvenientis*

1) cc. 3, 10, 13, 19, 20, 21.
2) de Or. I 158 sq.
3) II 4, 1 ss.

ἀνακολούθου τοῦ καὶ ἐναντίου καλουμένου, ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς, ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου [1]) (cf. Aphth. prog. Sp. II, p. 27, v. 25 ss. Nic. Soph. prog. Sp. III, p. 466 sq., v. 29 ss.).

species sunt, quod inhonestum est et quod inutile.

Mendacium tres habet species, incredibile, ... impossibile, ... contrarium [1]).

Aphth. prog. Sp. II, p. 30, v. 16 ss.

Δεῖ δὲ κατασκευάζοντας ..... πρῶτον μὲν εἰπεῖν εὐφημίαν τοῦ φήσαντος.

p. 27, v. 27 ss.: *δεῖ δὲ ἀνασκευάζοντας πρῶτον μὲν εἰπεῖν τὴν τῶν φησάντων διαβολήν.*

Isidor. p. 514, v. 18 ss.

Oportebit tamen principia sic ordinare, ut aut credendum esse veterum auctoritati aut fabulis fidem non habendam esse dicamus.

Nic. Soph. prog. Sp. III, p. 489 sq., v. 30 ss.

Εἰσὶ δέ, οἳ καὶ κάλλιστον ἔδοξαν, ἠθοποιίαν μὲν τὴν ἐκ τῶν ὡρισμένων προσώπων, προσωποποιίαν δέ, ἐν ᾗ καὶ πρόσωπα πλάττομεν καὶ περιτίθεμεν αὐτοῖς λόγους.

Isidor. p. 514, 24.


Prosopopoeia est cum inanimalium et persona et sermo fingitur ...

v. 31 sq.: *Ethopoeian vero illam vocamus, in qua hominis personam fingimus pro exprimendis affectibus* q. s.

At Isidorum, cum primis tantum linguae Graecae rudimentis imbutus fuisse videatur, Graecos evolvisse scriptores credi non potest. Praeterea eius ingenio nimium tribueremus, si eum ipsum his capitibus talem dedisse colorem Latinum diceremus, qualem ea prae se ferunt, cum omnia fere, quae ad res illustrandas adferuntur exempla, sint Latina. Latinum igitur quendam sequitur scriptorem eumque veterem, qui in rhetoricae initio de his rebus egit. At obstare videtur Quintilianus, quominus illum ex rhetorica quadam illas res exscripsisse statuamus: qui rhetores Latinos suas partes omisisse et grammaticos alienas occupasse queritur [2]) et plerosque

[1]) ἀνασκευή

1. ἀσαφές. 2. ἀπίθανον. 3. ἀδύνατον. 4. ἀνακόλουθον. 5. ἀπρεπές. 6. ἀσύμφορον (ἐναντίον).



[2]) I 9, 6: *Cetera* (primordia dicendi) *maioris operis ac spiritus Latini rhetores relinquendo necessaria grammaticis fecerunt: Graeci magis operum suorum et onera et modum norunt;* II 1, 1 sq.: *rhetores utique nostri suas partes omiserunt et grammatici alienas occupaverunt ... Nam* (rhetores) *cetera* (i. e. primordia dicendi) *ut professione sua minora despiciunt ..., hi* (grammatici) *non satis credunt excepisse, quae relicta erant .. sed ad prosopopoeias usque et ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt;* II 1, 13 *quod adhuc obtinent Graeci, a Latinis omissum est.*

artium scriptores dicendi primordia neglexisse et ita esse exorsos, *quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam [in] eloquentia manum imponerent*, tradit[1]). Sed hanc difficultatem facile expedire poterimus, si accuratius in illius verba inquisiverimus. Neque enim *ceteros* haec dicendi primordia omisisse dicit, sed *ceteros fere* aut *plerosque*; nonnulli ergo vel has primas orandi exercitationes tractaverunt. Profecto Plinium maiorem, quem *Studiosos tres* in sex volumina propter amplitudinem divisos, quibus oratorem ab incunabulis institueret et perficeret (Plin. Ep. III 5, 5), scripsisse constat, de his rebus disputavisse veri simillimum est et Celsum easdem non omisisse colligas ex Iulio Severiano, cuius sectio secunda tota versatur in oratore instituendo, ut illum etiam de iis, quae proprie vocantur, progymnasmatis egisse probabile sit. Quapropter Quintiliani verba, quominus Isidorum illa capita ex rhetorica quadam Latina exscripsisse statuamus, non obstare manifestum est. Ceterum si episcopum Hispalensem hoc loco ex grammatici cuiusdam commentariis ea, quae habet, in rhetoricam transtulisse statueremus, via et ratione nos uti negarem, cum illum quid ad artem oratoriam pertineret, quid non pertineret, deliberavisse non sit veri simile.

Sed adest certum indicium, quo nos recte iudicavisse demonstratur. Num enim statuamus casu factum esse, ut Isidorus, postquam de primordiis dicendi disputavit, de generibus quaestionum ageret? Quod caput, quin ex initio cuiusdam rhetoricae sit exscriptum, mihi non est dubium[2]).

Ita totius disputationis ordinem, qui primo adspectu mire confusus et turbatus videtur esse, rationem quandam habere apparet. Ex duabus enim partibus ea quasi conglutinata est. Pars prior,

---

[1]) I pr. 3: *Plus quam imponebatur oneris sponte suscepi, simul ut pleniore obsequio demererer amantissimos mei, simul ne vulgarem viam ingressus alienis demum vestigiis insisterem.* § 4: *Nam ceteri fere, qui artem orandi litteris tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam [in] eloquentia manum imponerent.* I 9, 21: *Quo magis impetranda erit venia, si ne minora quidem illa, verum operi, quod instituimus, necessaria praeteribo. Nam liber primus ea, quae sunt ante officium rhetoris, continebit, secundo prima apud rhetorem elementa . . . tractabimus.* II 4, 1: *Hinc iam, quas primas in docendo partes rhetorum putem, tradere incipiam dilata parumper illa, quae sola vulgo vocatur, arte rhetorica.* II 11, 1: *Iam hinc ergo nobis incohanda est ea pars artis, ex qua capere initium solent, qui priora omiserunt.*

[2]) Nam Isidorum ea, quae habet, ex Ciceronis verbis (Part. or. 61): *Duo sunt, ut initio dixi, quaestionum genera; quorum alterum, finitum temporibus et personis, causam appello; alterum infinitum, nullis neque personis neque temporibus notatum, propositum voco. Sed est consultatio quasi latior pars causae quaedam et controversiae*, quamquam reperiuntur quaedam similia, confinxisse negaverim. Idem valet de aliis apud rhetores locis, qui ad hanc rem pertinent.

quae capita I—IX complectitur, tota fere ex Cassiodori rhetorica est transcripta. Postea autem Isidoro, quoniam ille solam inventionem tractaverat, alter fuit eligendus fons, ex quo cetera praecepta hauriret. Nonne veri simillimum est eum iam eundem evolvisse auctorem, quo antea in capitibus IV. et VII. conscribendis erat usus? Inspicienti autem huius scriptoris libros ei occurrisse videntur res quaedam, quas dignas esse censuit, quae in Originum libros reciperentur. Quo factum esse opinor, ut iterum, postquam Inventionem absolvit, ad initium rhetoricae, ad primas orandi exercitationes et ad quaestionum genera, rediret, tum demum omissa dispositione ad elocutionem describendam aggrederetur.

Isidori de elocutione disputatio tota bonae frugis est plena; attamen neque ex Ciceronis libris neque ex Quintiliani Institutione oratoria videtur fluxisse. Quod ut melius perspiceretur, utriusque, quos ad rem pertinere censui, locos collegi, collectos cum iis, quae ille scripsit, comparavi.

Primum de capitibus XVI. (de elocutione) et XVII. (de trimodo dicendi genere) agemus.

Isidor. p. 515, 17 ss.

Iam vero elocutionibus sic uti oportebit, ut res, locus, tempus, persona audientis efflagitat, ne profana religiosis, ne inverecunda castis, ne levia gravibus, ne lasciva seriis, ne ridicula tristibus misceantur.

Cicero.

Or. 24: Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia.

Or. 71: Est autem quid deceat oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec vero locus aut tempus aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est aut sententiarum, semperque in omni parte orationis . . . quid deceat est considerandum; quod et in re, de qua agitur, positum est et in personis et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt.

Or. 74: . . . (declarat) decere quasi aptum esse consentaneumque tempori et personae.

Or. 123: . . . sit temporum personarumque moderator.

de Or. III 53: . . . id est, quod dico, ornate. Qui idem ita moderantur, ut re-

Quintilianus.

XII 10, 44: Ita, quo quisque plus efficit dicendo, hoc magis secundum naturam eloquentiae dicit. 45: Quapropter ne illis quidem nimium repugno, qui dandum putant nonnihil etiam temporibus atque auribus, nitidius aliquid atque adfectius postulantibus. VIII 3, 60: Cui simile vitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, vetera novis, poetica vulgaribus misceat.

rum, ut personarum dignitates ferunt, ei sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum et congruens nomino.

de Or. III 97: Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant.

de Or. III 210: . . . Quamquam id quidem perspicuum est, non omni causae nec auditori neque personae neque tempori congruere orationis unum genus.

Isidor. p. 515, 19—25.

Latine autem et perspicue loquendum. Latine autem loquitur, qui verba rerum vera et naturalia persequitur nec a sermone atque cultu praesentis temporis discrepat. Huic non sit satis videre, quid dicat, nisi id quoque aperte et suaviter dicere, ne id quidem tantum, nisi id, quod dicat, et facete[1]) dicat.

Cicero.

Or. 79: Sermo purus erit et Latinus; dilucide planeque dicetur; quid deceat, circumspicietur; unum aberit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud, suave et affluens.

de Or. III 37: Quinam igitur dicendi est modus melior . . ., quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus.

de Or. III 39: Neque tamen erit utendum verbis eis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa parce.

de Or. III 40: Atque ut Latine loquamur, non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat . . ., sed etiam lingua et spiritus et vocis sonus est ipse moderandus . . . 42: Sed hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem ut apud Graecos Atticorum, sic in Latino sermone huius est urbis maxime propria.

Quintilianus.

VIII 1, 1: Ea (elocutio) spectatur verbis aut singulis aut coniunctis. In singulis intuendum est, ut sint Latina, perspicua, ornata, ad id, quod efficere volumus, accommodata: in coniunctis, ut emendata, ut apte collocata, ut figurata.

VIII 3, 24: . . . propriis dignitatem dat antiquitas . . . 25: . . . sed utendum modo nec ex ultimis tenebris repetenda. VIII 1, 2: . . . hic non alienum est admonere, ut sint quam minime peregrina et externa.

[1]) Codices quidem manu scripti has exhibent lectiones: *et facere* F, *fecerit* A; Grialius autem coniecit: *et facete dicat.* Cui accedere non dubito; nam codicum lectiones sententiam aptam non efficiunt. Praeterea facillime fieri potuit, ut *facete* corrumperetur in *facere*, quo facto verbum videtur excidisse. Sed nescio an scribendum sit: *facete dicere*, quia enuntiatum, quod antecedit, eodem modo comparatum est, ita, ut utrumque pendeat ex illo *sit satis*.

de Or. III 48: Neque vero in illo altero diutius commoremur, ut disputemus, quibus rebus adsequi possimus, ut ea, quae dicamus, intellegantur. 49: Latine scilicet dicendo, verbis usitatis ac proprie demonstrantibus.

Isidor. p. 515, 26 ss.

1. Dicenda sunt quoque summissa leniter, incitata graviter, inflexa moderate; hoc est enim illud trimodum genus dicendi: humile, medium, grandilocum. Cum enim magna dicimus, granditer proferenda sunt, cum parva dicimus, subtiliter, cum mediocria, temperate. 2. Nam in parvis causis nihil grande, nihil sublime dicendum est, sed leni ac pedestri more loquendum: in causis autem maioribus, ubi de deo vel hominum salute referimus, plus magnificentiae et fulgoris est exhibendum: 3. in temperatis vero causis, ubi nihil agitur, ut agat, sed tantummodo ut delectetur auditor, inter utrumque moderate dicendum est. Sed et quamvis de magnis rebus quisque dicat, non tamen semper granditer dicere debet, sed summisse, cum docet, temperate, cum aliquid laudat vel vituperat, granditer, cum ad conversionem aversos animos provocat. Utenda tamen verba in summisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia.

Cicero.

Or. 20: Tria sunt omnino genera dicendi .... Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt ... et contra tenues, acuti ... 21 ... Est autem quidam interiectus inter hos medius ... 22. Horum singulorum generum quicumque vim in singulis consecuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt.

de Or. III 212: Itaque hoc loco nihil sane est, quod praecipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris et tenuioris et item illius mediocris ad id, quod agemus, accommodatam deligamus.

de Or. III 177: ... Itaque tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus.

Or. 56: ... Volet igitur ille, qui eloquentiae principatum petet, et contenta voce atrociter dicere et summissa leniter et inclinata videri gravis et inflexa miserabilis.

Or. 75: .. Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam vo-

Quintilianus.

XII 10, 58 ss: Altera est divisio, quae in tres partes et ipsa discedit, qua discerni posse etiam recte dicendi genera inter se videntur. Namque unum subtile, quod ἰσχνόν vocant, alterum grande atque robustum, quod ἁδρόν dicunt, constituunt, tertium alii medium ex duobus, alii floridum (namque id ἀνθηρόν appellant) addiderunt. Quorum tamen ea fere ratio est, ut primum docendi, secundum movendi, tertium illud, utrocumque est nomine, delectandi sive, ut alii dicunt, conciliandi praestare videatur officium, in docendo autem acumen, in conciliando lenitas, in movendo vis exigi videatur. Itaque illo subtili praecipue ratio narrandi probandique consistet estque id etiam detractis ceteris virtutibus suo genere plenum. Medius hic modus et translationibus crebrior et figuris erit iucundior ....

cant Atticum. Summissus est et humilis.

Or. 98: . . . Medius ille autem, quem modicum et temperatum voco . . . .

Or. 97: Tertius est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus.

Or. 100: . . . . Is est enim eloquens, qui et humilia subtiliter et magna graviter et mediocria temperate potest dicere (cf. 101).

Or. 70: . . . . Nam et iudicabit, quid cuique opus sit, et poterit, quocumque modo postulabit causa, dicere.

Or. 123: . . . . Nam nec semper nec apud omnes nec contra omnes nec pro omnibus nec omnibus eodem modo dicendum arbitror . . . ., ut quidque erit dicendum, ita dicet, nec satura ieiune nec grandia minute nec item contra, sed erit rebus ipsis par et aequalis oratio.

de Or. III 211: Nam et causae capitis alium quendam verborum sonum requirunt, alium rerum privatarum atque parvarum; et aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Refert etiam qui audiant, senatus an populus an iudices; frequentes an pauci an singuli et quales; ipsique oratores qua sint aetate, honore, auctoritate, debet videri; tempus pacis an belli, festinationis an otii.

Or. 99: . . . Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, praesertim cum causae partim totae sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandae, si is non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur.

Or. 69: Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi; subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo.

Or. 72: Quam enim indecorum est, de stillicidiis cum apud unum iudicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus, de maiestate populi Romani summisse et subtiliter!

VIII 3, 11 . . . . illud observatione dignius, quod hic ipse honestus ornatus pro materiae genere decet variatus. Atque ut a prima divisione ordiar, non idem demonstrativis et deliberativis et iudicialibus causis conveniet.

XII 10, 69 ss: . . . . Utetur enim, ut res exiget, omnibus, nec pro causa modo, sed pro partibus causae. Nam ut non eodem modo pro reo capitis et in certamine hereditatis et de interdictis ac sponsionibus et de certa credita dicet, sententiarum quoque in senatu et contionum et privatorum consiliorum servabit discrimina, multa ex differentia personarum, locorum temporumque mutabit: ita in eadem oratione aliter concitabit, non ex isdem haustibus iram et misericordiam petet, alias ad docendum, alias ad movendum adhibebit artes. Non unus color prooemii, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis servabitur. Dicet idem graviter, severe, acriter, vehementer, concitate, copiose, amare, comiter, remisse, subtiliter, blande, leniter, [dulciter,] breviter, urbane . . . .

X 2, 23: Etiam hoc solet incommodi accidere iis, qui se uni alicui generi dediderunt, ut, si asperitas iis placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas aut iucunditas in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diversa non causarum modo inter ipsas condicio, sed in singulis etiam causis partium, sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda, quorum omnium dissimilis atque diversa inter se ratio est.

XI 1, 2 sq.: Quid enim prodest esse verba et Latina et significantia et nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis, in quae iudicem duci formari-

Or. 74: Illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas alias alia forma dicendi esse tractandas.

Or. 124: Principia verecunda .... Narrationes credibiles ... prope quotidiano sermone explicatae dilucide. Dein si tenuis causa erit, tum etiam argumentandi tenue filum .... Cum vero causa ea inciderit, in qua vis eloquentiae possit expromi, tum se latius fundet orator.

que volumus, consentiant: si genus sublime dicendi parvis causis, pressum limatumque grandibus, laetum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, submissum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus?

VIII 3, 21: Nec augenda semper oratio, sed submittenda nonnumquam est.

Permulta igitur vides reperiri sententia iis similia, quae apud Isidorum scripta leguntur. Attamen si diligentius animum attenderis ad Isidori exscribendi rationem, illos esse eius fontes certe negabis. Quid? eum id, quod alibi sescenties fecit, hoc loco non fecisse statuamus? Nam ne una quidem sententia integra aut paulum mutata ex iis transcripta est, sed omnia ita comparata sunt, ut eum aut fonte quodam, qui non exstat, usum esse aut illorum scriptorum verba ita formasse, ut propriam eius ingenii speciem prae se ferant, statuendum sit. Hoc alterum nemo adfirmabit; excerptoris enim, ut eo vocabulo utar, manus cum ubique deprehenditur, tum in prima statim sententia; Isidori enim auctor praeceptum: *Iam vero elocutionibus sic uti oportebit, ut res, locus, tempus, persona audientis efflagitat* ceteris praemisisse idque accuratius videtur explicavisse. Episcopus autem Hispalensis, cum adicit: *ne profana religiosis, ne inverecunda castis, ne levia gravibus, ne lasciva seriis, ne ridicula tristibus misceantur* — id tantum, quod *res* efflagitat, diligentius describit, ut ex omnibus, quae liber, quem inspexit, postea exhibuit, hoc solum arripuisse et adscripsisse videatur. Accedit quod eum illa, quibus quid sit Latine loqui explicat, ex iis, quae Cicero et Fabius de hac re habent, finxisse vix potest credi. Praeterea Isidorus ad elocutionis illas Latine, perspicue, suaviter (quod fortasse idem est atque ornate) loquendi virtutes facete dicendi vim adicit, quod unde hauserit, prorsus non patet. Postremo sane mirum esse existimo eum tribus illis dicendi generibus alias atque illos indidisse appellationes: *hoc est enim illud trimodum genus dicendi: humile, medium, grandilocum.* Quae cum ita sint, Isidorum haec quoque duo capita ex fonte, qui non exstat, excerpsisse veri simillimum est.

Idem de capite XVIII., quo de colo et commate et periodis agitur, statuendum esse nemo negabit, qui Isidoriana et Fabiana comparaverit.

Quintilianus.

IX 4, 19: *Est igitur ante omnia oratio alia vincta atque contexta, soluta alia . . . .* 22: *At illa conexa series tres habet formas: incisa, quae κόμματα dicuntur, membra, quae κῶλα, περίοδον, quae est vel ambitus vel circumductum vel continuatio vel conclusio.*

122: *Dicimus igitur esse incisa, membra, circuitus. Incisum, quantum mea fert opinio, erit sensus non expleto numero conclusus, plerisque pars membri. . . .*

123: *Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus et per se nihil efficiens. 'O callidos homines' perfectum est, sed remotum a ceteris vim non habet, ut per se manus et pes et caput: 'O rem excogitatam'. Quando ergo incipit corpus esse? Cum venit extrema conclusio . . . . itaque fere incisa et membra mutila sunt et conclusionem utique desiderant . . . . .*

125. *Modus eius* (periodi) *a Cicerone aut quattuor senariis*[1]) *versibus aut ipsius spiritus modo terminatur.*

Isidor. p. 516, 6 ss.

Componitur autem instruiturque omnis oratio commate et colo et periodo. Comma particula est sententiae, colon membrum, periodus ambitus vel circuitus: fit autem ex coniunctione verborum comma, ex commate colon, ex colo periodus. 2. *Comma est iuncturae finitio, ut puta: 'Etsi vereor iudices', ecce unum comma; sequitur et aliud comma 'ne turpe sit pro fortissimo viro dicere', et factum est colon, id est membrum, quod intellectum sensui praestat; sed adhuc pendet oratio sicque deinde ex pluribus membris fit periodos, id est extrema sententiae clausula ita: 'veterem iudiciorum morem requirunt'. Periodos autem longior esse non debet, quam ut uno spiritu proferatur.*

Neque enim in appellationibus explicandis neque in exemplis adferendis uterque consentit, immo vero Isidorus sententiam sequitur, quam Quintilianus impugnat. Nam illius verba: *comma particula est sententiae* et paulo post: *fit autem ex coniunctione verborum comma, ex commate colon, ex colo periodus* nihil significant nisi *incisum est pars membri, membrum pars circuitus;* quam opinionem Fabius his verbis reicit: *incisum, quantum mea fert opinio, erit sensus non expleto numero conclusus, plerisque pars membri.*

Similius autem utriusque disputatio de vitiis litterarum decurrit:

Quintilianus.

IX 4, 33: . . . . *Tum vocalium concursus: . . . Pessime longae, quae easdem inter se litteras committunt, sonabunt: . . .* 34 . . . *Minus peccabit, qui longis breves subiciet, et adhuc, qui praeponet longae brevem. Minima est in duabus brevibus offensio . . .* 35. *Non tamen id ut crimen ingens expavescendum est.*

Isidor. p. 516, 20 ss.

Sic observandum, ne praecedentis verbi extrema vocalis in eandem vocalem primam incidat verbi sequentis, ut 'feminae Aegyptiae', quae structura melior fit, si consonantes vocalibus applicantur. Trium quoque consonantium, quae in se incidentes stridere et quasi rixari videntur, vitanda iunctura est, id est r s x, *ut 'ars studiorum, rex Xerxes, error Romuli'. Fugienda est et consonans* m *inlisa vocalibus, ut 'verum enim'.*

---

[1]) Ciceronis verba (Or. 222) haec sunt: *E quattuor igitur quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio.*

37 ss. *Ceterum consonantes quoque, earumque praecipue, quae sunt asperiores, in commissura verborum* **rixantur**, *ut* s *ultima cum* x *proxima, quarum tristior etiam, si binae collidantur,* **stridor** *est, ut 'ars studiorum'* .... 40. *Atqui eadem illa littera* (m) *quotiens ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur, ut multum ille'.*

Tamen Isidorus ne haec quidem ex Quintiliani Institutione hausit, quia exhibet singularia quaedam; velut tres litteras, quae quasi rixari videntur, commemorat, cum Fabius duarum mentionem fecerit; deinde exempla praeter unum *ars studiorum* alius alia adfert. Denique Quintilianus de 'm' littera prorsus aliter disputat atque ille. Quibus de causis utrumque eodem fonte usum esse dixerim.

Maxima autem similitudo intercedit inter Isidori caput XX. et Quintiliani quae subieci verba, ut nisi diligentius rem consideraveris, hunc illius esse auctorem adfirmare possis.

Quintilianus.	Isidor. p. 516 sq., v. 28 ss.
VIII 2, 1: *Perspicuitas in verbis praecipuam habet proprietatem* ..... *Primus* ... *intellectus* (proprietatis) *est sua cuiusque rei appellatio, qua non semper utemur. Nam et obscena vitabimus et sordida et humilia* .... 3: *Id apud nos improprium, ἄκυρον apud Graecos vocatur.* VIII 3, 38: *Sed ne inornata sunt quidem* (singula verba), *nisi cum sunt infra rei, de qua loquendum est, dignitatem, excepto si obscena nudis nominibus enuntientur. Quod viderint, qui non putant esse vitanda* ..	*In verbis quoque cavenda sunt vitia, ut non impropria verba ponantur, quae Graeci acyrologian vocant. Amanda est ergo proprietas, sic tamen, ut aliquando propter humilitatem sordidi aut spurci vocabuli translatis nominibus sit utendum, non tamen longe accitis, sed ut veris proxima et cognata videantur.*
VIII 2, 14: .... *Quare nec sit tam longus* (contextus), *ut eum prosequi non possit intentio, nec traiectione ultra modum hyperbati finis eius differatur.*	2. *Fugienda etiam hyperbata longiora, quae fieri sine aliorum sensuum confusione non possunt.*
16: *Vitanda imprimis ambiguitas.*	*Ambiguitas quoque*
17: *Est etiam in quibusdam turba inanium verborum, qui, dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate, quod dicere nolunt ipsa.* VIII 6, 61: *Verum hoc ut, cum decorem habet, periphrasis, ita, cum in vitium incidit, περισσολογία dicitur.* IV 2, 43: *Nam iterationes quidem et ταυτολογίας et περισσολογίας* q. s.	*et vitium illud cavendum, cum quidam iactatione eloquentiae ducti, quod uno aut duobus verbis significare poterant, interpositis inanibus vocibus longa et circumflexa ambage concludunt, quod vitium perissologia vocatur.*

VIII 2, 19: *Alii brevitatem aemulati necessaria quoque orationi subtrahunt verba.*	3. *Cui contrarium vitium est ob brevitatis studium etiam necessaria verba furari.* *Fugienda sunt quoque, sicut in litteris et verbis, ita in sententiis vitia, quae inter prima grammaticorum studia cognoscuntur;*
VIII 3, 44: κακέμφατον. 50 sq: μείωσις, ταυτολογία. 53: μακρολογία.	4. *sunt autem* *cacemphaton,* *tautologia, ellipsis, acyrologia,* *macrologia,* *perissologia, pleonasmos et his similia.*
VIII 3, 61: *Itaque* ἐνάργειαν *. ., quia plus est evidentia vel, ut alii dicunt, repraesentatio quam perspicuitas, ... inter ornamenta ponamus.*	*At contra orationem extollit et exornat enargia.*
VIII 2, 11: *Ego tamen libentius emphasim rettulerim ad ornatum orationis.* VIII 3, 83: *Vicina praedictae* (brevitati), *sed amplior virtus est* ἔμφασις, *altiorem praebens intellectum quam quem verba per se ipsa declarant. Eius duae sunt species: altera, quae plus significat quam dicit, altera, quae etiam id, quod non dicit.* 84 . . . *apud Vergilium: 'demissum lapsi per funem': nam sic quoque altitudo demonstrata est.*	*Tum emphasis, quae plus quiddam quam dixerit intellegi facit, ut si dicas: 'ad gloriam Scipionis ascendit', et Vergilius: 'demissum lapsi per funem'. Cum enim dicit 'lapsi', altitudinem imagine suggerit.*
VIII 4, 28: *Eadem fere est ratio minuendi.*	*Huic contraria virtus est verbis minuere, quae natura sua magna sunt.*

At episcopum Hispalensem verba: *non tamen longe accitis, sed ut veris proxima et cognata videantur* de suis adiecisse mihi non est veri simile. Praeterea emphasis sane aptum exemplum prius: *ad gloriam Scipionis ascendit* apud Quintilianum non exstat. Deinde Isidorus eam, quam ad alterum adicit, adnotationem: *cum enim dicit lapsi, altitudinem imagine suggerit* vix ipse addidit. Denique idem, postquam de enargia et emphasi locutus est, his verbis pergit: *Huic contraria virtus est verbis minuere, quae natura sua magna sunt*: enuntiatum autem *huic contraria virtus est* non est aptum, quia minuendi ratio non enargiae et emphasi, sed amplificandi virtuti opponenda est. Numerus vero singularis pronominis *huic* quo spectet non liquet. An eum ad emphasim solam pertinere statuamus? Verba ipsa aliud indicant; virtus enim, qua *verbis minuuntur, quae natura sua magna sunt*, cui virtuti contraria est? Nonne ei, qua *verbis augentur, quae natura sua parva sunt?* Quod non fit emphasi. At in iis, quae antecedunt, non disseritur de augendi ratione. Quid inde concludi potest? Nonne hoc? Isidorum qua sescenties usus est ratione hunc locum ad verbum exscripsisse ex auctore, qui, postquam de amplificandi vi egit, verbis: *huic contraria virtus est* ad virtutem contra-

riam transiit. Quare Fabium eius fontem non esse mihi videtur apparere.

Ut iam omnia, quae de capitibus XVI—XX disputavimus, complectamur: non pauca reperiuntur in Isidori de elocutione praeceptis, quae neque ex Ciceronis neque ex Quintiliani scriptis fluxerunt; similia autem non sunt eiusmodi, quae ad hos referri oporteat, atque adeo, si Isidori indolis rationem habueris, ea ex illis fontibus hausta esse negabis. Hunc igitur auctorem quendam adhibuisse contenderim, qui Ciceronem sit secutus eoque Quintilianus multis locis usus sit.

Quis autem sit ille auctor, cognosci posse opinor ex Iulio Severiano, ex quo eandem sententiam, quam Isidorus primis capitis XVI. verbis *(Iam vero elocutionibus sic uti oportebit, ut res* q. s.) exprimit, Celsi fuisse elucet.

Iul. Sev. p. 356, 16 ss.	Isidor. p. 515, 17 sq.
Ego vero ipsum oratorem eligere arbitror et probare genus orationis, quo magis capi suum iudicem senserit. Aliter aput eum, quem latior delectabit oratio, aliter aput eum, quem adstrictior, aliter aput superiorem, aliter aput inferiorem .... Maxima itaque ars erit semper circumspicere, quid personae, quid loco, quid tempori conveniat.	*Iam vero elocutionibus sic uti oportebit, ut res, locus, tempus, persona audientis efflagitat.*

His ex verbis simul apparet, quorum sive cuius rationem habuerit Quintilianus, cum dicit (XII 10, 45): *Quapropter ne illis quidem nimium repugno, qui dandum putant nonnihil etiam temporibus atque auribus nitidius aliquid atque adfectius postulantibus* —: Celsi enim sententiam commemorat et ex parte approbat. Praeterea nescio an verba (p. 515, 20 ss.): *Latine autem loquitur, qui verba rerum vera et naturalia persequitur nec a sermone atque cultu praesentis temporis discrepat* referenda sint ad Celsi fr. 13: *Neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat.* Deinde non omittendum esse puto Iulium Severianum (p. 369, 16) substantivo *grandiloquium*, Isidorum (p. 515, 28) voce *grandilocus* uti. Postremo Celsi nos commonet, quod Isidorus (p. 516, 9) exemplo praemittit verba *ut puta*, quam loquendi rationem aliis scriptoribus minus probatam Celso usitatam fuisse demonstrare possumus ex Medicinae libris, in quibus *ut puta* adverbii loco invenitur I. prooem. p. 5. fin., V 26, 21 fin., VIII 11 med.[1]); *puta* II 28; V 19, 11 fin.; VII 8 med.

[1]) cf. C. A. Brolén: *De elocutione A. Cornelii Celsi* (Upsala Universitets Årsskrift. 1872) p. 21. V. Iul. Sev. p. 359, 20: *ut puta, validum argumentum* q. s.; et p. 363, 1: *puta, imminuta maiestas.* Neque tamen reticendum est *ut puta* vel apud Quintil. VII 1, 14; XI 3, 110; Sen. in Epp. 47, 15; Front. de aquae duct. 28 al. occurrere.

Sequitur caput, quod Isidorus ultimum et elocutionis et totius de rhetorica disputationis posuit: de figuris verborum et sententiarum.

Omnia, quae hic scripta leguntur, veteris et bonae doctrinae plena sunt. Nam omnia fere, praeterquam quod nonnulla sunt turbata et neglegenter exscripta, egregia sunt; maxime autem auctoris veteris speciem prae se ferunt exempla, quae ex *Scipionis* (*Africani*) et ex *Gracchi* orationibus petita sunt. Profecto inferioris aetatis scriptorum libellos de figuris conscriptos episcopus Hispalensis non novisse, sed quaecumque habet ex veteribus scriptoribus videtur exscripsisse.

Isidorum Quintiliani Institutionis Oratoriae libro nono in figuris describendis usum esse constat eumque aliquas figuras ex hoc auctore ad verbum fere sumpsisse luculenter apparet ex comparatione, quae sequitur.

Quintilianus.	Isidorus.
IX 3, 35 sq.: *Est et illud repetendi genus, quod simul proposita iterat et dividit: 'Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus . . .' Ἐπάνοδος dicitur Graece, nostri regressionem vocant. Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diverso eadem verba contra sumuntur: 'Principum dignitas erat paene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur'.*	p. 518, n. 7: *Epanodos, quam regressionem nostri vocant: 'Principum dignitas erat paene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur'.*
65: *Huic diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen παραδιαστολήν, qua similia discernuntur: 'Cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro inliberali diligentem'. Quod totum pendet ex finitione ideoque an figura sit dubito.*	p. 518, n. 9: *Paradiastole est, quotiens id, quod dicimus, interpretatione discernimus: 'Cum te pro astuto sapientem appellas, pro inconsiderato fortem, pro inliberali diligentem.'*
68: *Cui confinis est, quae ἀντανάκλασις dicitur, eiusdem verbi contraria significatio. Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam 'expectaret,' et ille dixisset, 'se vero non expectare': 'Immo', inquit, 'rogo expectes'.*	p. 518 sq., n. 10: *Antanaclasis est, quae eodem verbo contrarium exprimit sensum. Querebatur quidam de filio, cum mortem suam expectaret: respondente 'non expecto', 'Immo peto' inquit 'ut expectes'.*

Quod vero ad singula attinet, haec sunt dicenda. Quintilianus primum definit regressionem, deinde adfert exemplum, postremo addit hanc figuram a Graecis *ἐπάνοδον*, a Latinis regressionem vocari. Isidorus autem, qui ad ea, quae antecedunt, animum non attendit, sed solum enuntiatum: *ἐπάνοδος dicitur Graece, nostri regressionem vocant* q. s. spectavit, errore exemplum, quod Quintilianus ad aliam quandam figuram illustrandam subiungit, ad hanc pertinere existi-

mavit[1]). Hoc igitur loco Quintilianum esse eius auctorem manifestum est. Idem tenendum est de paradiastola, cuius exemplum Quintilianus ex Rutilii Lupi libro[2]) petiit; Isidorum autem Fabium sequi ex ea re, quod ille exemplum eodem modo contractum adfert atque hic, apparet. Sed episcopus Hispalensis pro *confidente* scripsit *inconsiderato.* Mutasse id Isidorum opinor ideo, quod tum vocem *inconsiderato* aptius opponi voci *fortem* sensit; nam *confidens* eius aetate non priorem illam sententiam retinuisse ex Cantabr. interpr. ev. Marc. 7, 35 colligo, ubi *et loquebatur confidenter* respondet Graeco *καὶ ἐλάλει ὀρθῶς*. Eodem modo exemplum ad antanaclasim illustrandam Quintilianus mutuatus est ab Rutilio Lupo[3]), ab Quintiliano Isidorus.

Multo autem plura schemata reperiuntur, quae uterque aut simili modo describit aut iisdem exemplis illustrat, ita tamen, ut eos communi fonte usos esse veri simile sit.

Quintilianus.	Isidor. p. 517, n. 3.
IX 3, 44: *Prioris etiam sententiae verbum ultimum ac sequentis primum frequenter est idem, quo quidem schemate utuntur poetae saepius .... Sed ne oratores quidem raro: 'Hic tamen vivit: vivit? immo vero etiam in senatum venit'.*	*Anadiplosis est congeminatio verborum, ut: 'Hic tamen vivit: vivit? etiam in senatum venit'*[4]).
81: *Contrapositum autem vel, ut quidam vocant, contentio (ἀντίθετον dicitur) non uno fit modo* q. s.	p. 518, n. 5: *Antitheta, quae Latine contrapositum appellantur: quae dum ex adverso ponuntur, sententiae pulchritudinem faciunt et in ornamento locutionis decentissima existunt, ut Cicero: 'Ex hac parte'* q. s. *Huiusmodi locutionis ornamento liber Ecclesiasticus usus est*[5]): *'Contra malum'* q. s.

[1]) cf. G. Dzialas, Rhet. antiqu. de figuris doctrina, p. 10.

[2]) I 4, p. 5 (H.).

[3]) I 5, p. 5.

[4]) Alexandro Numenio teste anadiplosis ab aliis appellabatur ea figura, in qua secundum dictum incipit a fine eius, quod antecedit; v. III, p. 20, 21 ss. (Sp.): *τοῦτο δέ τινες ἰδίως ἀναδίπλωσιν λέγουσιν, ὅταν τὸ δεύτερον λεγόμενον ἄρχηται ἀπὸ τῆς τοῦ προηγουμένου τελευτῆς, ὡς Σοφοκλῆς· ὦ φίλταθ' ὥς μ' ἀπώλεσας, ἀπώλεσας δῆτ', ὦ κασίγνητον κάρα* — ab aliis ea, quam Caecilius palillogiam, alii epanalepsim vocabant; cf. III, p. 29, 5 sq. (Sp.): *Τοῦτο τὸ σχῆμα ὁ μὲν Καρκῖνος* (*Καικίλιος* coniecit Normannus) *παλιλλογίαν καλεῖ, ἔνιοι δὲ ἀναδίπλωσιν, οἱ δὲ ἐπανάληψιν.* — Ex Isidori verbis *congeminatio verborum* utrum epanalepsim ipsam spectaverit an eius speciem non apparet; sed fortasse exemplo eum eandem atque Quintilianum (l. s.) intellexisse figuram indicatur; nam cum Fabius idem adferat exemplum, utrumque eodem usum esse auctore statuerim.

[5]) Sacrarum litterarum Isidorus rationem non habuit nisi hoc loco, quamquam plura, immo vero permulta exempla ad figuras illustrandas ex iis adferri possent: cf. Bedae Vener. lib. de schem. et trop. p. 607 ss. (H.). Quare Isidorum illum versum aut memoria tenuisse aut paulo ante legisse, quam de hac figura scriberet, crediderim.

45: *Rursus clausulae ibidem statim: 'Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos iudicastis'. Hoc alii συνωνυμίαν, alii disiunctionem vocant, utrumque, etiamsi est diversum, recte: nam est nominum idem significantium separatio. Congregantur quoque verba idem significantia: 'Quae cum ita sint, Catilina, perge quo coepisti, egredere aliquando'* q. s.

p. 518 n. 6: *Synonymia est, quotiens in conexa oratione pluribus verbis unam rem significamus, ut ait Cicero: 'Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas': et item: 'Non feram, non patiar, non sinam'.*

46: *Illa vero apud Ciceronem mira figurarum mixtura deprehenditur, in qua et primo verbo longum post intervallum redditum est ultimum, et media primis et mediis ultima congruunt: 'Vestrum iam hic factum reprehenditur, patres conscripti, non meum, ac pulcherrimum quidem factum, verum, ut dixi, non meum, sed vestrum'.*

p. 518, n. 8: *Antapodosis, quotiens media primis et ultimis conveniunt: 'Vestrum iam hoc factum reprehendo, patres conscripti, non meum; ac pulcherrimum quidem factum, verum, ut dixi, non meum, sed vestrum'.*

85 sq.: *Fit etiam adsumpta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολή dicitur: 'Non, ut edam, vivo, sed, ut vivam, edo'. Et quod apud Ciceronem conversum ita est . . . .: Est et nominibus ex diverso collocatis sua gratia: 'Si consul Antonius, Brutus hostis, si conservator rei publicae Brutus, hostis Antonius'.*

p. 519, n. 11: *Antimetabole est conversio verborum, quae ordine mutato contrarium efficit sensum: 'Non, ut edam, vivo, sed, ut vivam, edo'. Et illud: 'Si consul Antonius, Brutus hostis: si conservator rei publicae Brutus, hostis Antonius'.*

31: *Et in isdem desinunt: 'Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius.' Quamquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cuius et initia inter se et rursus inter se fines idem sunt, quis et quis, Appius et Appius.*

p. 519, v. 6 sq.: *Exoche est ut: 'Quis eos appellavit? Appius. Quis produxit? Appius'.*

IX, 2, 16 sq.: *Mire vero in causis valet praesumptio, quae πρόληψις dicitur, cum id, quod obici potest, occupamus . . . Est enim quaedam praemunitio, qualis Ciceronis contra Q. Caecilium.*

p. 520 v. 16 ss., 27: *Sunt et aliae, procatalepsis, cum id, quod nobis obici poterat, ante praesumimus ad diluendum, ut: 'Si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur'* (cf. Cic. Divin. in Caec. 1).

Sunt et aporia, dubitatio simulantis, nescire se quae scit, aut quomodo dicatur.

19: *Adfert aliquam fidem veritatis et dubitatio, cum simulamus quaerere nos, unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit.*

20: *A quo schemate non procul abest illa, quae dicitur communicatio cum aut*

28. *Coenosis autem dicitur communicatio consilii cum iudicibus aut adver-*

ipsos adversarios consulimus .... aut cum iudicibus quasi deliberamus ....

sariis, ut si dicas: 'Vos consulo, iudices, aut vos, adversarii, quid me facere convenerit, aut quid vos facturi fuissetis'.

22 ss. *Sed nonnumquam communicantes aliquid inexpectatum subiungimus, quod et per se schema est, ut in Verrem Cicero ...... Deinde cum diu suspendisset iudicum animos, subiecit, quod multo esset improbius. Hoc Celsus 'sustentationem' vocat .... Sed quia non tantum per communicationem fieri solet, παράδοξον alii nominarunt, id est 'inopinatum.' Illis non accedo, qui schema esse existimant etiam, si quid nobis ipsis dicamus inexpectatum accidisse ....*

29: *Paradoxon est, cum dicimus inopinatum aliquid accidisse, ut pro Flacco Cicero: 'Cuius laudis praedicator esse debuerit, eius periculi deprecatorem esse factum'.*

25: *Paene idem fons est illius, quam permissionem vocant, qui communicationis, cum aliqua ipsis iudicibus relinquimus aestimanda, aliqua nonnumquam adversariis quoque, ut Calvus Vatinio: 'Perfrica frontem et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem'.*

27: *Quod idem dictum sit de oratione libera, quam.... Graeci παρρησίαν (vocant).*

30. *Epitrope, id est permissio, cum aliqua ipsis iudicibus aut adversariis permittimus existimanda, ut Calvus in Vatinium: 'Perfrica frontem et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem.'*

31. *Parrhesia est oratio libertatis et fiduciae plena, ut: 'Occidi non Spurium Maelium' et cetera. Qua figura caute utendum est, ut Cicero; praemisit enim facti rationem.*

29 ss. *Illa adhuc audaciora et maiorum, ut Cicero existimat, laterum, fictiones personarum, quae προσωποποιίαι dicuntur ... Urbes etiam populique vocem accipiunt. Ac sunt quidam, qui has demum προσωποποιίας dicant, in quibus et corpora et verba fingimus: sermones hominum adsimulatos dicere διαλόγους malunt, quod Latinorum quidam dixerunt sermocinationem. Ego iam recepto more utrumque eodem modo appellavi ... Sed in his, quae natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: 'Etenim si mecum patria mea, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis res publica sic loquatur: M. Tulli, quid agis?'*

45. *Prosopopoeia est, cum inanimalium et persona et sermo fingitur. Cicero in Catilinam: 'Etenim si mecum patria mea, quae mihi vita mea multo est carior, loqueretur' dicens et cetera.*

58: *Imitatio morum alienorum, quae ἠθοποιία ... dicitur ..... versatur et in factis et in dictis.*

III 8, 54: *Frequentissime .... utimur ficta personarum, quas ipsi substituimus, oratione, ut apud Ciceronem pro Caelio Clodiam et Caecus Appius et Clodius frater .... adloquitur.*

32. *Ethopoeia est, cum sermonem ex aliena persona inducimus, ut pro Caelio Tullius facit Appium Caecum cum Clodia loquentem.*

IX 2, 41: *Nec solum quae facta sint aut fiant, sed etiam quae futura sint aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat hoc Cicero pro Milone, quae facturus fuerit Clodius, si praeturam invasisset. Sed haec quidem translatio temporum, quae proprie μετάστασις dicitur, in διατυπώσει verecundior apud priores fuit: praeponebant enim talia: 'Credite vos intueri,' ut Cicero: 'Haec, quae non vidistis oculis, animis cernere potestis'.*	34. *Metathesis est, quae mittit animos iudicum in res praeteritas aut futuras, hoc modo: 'Revocate mentes ad spectaculum expugnatae miserae civitatis, et videre vos credite incendia, caedes, rapinas, direptiones, liberorum corporum iniurias, captivitates matronarum, trucidationes senum.' In futurum autem anticipatio eorum, quae dicturus est adversarius, ut Tullius pro Milone, cum mittit animos iudicum in eum rei publicae statum, qui futurus est, etiamsi occiso Milone Clodius viveret.*
54: *Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero 'reticentiam', Celsus 'obticentiam,' nonnulli 'interruptionem' appellant, et ipsa ostendit aliquid adfectus vel irae, ut 'Quos ego — sed motos praestat componere fluctus'.*	35. *Aposiopesis est, cum id, quod dicturi videbamur, silentio intercipimus: 'Quos ego — sed motos praestat componere fluctus.'*
55: *In quo est et illa, si tamen inter schemata numerari debet, cum aliis etiam pars causae videatur, digressio.*	36. *Epanalepsis est digressio*[1], *ut 'Tulit calor me dicendi et dignitas rerum paulo longius, quam volebam, sed redeo ad causam.'*
44: *Εἰρωνείαν inveni* q. s. 50: *Nec in personis tantum, sed et in rebus versatur haec contraria dicendi, quam quae intellegi velis, ratio.*	41. *Ironia est, cum per simulationem diversum, quam dicit, intellegi cupit* q. s.
61: *Unde etiam venusti transitus fiunt... ut Cicero narrato Pisonis exemplo, qui anulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo iusserat, velut hoc in memoriam inductus adiecit: 'Hic modo me commonuit Pisonis anulus, quod totum effluxerat . . . .'*	37. *Anamnesis est commemoratio eius rei, quam oblitos fuisse nos fingimus.*
63: *Aliqua mentione habita differre et deponere apud memoriam iudicis*	46. *Paraetesis est, cum quasi deponimus aliquid inperfectum apud memoriam iudicum repetituros nos dicentes, cum opportunum fuerit.*
et reposcere quae deposueris.	38. *Apaetesis est, cum id, quod in animos iudicum quasi deposueramus, opportune reposcimus.*
14: *Ceterum et interrogandi se ipsum et respondendi sibi solent esse non ingratae vices.*	47. *Peusis, id est soliloquium, cum ad interrogata ipsi nobis respondemus.*

Magna sane his locis inter Isidorum et Quintilianum intercedit similitudo; sed hunc illius esse auctorem non est probabile. Certe enim ex Fabio exscriptae esse non possunt hae appellationes Graecae:

[1] Sine dubio hoc Isidorus neglegenter exscripsit; nam revera epanalepsis est reditus e digressione, quod colligi potest etiam ex eo, quod adfert exemplum (cf. H. Monse, *Vet. rhet. de sentent. figuris doctrina*, p. 37). Sed eius auctorem etiam de digressione egisse pro certo habeo.

Antapodosis, exoche, procatalepsis, aporia, coenosis, epitrope, epanalepsis, anamnesis, paractesis, apaetesis, peusis. Deinde Isidorus multa exempla eaque aptissima ad res illustrandas adfert, quae apud Quintilianum desunt. Accedit, quod nonnullas figuras aptius (velut antimetabolam[1]) aut pluribus describit, velut parrhesiam; addit enim haec verba: 'qua figura caute utendum est, ut Cicero; praemisit enim facti rationem.' Quae omnia episcopum Hispalensem de suis adiecisse omnino credere non possum. Quare eum alium quendam scriptorem eumque Latinum consuluisse statuo. Sed cum Quintilianum etiam auctoribus Latinis usum esse constet, facile fieri potuit, ut Isidorus eundem atque ille adierit fontem. Quare ea, quae in utroque similia reperiuntur, ad communem fontem referre volo. Quam sententiam nonnullis observationibus confirmabo. Fabius praesumptionis (sive praemunitionis, quae est praesumptionis species) exemplum tantum indicat neque ipsa Ciceronis verba adscribit. Isidorus autem ea, quae de procatalepsi habet, ex auctore, qui Ciceronis verba ipsa protulit, exscripsisse videtur; nam eum Fabii verbis: 'qualis (praemunitio) Ciceronis contra Q. Caecilium' adductum esse, ut hanc orationem ipsam evolveret, minime probabile est. Utrumque igitur ex eodem fonte hausisse veri simile est; Quintilianus autem exemplum tantummodo commemoravit, quod episcopus Hispalensis integrum recepit. Praeterea miro modo congruit utriusque de temporum translatione disputatio. Sed huius auctorem Fabium non esse praeter exemplum, quod adfert, inprimis ea re demonstratur, quod illam sub oculos subiectionem, cui temporum translationem subicit, non hypotyposin, sed enargiam, quod nomen Graecum Quintilianus illo loco non exhibet, vocat. Postremo Fabius varios velut vultus actioni dandos[2]) tam breviter perstringit, ut eum ex auctore quodam ea, quae ei maioris momenti esse videbantur, excerpsisse statuendum sit; Isidorus autem non solum eas, quas ille commemoravit, figuras additis nominibus Graecis transcripsit, sed etiam alias eiusdem generis, velut epangeliam et synchoresin.

Quis vero sit ille auctor, quo uterque sit usus, ex indiciis quibusdam conici posse opinor.

Primum ea, quae uterque de ea figura, quam Cicero 'sub oculos subiectionem' vocavit, scripsit, conferamus.

[1]) cf. Dzialas l. l. p. 22 'pessima est definitio Quintiliani'.

[2]) cf. IX 2, 63.

Quintilianus.

IX 2, 40: *Illa vero, ut ait Cicero, 'sub oculos subiectio' tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur, nec universa, sed per partes: quem locum proximo libro subiecimus evidentiae. Celsus hoc nomen isti figurae dedit; ab aliis ὑποτύπωσις dicitur proposita quaedam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videantur quam audiri .... Nec solum quae facta sint aut fiant, sed etiam quae futura sint aut futura fuerint imaginamur.*

Isidor. p. 521, n. 33.

Enargia est rerum gestarum aut quasi gestarum sub oculis inductio, de qua locuti iam sumus.

Namque cum enargia Graecum nomen evidentiae sit, Isidorum ea, quae habet, ex Celsi libris excerpsisse mihi veri simile est. At dixerit quispiam Celsum non adiecisse Graecas appellationes; quare de hac quaestione accuratius nobis est agendum.

Morawskius[1]) quidem, si eius verba recte intellexi, inde, quod Quintilianus figuras Latine tantum appellatas ex Celsi libris profert, hunc figuras tantum Latinis nominibus designasse collegit atque illum contra huius nimiam *καθαρότητος* affectationem haec verba (IX 2, 44) dixisse suspicatur: *Εἰρωνείαν inveni qui dissimulationem vocaret: quo nomine, quia parum totius huius figurae vires videntur ostendi, nimirum sicut in plerisque erimus Graeca appellatione contenti.* Sed nescio an hic vir doctus minus recte iudicaverit de Cornelii scribendi ratione. Argumentum certe, quo suam sententiam confirmare conatur, firmum non est. Nam ex ea re, quod Quintilianus nomina sola Latina ex illius rhetorica adfert, nihil probatur. Fac enim aliquem scriptorem adnotasse Celsum in Medicinae libris instrumentum, quo dentes excipiuntur, forcipem aut oculi morbum quendam suffusionem vocasse. Num ex his verbis Celsum Graecas voces non addidisse concludi potest? Minime; nam si Medicinae libros evolveris, eas adiectas esse cognosces[2]). Simili autem argumento utitur is, qui ex Quintiliani verbis (veluti IX 2, 22: hoc Celsus 'sustentationem' vocat — aut IX 2, 54: *ἀποσιώπησις,* quam idem Cicero 'reticentiam', Celsus 'obticentiam'... appellant) idem de illius in rhetorica usu conicit. Praeterea si illam sententiam secutus eris, maxima difficultate implicaberis. Nondum enim, utrum Celsus rhetoricam ante Medicinae libros ediderit an postea, exploratum est[3]); sed sive hanc sive illam amplexus eris opinionem,

---

[1]) In *Quaest. Quintil.* p. 63.

[2]) VI 6, 35: *Suffusio quoque, quam Graeci ὑπόχυσιν nominant;* VII 12, 1: *si minus, forcipe (id est ὀδοντάγρα) dens excipiendus est.*

[3]) Nam ne iis quidem, quae Kisselius l. l. p. 57 ss. scripsit, quaestio valde est promota, nedum sit soluta.

maxime differre Celsi scribendi rationem in Medicinae et in Institutionum oratoriarum libris statuendum erit. Namque in illis nequaquam adfectat purum sermonem Latinum, immo vero permultas Graecas voces usurpat neque solum, cum res tractat, ad quas significandas Latinis aptae voces desunt — id quod Brolenio visum est[1]) —, sed ne tum quidem a Graecis abstinuit, cum apta verba Latina exstabant aut facile fingi poterant[2]). Neque dici potest id ea re factum esse, quod in Medicinae libris componendis fontibus Graecis sit usus, in Institutionibus autem conscribendis Latinorum tantum rationem habuerit. Nam Celsum ex libris rhetoricis Latinis multa hausisse non infitior, sed eum Graecos prorsus neglexisse credere non possum, praesertim cum probavisse mihi videar eum Aristotelis et Hermagorae scripta rhetorica et novisse et legisse. Itaque Celsum, cum eum scribendi ratione alia in Medicinae, alia in Institutionum libris componendis usum esse neque traditum sit neque ex ulla re possit concludi, ne in his quidem puram Latinitatem adfectasse existimo. Veram esse hanc sententiam vel ex fragmentis comprobari potest; nam ex fr. 10. eum Valgii epichirematis interpretationem Latinam tamquam minus aptam reiecisse intellegimus et fragmento 20.: *nam* (Celsus) *consequens an epichirema sit dubitat* eum revera vocem Graecam epichirema retinuisse edocemur, cum Quintilianus, qui eodem loco Celsi epacoluthesis interpretationem consequens adfert, certe etiam epichirematis, si quam exhibuisset, attulisset[3]).

Quae cum ita sint, Cornelium Celsum cum multis locis tum in figuris describendis, quarum doctrina a Graecis maxime erat exculta, Graecas voces adiecisse arbitror. Profecto apud Romanos omnino moris fuisse videtur, ut in figuris designandis etiam nominibus Graecis uterentur; nam Rutilium Lupum appellationes Graecas solas attulisse notum est atque Visellium non solum Latina, sed etiam Graeca nomina adhibuisse ex his conicio Fabii verbis (IX 2, 106): *Visellius, quamquam*

[1]) l. l. p. 10.

[2]) veluti II 1, p. 29, v. 31 sq. D.: *resolutio nervorum; παράλυσιν Graeci nominant;* ibid. p. 31, 13: *malus corporis habitus, καχεξίαν Graeci appellant*; II 12, p. 56, 18 sq.: *squamam aeris, quam λεπίδα χαλκοῦ Graeci vocant;* II 23, p. 73, 7 ss.: *herba muralis, περδίκιον appellant ... herba sanguinalis, quam Graeci πολύγονον vocant .... solanum, quam στρύχνον Graeci vocant;* VII 18, p. 295, 26: *ὄσχεον Graeci, scrotum nostri vocant;* VIII 1, p. 324, 29 sq.: *Iugale appellari potest ab eadem similitudine, a qua id Graeci ζύγωμα appellant;* ibid. p. 326, 21: *nostri scutula operta, ὠμοπλάτας Graeci nominant*; VIII 3, p. 330, 26: *modiolo, quam χοινικίδα Graeci vocant;* ibid. p. 332, 9: *per quem membranae custos immittatur; μηνιγγοφύλακα Graeci vocant,* alia multa.

[3]) Fortasse etiam ex fr. 14.: *Siquidem Celsus κακέμφατον apud Vergilium putat* q. s. Celsum a Graecis vocabulis non abstinuisse colligi licet.

paucissimas faciat figuras, ἐνθύμημα tamen, quod commentum vocat, et rationem appellans ἐπιχείρημα inter eas habet. — Praeterea casu factum esse negaverim, ut omnes rhetores Latini minores, quorum de figuris disputationes aetas tulit, hanc sequerentur consuetudinem.

Alterum indicium, ex quo in Isidori figuris Celsi doctrinam latere colligo, in figura, quam ille athrismum vocat, repperisse mihi videor. Quintilianus quidem eandem significat (IX 3, 48) his verbis: *Congeruntur et diversa: 'mulier, tyranni saeva crudelitas, patris amor, ira praeceps, temeritatis dementia'* [1]), sed, quae apud episcopum Hispalensem leguntur, Quintiliano non deberi satis manifestum est. Etenim hic eam in verborum, ille in sententiarum figuris posuit; hic vocem Graecam non exhibet, quam ille adfert; hic aliter eam describit alioque exemplo illustrat atque ille. Attamen Celsum hoc schema statuisse atque συναθροισμόν vocasse ex Quintiliani verbis demonstrare possumus. Nam mirum in modum Quintiliani quaedam (VIII 4) congruunt cum iis, quae Iulius Severianus de augendi virtute conscripsit.

Quintil. VIII 4.

1. *Prima est igitur amplificandi vel minuendi species in ipso rei nomine, ut cum eum, qui sit caesus, 'occisum', eum, qui sit improbus, 'latronem'... dicimus... 2. Hoc genus increscit ac fit manifestius, si ampliora verba cum ipsis nominibus, pro quibus ea posituri sumus, conferantur, ut Cicero in Verrem: 'Non enim furem, sed ereptorem... in vestrum iudicium adduximus'.*

26 ss. *Potest adscribi amplificationi congeries quoque verborum ac sententiarum idem significantium. Nam, etiamsi non per gradus ascendant, tamen velut acervo quodam adlevantur: 'Quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?'. Simile*

Iul. Severian. p. 368, 29 ss. (H.)

22. *Adfectus hactenus crescunt, ut cum eum, qui sit caesus, occisum, qui sit improbus, latronem nominemus. Si extollendum aliquid fuerit, ampliora verba ponenda sunt cum ipsis nominibus, ut Cicero: 'Non furem, sed ereptorem'* q. s.

Item crescit adfectus, ut, cum unum crimen sit, sententiae aut verba unum significantia acervo quodam congeruntur, ut est: 'Quid enim tuus ille, Tubero...?'

---

[1]) Quod Dzialam fugisse videtur, ei (p. 14.) haec scribit: *Quintilianus VIII 4, 27 plurium rerum congeriem συναθροισμόν vocari dicit, sed in figuris ab eo tractatis non invenitur, nisi forte cum Ernestio* (Lexic. technol. Lat. s. v. *congeries*) *et Kaisero p. 303 accipere volumus significari hoc schema IX 2, 103: consummatio, quam Rutilius διαμάχην* (al. *διαλλαγήν) vocat'* q. s.

est hoc figurae, quam συναθροισμόν vocant, sed illic plurium rerum est congeries, hic unius multiplicatio. Haec etiam crescere solet verbis omnibus altius atque altius insurgentibus: 'Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum et civium Romanorum, lictor Sextius'.

VIII 4, 1. *Prima est igitur amplificandi vel minuendi species in ipso rei nomine, ut cum eum, qui sit caesus, 'occisum' .... contraque eum, qui pulsavit, 'attigisse;' qui vulneravit, 'laesisse' dicimus.*

Ergo alibi congeries multorum criminum enumeratio est, hic unius verbis facta multiplicatio. Similiter: 'Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris ... lictor Sextius'.

p. 369, 25 ss. *Contra species minuendi haec est, ut eum, qui pulsavit, attigisse, qui vulneravit, laesisse dicamus, ut Cicero: 'Vulnus quod acu punctum videretur;' item 'uxores suas a cena redeuntes adtrectatas esse.'*

Tam magna igitur hoc loco similitudo inter Quintilianum et Iulium Severianum intercedit, ut hunc ex illo ea exscripsisse suspicari possis; sed si respexeris ea, quibus Iulii Severiani libellum Celsi Institutionum epitomam esse probare studuimus, Reitzensteinio[1]), qui hoc loco utrumque ex eodem fonte hausisse censuit, adsentieris, praesertim cum ad minuendi virtutem illustrandam uterque aliis utatur exemplis.

Quintilianus autem hoc loco figurae, 'quam *συναθροισμόν* vocant', mentionem fecit; quae verba item ex Celsi rhetorica videntur fluxisse. Nam si Iulius Severianus haec dicit '*alibi congeries multorum criminum enumeratio est*', auctorem eius congeriem cum alia quadam dicendi ratione contulisse manifestum est; quem scriptorem tam neglegenter quam Iulius Severianus rem absolvisse credi non potest. Ceterum hic ea de causa fontis verba mutasse videtur, quod vocem Graecam recipere noluit, quod sane congruit cum eius exscribendi ratione. Quare Celsum hanc figuram eiusque nomen Graecum protulisse mihi certum fere est. Isidorus autem, cum ita dicit: '*Athrismus est, cum plures sensus breviter expeditos in unum locum coacervat,*' idem schema similiter describit (cf. Quintil. verba: *plurium rerum est congeries*) eique idem fere nomen dat *(ἀθροισμός: συναθροισμός)*. Adde quod verbum *coacervat* Celsi verba *acervo quodam* in memoriam revocat.

Restat, ut quod tertium inveni Celsi vestigium indicem.

Si Quintiliani verba (IX 2, 104): *Praeter haec Celsus excludere, adseverare, detrectare, excitare iudicem ... adulari, ignoscere, fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere figuras putat* spectaverimus, facere non poterimus, quin Celsum inter eos fuisse, qui totidem sententiarum figuras putabant quot adfectus (cf. Quintil. IX 1, 22) aut motus animi, existimemus. Nam si *adulari, ignoscere, fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere* figuras esse censuit, eum alios

[1]) l. l. p. 59.

adfectus velut *irasci* et *gaudere* et *timere* iis non attribuisse existimare sane ineptum esset. Quare Quintilianus illius rationem habuisse videtur, cum (IX 1, 23) haec scribit: *Quapropter in dicendo irasci, dolere, misereri, timere, confidere, contemnere non sunt figurae, non magis quam suadere, minari, rogare, excusare* — et (IX 2, 26 sq.): *Quae vero sunt augendis adfectibus accommodatae figurae, constant maxime simulatione. Namque et irasci nos et gaudere et timere et admirari et dolere et indignari et optare quaeque sunt similia his fingimus..... haec quotiens vera sunt, non sunt in ea forma, de qua nunc loquimur: at simulata et arte composita procul dubio schemata sunt existimanda. Quod idem dictum sit de oratione libera.* — Neque enim aliud his locis reprehendit, quam quod postea, ubi Celsum nominat (IX 2, 103): *Quorum nihil non rectum est, nisi cum aliquam ex iis, de quibus locuti sumus, figuram accipit. Praeter haec Celsus et* q. s. Quare ne audaciae coarguamur, illos Fabii locos cum eo, quo Cornelii nominatim fit mentio, coniungemus. Neque obstat, quod Quintilianus nonnulla ex illo adfert; nam ea sola schemata, quae singuli rhetores praeter ea, *quae Cicero inter lumina posuit sententiarum,* se adferre diserte testatur; ille vero irasci, obiurgare, deprecari, supplicare, optare, exsecrare, similia (Or. 138, de Or. III 205) inter figuras posuit.

Celsus igitur eam recepit de figuris doctrinam, quam Ciceronem[1]) secutum esse scimus, quam Dionysius[2]) approbavit, quam Apollodoro placuisse Caecilius est auctor apud Quintilianum[3]). Isidorum autem eandem atque Celsum sequi doctrinam colligi potest ex iis, quae sequuntur.

Celsus apud Quintil.[4])	Isidor. p. 517, v. 16 ss. (H.).
	16. *Sententiarum species multae sunt: aliae enim sunt indicativae, aliae sunt pronuntiativae .... aliae imperativae ......*
IX 2, 26: *admirari.*	*aliae admirativae:*

1) de Or. III 201: *Formantur autem et verba et sententiae paene innumerabiliter.*

2) Artis rhet. tract. IX 1, p. 322 R.: *ἡμεῖς δέ φαμεν ὅτι τοσοῦτον ἀπέχει ὀρθῶς λέγειν ὁ λέγων μὴ εἶναι ἐσχηματισμένους λόγους, ὥστε τοὐναντίον οὐδεὶς λόγος ἀσχημάτιστος οὐδὲ ἁπλοῦς λόγος οὐδεὶς .... τὸ προσαγορεύειν ἄνευ σχήματος οὐ γίνεται. Ὁ μὲν φιλοφρόνως προσαγορεύει, ὁ δ᾽αἰδημόνως, ὁ δὲ σκώπτων, ὁ δὲ ἱλαρῶς, ὁ δὲ ὡς θαυμάζων ..*; de comp. 8, p. 45 R.: *ἡ δὲ περὶ τὸν σχηματισμὸν ποταπή (θεωρία;) οὐχ ἔστιν εἷς τρόπος τῆς ἐκφορᾶς τῶν νοημάτων, ἀλλὰ τὰ μὲν ὡς ἀποφαινόμενοι λέγομεν, τὰ δὲ ὡς διαποροῦντες, τὰ δὲ ὡς πυνθανόμενοι, τὰ δὲ ὡς ἐπιτάττοντες, τὰ δὲ ὡς ὑποτιθέμενοι, τὰ δ᾽ἄλλως πως σχηματίζοντες ...*

3) IX 1, 12: *Quo si contenti sumus, non immerito Apollodorus, si tradenti Caecilio credimus, incomprehensibilia partis huius praecepta existimavit.*

4) Adscripsimus eos quoque locos, quos ad Celsum esse referendos supra suspicati sumus, etiamsi Quintilianus eum diserte non nominat.

cf. ibid. 10: *et admirationi: 'Quid non mortalia pectora'* q. s.

'Tantaene animis caelestibus irae?'

IX 2, 26: *indignari.*
cf. ibid. 10: *totum hoc (interrogare) plenum est varietatis: nam et indignationi convenit: 'Et quisquam numen Iunonis adorat?'*
IX 1, 23: *irasci.*
cf. IX 2, 6 sq.: *Quid enim tam commune quam interrogare .... Simplex est sic rogare: 'Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?' Figuratum autem, quotiens non sciscitandi gratia adsumitur.*

17. *aliae comparativae: 'Si vinco et pereo, quid ibi me vincere?'*
aliae superlativae, quae cum aliquo motu animi et indignatione animi promuntur: 'Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?'

Aliae interrogativae: 'Iuvenes, quae causa subegit ignotas temptare vias? Qui genus, unde domo? pacemve huc fertis an arma?'

IX 2, 104: *precari.*

18. *Aliae responsivae, ut 'illinc istinc'; aliae deprecativae, ut: 'Eripe me his, invicte malis;'*
aliae promissivae, ut 'Parce metu, Cytherea, manent inmota tuorum'; aliae concessivae, quae cum inpulsione prohibeant, ut: 'I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.' Quae tamen ne non intellecta sit persuasio, permixta sunt aliqua, quae retent latenter, ut 'Ventis pete regna per undas.'
Aliae demonstrativae, ut 'en, ecce':

ibid.: *excludere.*
cf. IX 2, 26 sq.: *Unde sunt illa: ... 'O tempora, o mores!' et 'Miserum me!' ... Quod exclamationem quidam vocant ponuntque inter figuras orationis... at simulata* q s.
IX 2, 103: *exhortationem,* **παραινετικόν.**

19. *aliae derogativae, ut 'nequaquam', aliae, quae cum exclamatione proferuntur, ut: 'Quis furor, o cives, pacem convertit in arma?' et Cicero: 'O dii inmortales, ubinam gentium sumus?'*
20. *Aliae exhortativae, cum ad sententiam provocamus, ut: 'Aude hospes, contemnere opes.'*
21. *Aliae dehortativae, cum a contrario vitio peccatoque reducimus.*

IX 2, 104: *adseverare.*
IX 1, 23: *suadere (?).*

Sunt et adfirmativae, ut 'quidni, quippe':
22. *praeceptivae, ut: 'Nudus ara, sere nudus: habebis frigore febres':*
23. *vetativae, ut: 'Neve inter vites corylum sere, neve flagella summa pete':*

IX 2, 104: *excludere.*

24. *negativae, ut: 'non, minime'.*
Sunt et admirativae, ut: 'Pape, vivere non licet, et fornicari libet?'

ibid. 26: } *dolere.*
IX 1, 23: }

25. *Dolentis, ut: 'Heu mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis.'*
Flentis similitudine sic: 'Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta':

IX 2, 104: *admonere.*

admonentis

	inridentis
	gementis
103: *exhortationem, παραινετικόν.*	*exhortativae*
	consolativae
IX 1, 23: *misereri.*	*commiserantis:*
2, 26: *quaeque sunt similia his fingimus.*	*quorum quot sunt figurae, tot et in pronuntiando voces.*
	26. *Sunt et amphidoxae, quarum pars honesta est, pars inhonesta, ut: 'Non est aut tuta voluntas: magna petis Phaethon.'*

Isidorum compluribus locis neglegenter egisse primo aspectu apparet; nam figuras quasdam veluti admirationis, exhortationis bis tractavit. Quaedam etiam ex aliis scriptoribus sumpsit (veluti p. 519, v. 28 sq.: *Quae tamen ne non intellecta* q. s. ex Servio ad v. Aen. IV 381: *I, sequere Italiam ventis;* exemplum: *Quis furor* q. s. p. 520, v. 1 ex Petron. sat. 108, p. 132 ed. Buechel.; versum *Nudus ara* q. s., quo irridetur Verg. Georg. I, v. 299, nescio ex quo scriptore; exemplum: *Pape, vivere non licet* q. s. p. 520, v. 9 ex Hieronymi epist. 4, c. 6. ad Rusticum), sed cetera maximam partem Celsianae doctrinae speciem videntur praebere.

At dices fortasse: cur episcopus Hispalensis hoc loco nomina Graeca non adiecit? Quod ea in fonte suo non invenisse opinor; illa enim schemata propriis artis vocabulis designata fuisse negaverim.

Neque me fugit hoc loco omnia fere exempla ex Vergilii carminibus petita esse. Attamen hanc rem non obstare existimo, quominus Celsum Isidori principem auctorem esse statuamus. Nam illum in Institutionum libris Vergilii rationem habuisse elucet ex fr. 14.: *Siquidem Celsus κακέμφατον apud Vergilium putat:*

'incipiunt agitata tumescere.'

Fortasse singulis his figuris praeter alia exempla singula Vergiliana adiecit, quae Isidorus sola videtur exscripsisse.

Huius igitur princeps auctor in figuris describendis Cornelius Celsus mihi esse videtur atque eum ex hoc omnia schemata praeter ea, quae supra ad Quintilianum rettulimus, excerpsisse veri simile esse puto.

Sed exoriuntur difficultates quaedam, quae expediendae sunt.

Primum quae Isidorus de 'inopinato' scripsit, adversari videntur iis, quae Quintilianus de Celsi 'sustentatione' memoriae tradit. At si accuratius rem spectaverimus, vel hanc figuram ex Cornelii rhetorica esse exscriptam statuemus. Nam quod schema Celsus 'sustentationem' vocavit, est 'inopinatum', quod fit per communicationem; quare eum etiam 'inopinatum', quod non fit per communicationem, figuram esse statuisse nequaquam excluditur. Fortasse in 'susten-

tatione' explananda paulum ab ea differre 'inopinatum,' quod Graece *παράδοξον* vocetur, adnotaverat, ut quae hoc loco apud Quintilianum exstant: *sed quia non tantum per communicationem fieri solet, παράδοξον alii nominarunt, id est inopinatum* ad eundem redirent. Certe in episcopi Hispalensis fontem cadit, quod Quintilianus subiungit: *Illis non accedo, qui schema esse existimant etiam, si quid nobis ipsis dicamus inexspectatum accidisse.* Nescio an haec sententia confirmari possit iis, quae Iulius Rufinianus de eadem figura scripsit (p. 46, 24 ss. H.): *παράδοξον sive ὑπομονή, sustentatio (!) vel inopinatum. Hoc schema suspendit sensum, deinde subicit aliquid eo contra exspectationem auditoris sive maius sive minus et ideo sustentatio vel inopinatum dicitur. Cicero pro Ligario: 'Hinc prohibitus'* q. s. Recte quidem Monse (p. 12) haec dicit: 'Sed interest aliquid inter sustentationem et inopinatum, quod Iulius Rufinianus animadvertisse non videtur' — sed si subicit: 'etiamsi hausit e Quintiliano hoc loco, ut multis aliis' — eum errasse opinor. Nam cur Iulius, si hunc secutus est, eius exemplum non recepit, quod sane aptum est, sed aliud profert? An eum ipsum exempla ex scriptoribus petivisse statuamus?

Altera est quaestio, noveritne Isidorus Rutilii Lupi libellum; tres enim figuras habet, quas Rutilium solum proposuisse Quintilianus tradere videtur. Sed episcopum Hispalensem schema, quod characterismum vocat, ex illo petivisse nemo credet, qui utriusque verba contulerit.

Rut. Lup. p. 16, v. 1 ss.	Isidor. p. 521, 19 ss.
7. *Χαρακτηρισμός. Quem ad modum pictor coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate aut vitia aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat. Lyconis: 'Quid in hoc arbitrer'* q. s.	*Characterismus est descriptio figurae alicuius expressa ut: 'Omnia Mercurio similis'* q. s.

Sed res apte explicari poterit, si Quintiliani verba (IX 3, 99) recte interpretati erimus: *Item Rutilius praeter ea, quae apud alios quoque sunt, παρομολογίαν, ἀναγκαῖον, ἠθοποιίαν, δικαιολογίαν, πρόληψιν, χαρακτηρισμόν, βραχυλογίαν, παρασιώπησιν, παρρησίαν, de quibus idem dico.* — Fabius enim non dicit Rutilium solum haec schemata statuisse, sed eum solum ea *figuris verborum* adnumerasse. Quod vel indicatur verbis: *de quibus idem dico*; nam hoc *idem* sine dubio spectat ad illa verba, quae paulo ante leguntur: *Quorum priora alterius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt.* Aliter illa verba intellegi posse nego, quia Quintilianus ipse *ἠθοποιίαν, πρόληψιν, παρρησίαν* figuras sententiarum esse dixit. Ceterum hic rem non satis accurate tractavisse videtur, quia *ἀναγκαῖον* cum hoc loco tum IX 2, 106 commemoravit. Neque deinde ex eius verbis (IX 3, 98):

Quod vero schema est ad propositum subiecta ratio, quod Rutilius αἰτιολογίαν vocat, Celsum hanc figuram neglexisse concludi potest. Immo vero has Celsum figuris *sententiarum* adnumeravisse neque alium atque Celsum Isidoro praebuisse dixerim. Minus bene res se habet de figura, quae Graece vocatur anamnesis. Diu multumque haesitavi, sed quo diligentius rem perpendi, eo magis Rutilium Isidori auctorem non esse mihi persuasi. Quintiliani quidem verba (IX 2, 106): *Rutilius sive Gorgias ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν* q. s. aliter intellegi non possunt atque Rutilium '*Praeter illa..., quae Cicero inter lumina posuit sententiarum*' etiam illa schemata proposuisse eumque solum atque primum. Attamen si totam hanc disputationem (IX 2, 102—107) accurate perlegeris, Quintilianum non satis diligenter rem tractasse cognosces. Neque enim mihi dubium est, quin verba: *Praeter illa vero, quae Cicero inter lumina posuit sententiarum* referenda sint etiam ad ea, quae sequuntur: *Praeter haec Celsus excludere, adseverare* q. s.. At Cicero et partitionem et propositionem et divisionem sententiarum luminibus attribuit[1]). Deinde quod supra indicavi illud '*ἀναγκαῖον*' et hoc loco et IX 3, 99 invenitur. Adde, quod Celsum, si figuras, quibus *actioni varios velut vultus* dat orator, 'anamnesin' omisisse prorsus non est probabile. Praeterea Quintilianus ipse hoc schema non reicit IX 2, 61: *Unde etiam venusti transitus fiunt, non quia transitus ipse sit schema, ut Cicero narrato Pisonis exemplo, qui anulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo iusserat, velut hoc in memoriam inductus adiecit: 'Hic modo me commonuit Pisonis anulus, quod totum effluxerat'*; quare mirum est eum postea idem reicere; nam enuntiatum: *sed ut haec non sunt schemata* ad omnia, quae antecedunt, pertinere existimo. Nonne igitur cogitari potest Quintilianum aut errasse aut in hac re tractanda minus diligenter egisse? Fortasse autem res sic explicanda est, ut eum Rutilii Lupi libellum hoc loco non evolvisse statuamus; sane de iis, quae in ss. 102. et 103. leguntur, id est veri simile. Nam omnium figurarum, quas profert, prius nomina Latina adfert, tum demum Graeca: *Multa alia... Rutilius.... et Celsus, videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata: consummationem, quam Graecus † διαμάχην vocat,...; consequens, ille ἐπακολούθησιν...; collectionem, qui apud illum est συλλογισμός; minas, id est κατάπληξιν: exhorta-*

[1]) cf. de Orat. III 203: *Propositioque, quid sis dicturus;* paulo post adfertur *distributio*: Or. 137: *ut proponat, quid dicturus sit.... ut dividat in partes;* 138: *ut aliud alii tribuens dispertiat;* ac nescio an Ciceronis verba (Or. 138): *ut denuntiet, quid caveant* cum Iahnio (adn. ad hunc locum) ad comminationem, quae Graece vocatur *κατάπληξις*, referenda sint et verba *ut deprecetur, ut supplicet* idem significent atque Cornelii Celsi *precari*.

tionem, παραινετικόν. Praeterea Quintilianum Visellii librum non inspexisse colligo ex hac re, quod, cum sententiam ex eo profert, Celsi simul facit mentionem[1]). Itaque fortasse, quae de Rutilii Lupi et de Visellii figuris adnotat, ex iis, quae Cornelius Celsus de utroque tradiderat, indicavit. Profecto Celsum aliorum de figuris sententias perstrinxisse veri simillimum est; nam hoc sane congruit cum eius scribendi ratione, quam in libris de Medicina compositis secutus est.

De quaestione, quae ratio intercedat inter rhetores, qui post Celsum de figuris egerunt, et Isidorum, hunc illorum libellos non novisse supra monuimus. Sed in iis doctrinam Celsianam latere suspicamur. Iulium Rufinianum quidem ea, quae de sustentatione et inopinato habet, ex Cornelio Celso hausisse probabile est. Fortasse hic rhetor etiam in exsecratione, indignatione, obsecratione, denuntiatione, obiurgatione, precatione, adhortatione describendis quaedam ex libris Celsi, quem has figuras statuisse Quintilianus testatur, sumpsit. Sed nihil certi de ea re proponere possumus. Id unum nego Iulium Rufinianum omnia illa exempla, quae non solum ex Ciceronis et Vergilii, sed etiam ex Plauti et Terentii et Ennii et Catonis et Lucilii et Caesaris scriptis profert, ex scriptoribus ipsis collegisse. Quod idem tenendum est de Aquila Romano, praesertim cum ex ipsius verbis (p. 22, v. 1 ss. H.): *Rhetoricos petis longioris morae ac diligentiae quam pro angustiis temporis,* quod me profecto urget, *ideoque postea plenum hoc tibi munus reddemus. In praesenti autem nomina ipsarum figurarum cum exemplis percurrisse sufficiat* eum hunc libellum celeriter conscripsisse conici possit. At in huius rhetoris libello certum Cornelii vestigium repperisse mihi videor idque eo loco, ubi *quot genera sint elocutionis quotque modis ea utamur* disputat; quod iam explicabo.

Ignoramus quidem, num integer Alexandri liber, ex quo Aquilam figuras exscripsisse Iulius Rufinianus tradit[2]), hoc loco plura exhibuerit, quam libellus, qui sub eius nomine ad hanc pervenit aetatem, sed si ea sola, quae in hoc leguntur, contulerimus cum iis, quae Aquila exhibet, iam dubitabimus, num hic illum sit secutus auctorem, quod singulas res aliter describit atque ille, veluti: *est autem ea (περίοδος), quae sententiam certa quadam circumscriptione definit atque determinat* (p. 27, 25 ss. H.): Alex. III p. 27, v. 17 ss. (Sp.): 'περίοδος μὲν οὖν ἐστι λόγος ἄνευ περιγραφῶν καὶ κώλων συνθέσει αὐτοτελῆ διανοίαν ἐκφέρων'. — Atque certe non casu factum

---

1) cf. IX 2, 101, 106 sq.; nam IX 3, 89 nihil nisi eum de figuris scripsisse dicit.

2) p. 38, 1 sq.: *Hactenus Aquila Romanus ex Alexandro Numenio; exinde ab eo praeteritas, aliis quidem protadis, subtexuimus.*

est, ut Isidorus ad membra et incisa illustranda eodem atque Aquila uteretur exemplo membrumque eodem fere modo definiret:

Aquila p. 27 sq., 32 ss.	Isidor. p. 516, 9 ss.
Membrum quidem est pars orationis ex pluribus verbis absolute aliquid significans, hoc modo: 'Etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere.' Caesum autem est pars orationis, nondum ex duobus aut ex pluribus verbis quicquam absolute significans, hoc modo: 'Etsi vereor, iudices, ne turpe sit.'	2. *Comma est iuncturae finitio, ut puta: 'Etsi vereor, iudices', ecce unum comma; sequitur et aliud comma, 'ne turpe sit pro fortissimo viro dicere', et factum est colon, id est membrum, quod intellectum sensui praestat.*

Itaque utrumque ex eodem fonte hausisse puto; nam Isidorum illa ex Aquilae libello non petivisse primo aspectu apparet. Quem auctorem Celsum esse concedet, qui ea, quae de Isidoro supra diximus, probaverit[1]).

Quibus propositis iam ad ultimam commentationis nostrae accedamus partem, qua, quantum fieri poterit, agemus

V. De Celsi rhetoricae reliquiis disponendis atque explicandis et de ratione, quae intercedit inter Celsum et Quintilianum.

Cum ex Iulii Severiani libello tum ex Isidori disputatione Celsum nequaquam ita esse exorsum, *quasi perfectis omni alio genere*

[1]) Hoc modo etiam similitudo, quae inter Aquilam et Quintilianum intercedit, explicari potest.

Quintil. IX 4, 19 ss.	Aquila p. 27, 12 ss.
Est igitur ante omnia oratio alia vincta atque contexta, soluta alia, qualis in sermone et epistulis ...... 21. *Nonnumquam in causis quoque minoribus decet eadem simplicitas* ...	*Est igitur omnis oratio aut soluta, nulla inter se necessitate numerorum, neque composita membris quibusdam vel determinata certa circumscriptione verborum.* *Ea plerumque in sermone assiduo et in epistulis utimur: interponitur autem et iudicialibus, ubi aliquid simile et proximum sermoni volumus effingere. Aut perpetua, quam Graeci εἰρομένην λέξιν appellant, quae ita conectitur, ut superiorem elocutionem semper proxima sequatur atque ita seriem quandam significatus rerum explicet.*
ibid. 129: *Historia non tam finitos numeros quam orbem quendam contextumque desiderat.*	*Ea praecipue historiae et descriptioni convenit, quae tractum et fusum genus eloquendi, non conversum neque circumscriptum desiderat.*

Quintilianus enim hoc loco etiam Celsi rationem habuisse videtur.

doctrinae summam [in] eloquentia manum imponeret[1]), colligere possumus. Severiani enim tota sectio secunda et episcopi Hispalensis capita X—XIV, quae mihi ex initio Institutionum esse excerpta videntur, ad oratorem futurum informandum pertinent.

Sine dubio Iulius Severianus singulas res, quo ordine in fonte suo invenerat, excerpsit, ut Celsum primum de ingenio, deinde de frequenti studio futuri oratoris egisse veri simile sit. Isidori autem progymnasmata, ut hoc vocabulo Graeco utar, ex eo loco, quo scribendi et declamandi praecepta explanata erant, exscripta videntur esse. Iam vero Celsum res singulas singulis capitibus absolvisse suspicor; nam eum uberius ac fusius de his rebus disputavisse et ex episcopi Hispalensis et ex Iulii Severiani verbis cognosci potest. Ille enim, cum progymnasmatis, quae vocantur, quinque tribuat capita, Celsum de his satis multa praebuisse clare ostendit; hunc autem quaedam excerpsisse cum totius sectionis ratione tum duobus indiciis demonstratur. Duobus enim locis orationum frequentem lectionem commendat; deinde cum ad sapientium praecepta transit, praemittit coniunctionem *nam*, quam quo referas non habes, ut totam hanc sententiam ex longiore expositione petitam esse statuas. Itaque frustula sola ex hac rhetoricae parte exstare puto, ex quibus tamen Celsum in oratore informando Ciceronis pressisse vestigia satis patet[2]). Sed quoniam Cicero has res breviter perstrinxit, Cornelium Celsum alios quoque scriptores consuluisse liquet. In dicendi quidem primordiis, quae proprie sic vocantur, describendis auctorem Graecum secutus videtur esse.

Iam vero quaeritur, sitne usus Quintilianus hac Celsi rhetoricae parte. Quod sane adfirmandum est. Nam in ipso prooemio (§. 26 sq.), ubi de 'natura' disputat, quaedam adeo congruere videntur cum Iulii Severiani verbis, ut mihi dubium non sit, quin Celso usus sit auctore.

Quintilianus, I. prooem.	Iul. Sever. p. 355, 17 ss.
26. *Illud tamen in primis testandum est, nihil praecepta atque artes valere nisi adiuvante natura ....*	*Oratoriis artibus nemo instrui potest, nisi cui ingenium et frequens studium est. Primum animi sit oportet quaedam naturalis ad videndas ediscendasque res potentia: tum vox, latus, decor, valetudo, frugalitas*[3]), *laboris patientia.*
27. *Sunt et alia ingenita cuique adiumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, constantia, decor.*	

[1]) Quintil. Instit. or. I. prooem. 4.

[2]) cf. de Or. I 113 ss., 149 ss.; Or. 118.

[3]) Optime congruit cum Celsi ratione, quod addit vocem *frugalitas*.

cf. X 3, 26: *Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc praecipue bona valetudo, quaeque eam maxime praestat, frugalitas, necessaria est.*

Fortasse Fabius eo quoque loco, quo de copia verborum comparanda disputavit (X 1, 1—45), Celsum respexit, quamquam res ipsae notissimae et pervulgatae sunt.

Quintilianus.	Iul. Sever. p. 355, 20 ss.
	Necessaria deinde orationum frequens lectio est..... neque earum modo, sed et historiarum et carminum, ex quibus compositio dicendi non in totum trahenda est.
X 1, 31: *Historia quoque alere oratorem quodam uberi iucundoque suco potest, verum et ipsa sic est legenda, ut sciamus plerasque eius virtutes oratori esse vitandas.*	
X 1, 27: *Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum multique eius iudicium sequuntur, neque immerito.... 28. Meminerimus tamen, non per omnia poetas esse oratori sequendos* (cf. X 2, 21).	
X 1, 35 sq.: *A philosophorum vero lectione ut essent multa nobis petenda, vitio factum est oratorum.... Sed his quoque adhibendum est simile iudicium.*	*Nam per lectiones sapientium praecepta noscuntur, sine quibus nihil subtile neque magnificum cogitari potest.*

Num errabimus, si Quintilianum illam Theophrasti de legendis poetis sententiam ex Cornelii libris petivisse statuerimus? Id quidem non abhorret ab eius scribendi ratione; namque eum saepe Aristotelis et Theophrasti et aliorum sententias non ex ipsorum libris, sed ex aliis scriptoribus velut ex Ciceronis libris exscripsisse nemo nescit. Item certum fere esse mihi videtur fragmentum, quod primum posui, huc esse referendum. Celsum enim Bruti pro Milone orationem, quo loco utile esse scire *easdem causas ut quisque egerit*[1]) indicavit, commemoravisse arbitror. Praeterea nescio an Quintilianus Celsi etiam rationem habuerit, ubi de lectione oratorum et historicorum apud rhetorem (II 5; cf. Iul. Sev. p. 355, 13 ss.) et ubi de iuris civilis scientia egit (XII 3, 1; cf. Iul. Sev. p. 356, 2 ss.). Deinde Celsiana quaedam fortasse etiam in Fabii capitibus insunt, quae de utilitate et ratione declamandi (II 10) et de scribendo (X 3—5) composuit; Cornelium enim de his rebus disputavisse colligi potest ex Iulii Severiani verbis: *Super haec frequenter scribendum, agendum, declamandum est: his enim rebus oratori fiducia simul cum facundia comparatur* (p. 356, 5 ss.).

[1]) Quintil. Instit. or. X 1, 23.

De primordiis vero dicendi Isidorum neque omnia neque ea, quae habet, genuino ordine adferre supra diximus. Item ea, quae de lege scripta leguntur, maximam partem non ex rhetorica aliqua, sed ex aliis scriptoribus esse excerpta indicavimus. Attamen fortasse Isidorus etiam quaedam ex Celsi libris recepit. Quintilianum enim, cum (II 4, 38): *Nec ignoro,* inquit, *plures fieri a plerisque partes (legis),* non iuris peritorum, sed rhetorum libros spectasse puto. Episcopi autem Hispalensis auctorem unum esse ex iis, qui plures proposuerunt partes, manifestum est. Praeterea Fabii verba: *quaedam an obtineri possint, ambigi solet,* Isidori verbi *possibilis* nos admonent.

Quintilianus II 4, 37 ss.	Isidor. p. 513, 19 ss.
In verbis quaeritur, an satis significent, an sit in iis aliquid ambiguum: in rebus, an lex sibi ipsa consentiat . . . . . Maxime vero commune est quaerere, an sit honesta an utilis. Nec ignoro plures fieri a plerisque partes: sed nos iustum, pium, religiosum ceteraque his similia honesto complectimur . . . . Utilitas quoque interim natura discernitur, interim tempore. Quaedam an obtineri possint, ambigi solet.	*Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriae, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.*

Quintilianus vel in reliquis dicendi primordiis describendis Celsi rationem videtur habuisse. Nam 'catasceuam' eodem modo vertit atque Isidori auctor:

Quintil. II 4, 18.	Isidor. p. 513, 33.
Narrationibus non inutiliter subiungitur opus destruendi confirmandique eas, quod ἀνασκευή et κατασκευή vocatur.	*Catasceua est confirmatio propositae rei.*

Praeterea si dicit: *Id porro non tantum in fabulosis et carmine traditis fieri potest,* eum eandem sequi sententiam atque Celsum exemplis, quae Isidorus adfert, clare ostenditur. Deinde Fabium et Isidori fontem in communibus locis congruere addo.

Quintil. II 4, 22.	Isidor. p. 508, 22 ss.
Communes loci (de iis loquor, quibus citra personas in ipsa vitia moris est perorare, ut in adulterum, aleatorem, petulantem) ex mediis sunt iudiciis et, si reum adicias, accusationes.	*Locus communis ad demonstrativum vituperationis genus pertinet, quod tamen ab eo in aliquo differt; nam vituperatio, quae contraria est laudi, specialiter in certam facientis personam adhibetur.* 8. *Communis vero locus generaliter in facti crimine praeponitur; unde et communis locus dicitur, quia absente persona non tantum in hominem, quantum in ipsum crimen exponitur; omne enim vitium non in uno tantum, sed etiam commune in pluribus invenitur.*

Uterque enim locum communem ad vitia sola spectare existimat, quamquam alii rhetores aliter de hac re iudicaverunt[1]). Ceterum Quintilianus *opus destruendi confirmandique narrationes* tantum commemoravit; quare non est mirum, quod pauca inveniuntur, quae Isidorianis sunt similia.

Neque ea, quae Celsus de ethopoeia exposuerat, neglexisse videtur Fabius.

Quint. XI 1, 31 ss.

Ipsum etiam eloquentiae genus alios aliud decet: nam neque tam plenum et erectum et audax et praecultum senibus conveniret .... etiam morum senilis auctoritas immatura in adulescentibus creditur. Simpliciora militares decent. Philosophiam ex professo .... ostentantibus parum decori sunt plerique orationis ornatus ... Est quod principes deceat .... Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiae ... 39. *Verum etiam in iis causis, quibus advocamur, eadem differentia diligenter est custodienda. Utimur enim fictione personarum et velut ore alieno loquimur, dandique sunt iis, quibus vocem accommodamus, sui mores ....* 41. *Denique non modo quot in causa totidem in prosopopoeia sunt varietates, sed hoc etiam plures, quod in his puerorum, feminarum, populorum, mutarum etiam rerum adsimulamus adfectus ......* 43. *Nec tantum quis et pro quo, sed etiam apud quem dicas interest ....* 46. *Tempus quoque ac locus egent observatione propria.*

Isidor. p. 514, 31 ss.

1. *Ethopoeian vero illam vocamus, in qua hominis personam fingimus pro exprimendis affectibus aetatis, studii, fortunae, laetitiae, sexus, maeroris, audaciae. Nam cum piratae persona suscipitur, audax, abrupta, temeraria erit oratio: cum feminae sermo simulatur, sexui convenire debet oratio; iam vero adulescentis et senis et militis et imperatoris et parasiti et rustici et philosophi diversa oratio dicenda est; aliter enim loquitur gaudio affectus, aliter vulneratus. In quo genere dictionis illa sunt maxime cogitanda, quis loquatur et apud quem et de quo et ubi et quo tempore: quid egerit, quid acturus sit aut quid pati possit, si haec consulta neglexerit.*

---

1) Hermog. prog. II, p. 9, v. 30 ss. Sp.: *῾Ο κοινὸς τόπος προσαγορευόμενος αὔξησιν ἔχει τοῦ ὁμολογουμένου πράγματος, ὡς τῶν ἀποδείξεων ἤδη γεγενημένων· οὐ γὰρ ἔτι ζητοῦμεν, εἰ οὗτος ἱερόσυλος, εἰ οὗτος ἀριστεύς, ἀλλ' ὡς ἀποδεδειγμένου τὴν αὔξησιν ποιούμεθα. Λέγεται δὲ κοινὸς τόπος διότι ἁρμόττει κατὰ παντὸς μὲν ἱεροσύλου, ὑπὲρ παντὸς δὲ ἀριστέως*; Theon. prog. p. 106, v. 5 ss.: *τόπος ἐστὶ λόγος αὐξητικὸς ὁμολογουμένου πράγματος, ἤτοι ἁμαρτήματος ἢ ἀνδραγαθήματος. Ἔστι γὰρ διττὸς ὁ τόπος, ὁ μέν τις κατὰ τῶν πεπονηρευμένων, οἷον κατὰ τυράννου, προδότου, ἀνδροφόνου, ἀσώτου, ὁ δέ τις ὑπὲρ τῶν χρηστόν τι διαπεπραγμένων, οἷον ὑπὲρ τυραννοκτόνου, ἀριστέως, νομοθέτου*; Nic. Soph. prog. III, p. 470, v. 18 ss.: *τόπος δέ ἐστι κοινὸς αὔξησις καὶ καταδρομὴ ὁμολογουμένου ἀδικήματος ...... ὅσοι δὲ καὶ ἀνδραγαθήματος αὐτὸν εἶναι αὔξησιν ὡρίσαντο, οὐκ ἐπέστησαν τὸ ἐγκώμιον τῆς οἰκείας ἐκβάλλοντες χρείας· εἰ γὰρ ὁ κοινὸς τόπος τὸ τοῦ ἐγκωμίου ἐργάσαιτο, περιττὸν καὶ ἄλλως ὄχλος ἡ τοῦ ἐγκωμίου μάθησις.* Nec ideo dubium est, quin inter rhetores controversia fuerit, utrum ad vitia sola an ad vitia et virtutes pertineat locus communis.

Quare cum Quintilianus multis locis eorum, quae Celsus de oratore futuro informando conscripserat, rationem habuisse videatur, ea, quae Morawski (l. l. p. 1) de Fabii libri primi fontibus proposuit, ita mutanda esse puto, ut Quintilianus non grammaticum quendam, sed Celsum potissimum secutus ea, quae de primordiis dicendi et de lectione oratorum et historicorum apud rhetorem et de ratione declamandi habet, videatur conscripsisse.

Iam vero ad ipsius artis praecepta Celsiana explicanda accedamus. Finem rhetoricae Celsus proposuit hunc: *Dicere persuasibiliter in dubia civili materia* (fr. 2.). Non dixit *persuadere*, sed *dicere persuasibiliter*, sine dubio, ne opponi posset, quod Quintilianus his verbis indicavit: *verum et pecunia persuadet et gratia et auctoritas dicentis et dignitas, postremo aspectus etiam ipse sine voce* q. s. (II 15, 6). Vocabulis *in dubia civili materia* vertit Graeca illa *τὰ πολιτικὰ ζητήματα*; quae eum accuratius explicavisse puto: Quintilianus enim Celsum de nulla re dicturum esse oratorem, nisi de qua quaeratur, existimasse[1]) tradit. Quod utique non ex solo enuntiato *in dubia civili materia* collegit. Deinde Cornelium de quaestionibus quibusdam generalibus egisse conicere possumus ex fr. 3.: *Orator simile tantum veri petit ..... non enim bona conscientia, sed victoria litigantis est praemium* — et ex Iulii Severiani verbis his (p. 356, 8 ss.): *In ceteris fere studiis verum quaeritur, finis autem oratoriae virtutis est veri similia dixisse vel tantum contendisse, quantum res passa sit ad victoriam.*

Quintilianus Celsi de fine sententiae haec verba praemittit[2]): *Cautius Theodorus Gadareus, ut iam ad eos veniamus, qui artem quidem esse eam, sed non virtutem putaverunt. Ita enim dicit, ut ipsis eorum verbis utar, qui haec ex Graeco transtulerunt: ars inventrix* q. s. Quibus ex verbis Celsum rhetoricam esse artem definivisse apparet, praesertim cum praeter Theodorum et Celsum nullius fiat mentio, ut, si hunc excipias, non habeas, ad quem praeter illum referas pluralem *eos*. Nam definitio, quae sequitur, similitudinis causa adicitur: *Quibus non sunt dissimiles, qui ab aliis traduntur, qualis est ille: vis* (non dicit *artem!*) *videndi* q. s. Quare fragmentum tertium et Iulii Severiani verba: *In ceteris fere studiis verum quaeritur* q. s., quibus, quae ratio intercedat inter rhetoricam et cetera studia, indicatur, ad hanc rem spectare mihi videntur, ut Celsum, cur illam

---

[1]) fr. 4. Reicienda est Kisselii huius fragmenti interpretatio, quam his verbis protulit (p. 100.): 'Der Redner (habe) über nichts zu sprechen, als was die Klage angehe'; Quintilianus enim de iis rebus, quae ad rhetoricam, non de iis, quae ad causam pertinent, disputat. Cf. III 5, 3 '*Praestantissimis auctoribus placet alia in rhetorice esse, quae probationem desiderent* q. s.'

[2]) II 15, 21.

artem, non scientiam vocaverit, explicavisse sit sumendum; quod non paucis, sed compluribus verbis tractasse videtur, quod Quintilianus, postquam primam attulit sententiam, pergit ita: *Deinde paulo post: non enim* q. s.

Celsum igitur accuratius de rhetoricae fine et ratione disputavisse veri simile est. Qua in re eum aliorum quoque scriptorum sententias attulisse opinor, id quod eum in libris de Medicina servatis saepenumero fecisse videmus. Itaque fieri potuit, ut Quintilianus quaedam ex eius libris hauriret.

Celsus in fine rhetoricae describendo Hermagoram secutus esse et ipsius libros videtur evolvisse. Nam cum Augustinus, quem et hoc et multis aliis locis ex Hermagora hausisse constat, ad civiles quaestiones explicandas praeter alia haec adscribat (p. 138, 34 ss.): *Sunt autem civiles quaestiones, quarum perspectio in communem animi conceptionem potest cadere, quod Graeci κοινὴν ἔννοιαν vocant. Verum ut facilius intellegatur, quae sit haec ipsa condicio, quam demonstratam esse volumus, omnia quaecumque huius modi sunt, ut ea nescire pudori sit, et quae vel ignorantes, quasi sciamus tamen, cum simulatione prae nobis ferimus, quotienscumque in dubitationem vocantur, efficiunt civilem quaestionem,* (p. 139, 10) *et ideo quotienscumque in dubitationem venerunt........* (v. 18). *Et idcirco quae dubitationes in huius modi rebus oriuntur, civiles vocantur quaestiones,* sane Cornelii verborum: *in dubia civili materia* admonemur.

Quare Celsus Hermagorae verba πολιτικὰ ζητήματα verbis *in dubia civili materia,* voces διατίθεσθαι πειστικῶς vocibus *dicere persuasibiliter* interpretatus videtur esse. Quid? mirum nonne esset, si Quintilianus eadem verba διατίθεσθαι πειστικῶς eodem modo vertisset (II 15, 14), praesertim cum διατίθεσθαι non accurate respondeat vocabulo *dicere?* Quare Celsum hoc loco eius esse auctorem mihi veri simillimum est. Praeterea adverbium *persuasibiliter* non reperitur nisi duobus his locis; neque enim Quintilianus praeter duos hos locos neque, si lexicis fides est habenda, alii scriptores eo utuntur. Fabium igitur, cum Celsum id adhibuisse constet (fr. 2.), hoc loco eum sequi probabile est. Eundem, qui in libris de Medicina scriptis persaepe aliorum adfert sententias, in rhetoricae fine describendo ne verbo quidem *fines maxime illustres*[1]), *de quibus praecipue disputatur,* attigisse credi vix potest. Equidem Quintilianum non solum quae de Hermagora profert, sed etiam alia quaedam ex eodem sumpsisse opinor. Velut adiectivum *persuasibile* Celsi proprium fuisse conicio, quod non legitur apud illum nisi in hoc capite quinquies

[1]) Quint. II 15, 37.

(§§. 13, 16 [bis], 17, 21) et in capite XXI. huius libri (1: *argumenta persuasibilia)* neque apud alios scriptores reperitur nisi in s. scripturae versionibus Demidov. et Fuld. ad I Corinth. 2, 4 et apud Hieronymum bis[1]). Quae si recte statuta sunt, hae rhetoricae definitionum interpretationes ad Cornelium Celsum referendae sunt: Aristotelis in § 13 et 16; Patroclis 16; Theodori Gadarei 21. Itaque nimium probavisse puto Morawskium, cum ex Fabii verbis (II 15, 21): *Ita enim dicit* (Theodorus), *ut ipsis eorum verbis utar, qui haec ex Graeco transtulerunt* demonstrare conatus est *ceterorum fere Graecorum definitiones Quintilianum ipsum vertisse*[2]), etsi fortasse recte ex verbis (II 15, 23): *Critolaus usum dicendi (nam hoc τριβή significat)* eum *Critolai definitionem Graeca lingua prolatam ante oculos habuisse* conclusit.

De capitibus, quae sequuntur, haec sunt dicenda. Celsum accuratius de rhetoricae materia egisse supra indicavimus; quare Quintilianum eum in capite XXI. huius libri conscribendo non neglexisse mihi probabile est; adde quod adiectivum *persuasibile,* quod Celsi proprium esse ostendere studuimus, etiam hoc loco reperitur. Praeterea Fabius, ubi in eo versatur, ut rhetoricam esse artem demonstret et artis obtrectatores refutet, semper fere eorum rationem habet, *qui persuadere finem putaverunt* (II 17, 23), et rem ita agit, ut appareat *haec adversus eos quoque frustra excogitata, qui malis moribus nomen oratoris indulgeant* (ibid. 32). Qua in re sibi non constat, cum ea, quae II 17, 19 *(ego rhetoricen nonnumquam dicere falsa pro veris confiteor)* et 35 *(non semper autem ei, etiamsi frequentissime, tuenda veritas erit, sed aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa defendat)* profert, iis, quibus Celsum, quod oratorem simile tantum veri petere statuerit, reprehendit, repugnant. Quibus ex rebus Quintilianum fortasse hic Celsum, sequi auctorem concludere possumus.

Celsum de tribus causarum generibus egisse colligo ex Quintiliani verbis, quibus eum, quod *de nulla re dicturum oratorem, nisi de qua quaeratur*[3]) existimaverit, carpit. Fabius enim, si ille laudem et vituperationem oratoris non esse statuisset, dicere vix potuit: *cui cum maxima pars scriptorum repugnat, tum etiam ipsa partitio, nisi forte laudare, quae constet esse honesta, et vituperare, quae ex confesso sint turpia, non est oratoris officium*[4]). — Sine dubio hoc fere modo eius sententiam refutasset: 'Celsum id statuisse non est mirum,

---

1) Ep. 65, 9; Vulg. I Corinth. 2, 4.
2) l. s. p. 10 sq.
3) III 5, 3.
4) ibid.

quod laudativum genus prorsus excludit a rhetoricae officio'. Quare non accedo Kisselio, qui Celsum genus iudiciale imprimis spectasse ex illis Quintiliani verbis concludit[1]). Rem, de qua quaeratur, ad rem sive causam dubiam refero, id quod ex oppositis verbis, quae premit Quintilianus *(constet, ex confesso)*, ex Celsi definitione rhetoricae (fr. 2.) et iis, quae statim adferemus, efficitur.

Ad ea, quae Celsus de causarum generibus disputavit, Isidori caput IV. referendum videtur esse. Hunc duos locos Celsianos in unum contraxisse arbitror; primum enim in universum de tribus generibus causarum loquitur, deinde ad genus deliberativum et demonstrativum describenda redit. Non dubium igitur est, quin Celsus etiam de his duobus generibus accuratius disputaverit.

Quintilianum autem ea, quae Celsus de his rebus disseruit, non neglexisse ex iis, quae supra de Isidori fontibus scripsimus, mihi probatur. Ad eundem referenda sunt haec Fabii verba (III 7, 3): *quo solvitur quaestio supra tractata manifestumque est errare eos, qui numquam oratorem dicturum nisi de re dubia putaverunt* atque nescio an ea, quae sequuntur (ibid. 4 ss.): *Ut desiderat autem laus, quae negotiis adhibetur, probationem, sic etiam illa, quae ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis* q. s., partim ex eodem fluxerint; eius modi enim sunt, quibus Celsum sententiam suam oratorem etiam in genere demonstrativo de re dubia dicturum esse defendere potuerit.

Quintilianus in eo capite, quo de laude et vituperatione disputat, Aristotelis quoddam praeceptum, *quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit,* commemorat. Haec verba nihil aliud significare quam 'quod frequentius quam oportet usurpaverit' nemo non videt. Celsus igitur in Institutionum libris saepius hoc iteravit. Quod sine dubio in laude et vituperatione tractanda commemoravit. Sed cum in aliorum sententiis adferendis satis religiose egerit, eum hoc loco Aristotelis fecisse mentionem mihi veri simile est. Quae si recta sunt, quaeritur, inspexeritne Fabius hoc loco Aristotelis libros. Neque enim est dubium, quin

---

[1]) l. s. p. 160 haec profert: '(Quintilian tadelt diese Ansicht) .... sowie die in ähnlichem Sinne von Celsus noch weiter ausgesprochenen Meinungen, wie die folgende, dass der Redner über nichts zu sprechen habe, als was die Klage (?) angehe, woraus zugleich hervorgeht (?), dass der letztere vorzugsweise das *genus iudiciale* für den Vorwurf des Redners hält, eine Ansicht, welche ganz mit der in seiner Zeit noch möglichen Ausübung der Beredsamkeit übereinstimmt *(nonne etiam genus demonstrativum tum exercebatur?)*, da bloß noch Reden vor Gericht erfolgreich und erlaubt sein konnten.

id saepe non fecerit[1]). Quare quae uterque dicit accurate comparabimus.

Aristot. Rhet. I 9, p. 36, I. Sp.

v. 13 ss.: *Ληπτέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν ὡς ταὐτὰ ὄντα καὶ πρὸς ἔπαινον καὶ πρὸς ψόγον, οἷον τὸν εὐλαβῆ ψυχρὸν καὶ ἐπίβουλον καὶ τὸν ἠλίθιον χρηστὸν ἢ τὸν ἀνάλγητον πρᾶον καὶ ἕκαστον δ'ἐκ τῶν παρακολουθούντων ἀεὶ κατὰ τὸ βέλτιστον, οἷον τὸν ὀργίλον καὶ τὸν μανικὸν ἁπλοῦν καὶ τὸν αὐθάδη μεγαλοπρεπῆ καὶ σεμνόν. Καὶ τοὺς ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς ὡς ἐν ταῖς ἀρεταῖς ὄντας, οἷον τὸν θρασὺν ἀνδρεῖον καὶ τὸν ἄσωτον ἐλευθέριον.*

Quintil. III 7, 25

Idem praecipit illud quoque, quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit, quia sit quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus: quae eadem etiam contra valent.

Quintilianum, etsi oratione obliqua utitur, omnia, quae habet, ex Aristotelis loco hausisse exspectes. Sed ex comparatione eum ab Aristotele, quamquam is multa attulit exempla, discessisse cognoscimus; adicit enim: *pro avaro parcum.* Fieri sane potuit, ut id exemplum de suis adderet, quod coniecit Teichert[2]); at nos eum id, quod toties fecit, hoc quoque loco fecisse existimamus: protulisse videtur Aristotelis sententiam ex alio, qui Stagiriten nominaverat eiusque praeceptum accuratius descripserat et pluribus exemplis illustraverat; quem Celsum esse putaverim. Fortasse Fabius etiam ea, quae paulo ante de Aristotele dixit, ex eodem exscripsit.

Celsiana quaedam vel in iis, quae Quintilianus de laude et vituperatione hominum scribit, videntur latere.

Quintil. III 7, 10.

Magis est varia laus hominum. Nam primum dividitur in tempora, quodque ante eos fuit quoque ipsi vixerunt: in iis autem, qui fato sunt functi, etiam quod est insecutum. 19. *Qui omnis etiam in vituperatione ordo constabit, tantum in diversum.*

Isidor. p. 508, 14 ss.

Laudis ordo tribus temporibus distinguitur, ante ipsum . . . . Pari ordine e contrario et in vituperatione hominis haec forma servanda est: ante hominem, in hominem, post hominem.

Fragmenta 5. et 6. ad statuum doctrinam pertinent, qua in tractanda Celsus viam aliis rhetoribus non tritam secutus videtur esse. Permulti enim statum cum facere, qui respondeat, docuerunt. *Cui rei praecipue* repugnavit *Cornelius Celsus dicens non a depulsione sumi, sed ab eo, qui propositionem suam confirmet.* Minus recte

---

1) veluti ea, quae II 21, 23 profert, ex Cic. de Inv. I 9 fluxisse videntur. Item Aristotelem non inspexit III 6, 49 (*'nusquam enim invenitur apud Aristotelem talis partitio, nedum his verbis circumscripta'*: cf. Teichert, *De fontibus Quintiliani rhetoris*, p. 13.); V 10, 16; IV 2, 32 aliis locis; cf. Teichert, l. s. p. 11 ss.

2) l. s. p. 16.

de hac Cornelii sententia iudicare puto Volkmannum[1]), qui ex ea colligit illum, quid esset status, parum perspexisse. Celsum enim id non temere statuisse, sed re vera difficultatem attigisse imprimis eo ostenditur, quod Quintilianus accuratius de hac eius opinione agit (a § 13 usque ad § 20 capitis 6. libri III.) et haec verba adicit: *effugerunt has quaestiones, qui dixerunt* q. s. — Quid autem voluerit et qua de causa discesserit a ratione consueta, iam explicandum est. Quae res difficultatibus non caret, quod Fabius rem non satis clare planeque tractavit.

Primum quaerendum est, quid significet vox *depulsio.* Quintilianus toti disputationi haec verba praemittit: *Alii statum crediderunt primam eius, cum quo ageretur, deprecationem. Quam sententiam his verbis Cicero complectitur: 'in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio'. Unde rursus alia quaestio, an eum semper is faciat, qui respondet.* Ex iis, quae antecedunt, concludere possumus enuntiatum *qui respondet* referendum esse ad reum; nam arte cohaeret cum verbis *cum quo ageretur,* et *primum .... ad repugnandum congressa defensio.* Opinio igitur, quam Celsus reiecit, haec est: '*Statum semper facit is, quocum agitur sive reus*'. Quod idem cognoscimus ex Fabii verbis (III 6, 14): *nam est vero propius, quod contra dicitur, nullam esse litem, si is, cum quo agatur, nihil respondeat, ideoque fieri statum a respondente* et (§ 16): *sed quia videtur illic quoque necessitatem hos status exsequendi facere qui negat* ... et paulo post: *nihilo minus enim res eo revertetur, ut modo is, qui agit, modo is, cum quo agitur, statum faciat.* Quare autem hanc sententiam improbaverit, intellegemus ex iis, quae Quintilianus adfert, exemplis (§ 17 ss.): *Sit enim accusatoris intentio 'hominem occidisti', si negat reus, faciat statum qui negat. Quid? si confitetur, sed iure a se adulterum dicit occisum (nempe legem esse certum est, quae permittat), nisi aliquid accusator respondet, nulla lis est. 'Non fuit' inquit 'adulter': ergo depulsio incipit esse actoris, ille statum faciet. Ita erit quidem status ex prima depulsione, sed ea fiet ab accusatore, non a reo. Quid? quod eadem quaestio potest eundem vel accusatorem facere vel reum? 'Qui artem ludicram exercuerit, in quattuordecim primis ordinibus ne sedeat': qui se praetori in hortis ostenderat neque erat productus, sedit in quattuordecim ordinibus. Nempe intentio est: 'artem ludicram exercuisti', depulsio: 'non exercui artem ludicram', quaestio: 'quid sit artem ludicram exercere'. Si accusabitur theatrali lege, depulsio erit rei:*


---

[1]) Eius verba haec sunt: 'Es zeigt daher von geringer Einsicht in das eigentliche Wesen dieses Begriffs, wenn unter den römischen Rhetoren *Cornelius Celsus* dies *(statum a depulsione sumi)* in Abrede stellte und den Status vielmehr von demjenigen ausgehen ließ, welcher den Beweis für seine Behauptung giebt' (Die Rhetorik der Griechen und Römer 1885, p. 92.).

si excitatus fuerit de spectaculis et aget iniuriarum, depulsio erit accusatoris. — Omnino credibile est Celsum eadem attulisse exempla, quae sane sunt apta; utrumque enim non a prima responsione, quae est rei, sed a secunda demum, quae est actoris, statum fieri demonstrat. Fabius vero, si hanc secundam, quae est actoris, responsionem *depulsionem* eamque *primam* vocat, hoc vocabulum sententia latiore quam Cornelius accipit. Uterque statum modo ab accusatore, modo a reo duci existimat; sed Fabius depulsionis vocem, quam latiore significatione accipit, ut id ostendat, retinet, Celsus autem depulsionem tamquam minus aptam, ex qua status duceretur, reiecit atque statum a propositione confirmanda sumi dixit.

Eodem fragmento Cornelium aliorum sententias percensuisse luce clarius ostenditur. Quod et vox *repugnat* indicat et quod non dicit: *status ab eo sumitur, qui propositionem confirmat,* sed simul adicit: *non a depulsione,* qua ex re eum sententias aliorum re vera protulisse satis apparet. Inde conicio eundem non solum hoc loco, sed etiam in iis, quae apud Quintilianum antecedunt et sequuntur, huic quaedam praebuisse.

Quos status posuerit Cornelius, ex fragmento 6. satis bene cognosci potest.



Quamquam Quintilianus VII 3, 13 quosdam finitionem coniecturae subiecisse testatur, tamen coniecturam et finitionem eodem modo quaestioni *an sit?* subscripsimus; Fabius enim non dicit: *Celsus Cornelius coniecturae subiecit finitionem,* sed *priori,* id est statui generali *an sit?* Item Iulius Severianus, cui Celsum auctorem fuisse constat, finem a coniectura distinguit.

Unde autem Kisselius[1]) Celsum sequi scriptorem ad Herennium eiusque doctrinam simpliciorem reddidisse coniecerit, nescio. Equi-

[1]) p. 161 haec scripsit: 'Diese Meinung *(statum facere eum, qui propositionem confirmet)* widerspricht der des Cicero, sowie die Eintheilung des *status generalis* in 2 Theile, in die Frage über den Thatbestand und über die Qualität desselben, zu dessen ersterem Theile er die *finitio* rechnet, dessen zweiten er in *res* und *scriptum* abtheilt mit einer Unterabtheilung in 4 Theile nach Ausschluss der *translatio,* sich an die des Autors der Rhet. ad Herennium anschließt, nur dass Celsus dieselbe vereinfacht.'

dem huius rei ne unum quidem reperio indicium atque adeo illum propriam viam ratione tamen habita earum rerum, quas alii scriptores proposuerant, secutum esse adfirmaverim.

Iam vero ea, quae Fabius de statibus docet, comparemus cum Celsianis.

Quintilianus se in Institutionis oratoriae libris aliam secutum esse sententiam atque antea, cum artem rhetoricam doceret, ipse confitetur his verbis (III 6, 63): *Ipse me paulum in alia, quam prius habuerim, opinione nunc esse confiteor.* Antea enim hoc modo status diviserat:

status.

1. coniectura. 2. qualitas. 3. finitio. — 'tres rationales status generales'.

4. legalis. — 'unus legalis status generalis'.

Quartum statum generalem eumque legalem in quinque species distribuerat:

status legalis.

1. scriptum et voluntas. 2. leges contrariae. 3. status collectivus. 4. ambiguitas. 5. translatio.

Quid in hac divisione mutari vellet, indicavit his verbis (III 6, 67 sq.): *Nunc quartum ex generalibus intellego posse removeri; sufficit enim prima divisio, qua diximus alios rationales, alios legales esse: ita non erit status, sed quaestionum genus, alioqui et rationalis status esset. Ex iis etiam, quos speciales vocabam, removi translationem, frequenter quidem (sicut omnes, qui me secuti sunt, meminisse possunt) testatus et in ipsis etiam illis sermonibus me nolente vulgatis hoc tamen complexus, vix in ulla controversia translationis statum posse reperiri, ut non et alius in eadem recte dici videretur, ideoque a quibusdam eum exclusum.* Hanc igitur statuum proposuit doctrinam:

Quaestiones.

genus rationale.
1. coniectura. 2. qualitas. 3. finitio.

genus legale.
1. scriptum et voluntas.
2. leges contrariae.
3. status collectivus.
4. ambiguitas.

Si vero quaesiverimus, qua re Fabius adductus sit, ut quaedam ex eo mutaret, quod multos annos adprobasset, eum iis, quae alii rhetores statuerant, collatis, ut id faceret, commotum esse respondebimus. Hermagoras hanc doctrinam proposuerat[1]):

[1]) cf. Volkmann, l. l. p. 43.

ζήτημα πολιτικόν.

I. *γένος λογικόν.*
1. *στοχασμός.* 2. *ὅρος.* 3. *ποιότης.* 4. *μετάληψις.*

II. *γένος νομικόν.*
1. *κατὰ ῥητὸν καὶ ὑπεξαίρεσιν.* 2. *ἀντινομία.* 3. *ἀμφιβολία.* 4. *συλλογισμός.*

(ποιότης:) 1. *συμβουλευτική.* 2. *ἐπιδεικτική.* 3. *δικαιολογία.* 4. *πραγματική.*

(δικαιολογία:) 1. *δικαιολογία κατ'ἀντίληψιν.* 2. *δικ. κατ' ἀντίθεσιν.*

(δικ. κατ' ἀντίθεσιν:) 1. *συγγνώμη.* 2. *ἀντίστασις.* 3. *μετάστασις.* 4. *ἀντέγκλημα.*

Quintilianus igitur, cum in statibus disponendis ad *quaestiones*, quas in *rationales* et in *legales* divisit, rediit, Hermagorae, sive eius libros ipsos legit sive non legit, rationem videtur habuisse. Quem vero scriptorem secutus *translationem* excluserit, certum fere esse dixerim. Celsum enim cum eam non recepisse constat (Quintil. III 6, 38), tum aliorum sententiam refutasse veri simillimum est. Nonne igitur Fabium ex illius libris argumenta, quibus translationem statibus non esse adnumerandam probaret, hausisse probabile est? Adde quod III 6, 76 haec scribit:

At enim simile est illi 'habeo ius, non habes' hoc: occidisti, recte occidi. Non nego, sed nec haec res statum facit: non enim sunt hae propositiones (alioqui causa non explicabitur), sed cum suis rationibus. Nam enuntiatum: *non enim hae sunt propositiones* Celsi verbis (fr. 4.): *statum non a depulsione sumi, sed ab eo, qui propositionem suam confirmet* simile est; certe Quintilianus, cum de eo, quod statum faciat, disputat, semper de depulsione (et intentione), nusquam nisi hoc loco de propositionibus loquitur, quod sane memorabile est. Cur hic a ratione consueta discedit? Respondeo, quod Cornelio usus est auctore, quem, cum statuum fieret mentio, propositionis adhibuisse vocem non est mirum.

Deinde Celsus Aristotelem secutus quattuor solas partes causarum iudicialium statuit. Quintilianus autem ea, quae de Stagiritae sententia (III 9, 5) profert, ex illius libris petivisse mihi videtur. Quae vero Celsus de singulis partibus docuerit, cum ex fragmentis tum ex Iulii Severiani praeceptis et ex Isidori capite VII. magnam partem eruere possumus. Ac primum de narratione agemus, quia hac tractata facilius explorari poterit, quae principii statuerit Celsus praecepta. Iam Quintiliani et Iulii Severiani verba conferamus.

Quintilianus IV 2.	Iul. Severian. p. 357, 17 ss.
31. *Eam (narrationem) plerique scriptores maximeque qui sunt ab Isocrate volunt esse lucidam, brevem, veri similem.*	*Narrationis certum est tres esse virtutes: ut dilucida sit, ut brevis, ut veri similis.*
36. *Erit autem narratio aperta ac dilucida, si fuerit . . . distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis.*	*Dilucida fit, si apud nescientem narres: in qua intueberis initium, medium et finem, ita ut ipsa narratio ordinem suum*

83. *Namque ne iis quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum, sed eo malo narrare, quo expedit; quod fieri plurimis figuris licet. Nam et aliquando nobis excidisse simulamus, cum quid utiliore loco reducimus.*

habeat; facile enim percipitur, ubi quod sequitur ex priore pendet. Interdum aliqua suo loco memoriae nostrae non occurrisse fingemus.

87. *Neque ideo tamen non id saepius facere oportebit, ut rerum ordinem sequamur.*

40. *Brevis erit narratio...,... si reciderimus omnia, quibus sublatis neque cognitioni quidquam neque utilitati detrahatur.*

48. *Ut minus longa sit, efficiemus quae poterimus differendo.*

Brevis fit, si circumcisis quibusdam superfluis sola, quae necessaria sunt, posueris; quaecumque enim tibi mediocriter prosunt, argumentis vel disputationibus reservabis.

52. *Credibilis autem erit narratio...,*
... si causas ac rationes factis praeposuerimus, ... si personas convenientes iis, quae facta credi volemus, constituerimus, ut furti reum cupidum, adulterii libidinosum, homicidii temerarium ...

Veri similis ideo, ut credatur, ut corporis robustissimi fuisse eum, a quo duos tresve occisos videri volueris: adicere etiam occasionem, quae perficiendae rei fuerit, ut dicas dormientis oppressos ....

55. *Hoc faciunt et illae praeparationes, cum reus dicitur robustus .... Omnia denique, quae probatione tractaturi sumus, personam, causam, locum, tempus, instrumentum, occasionem, narratione delibabimus.*

49. *Et partitio taedium levat: 'Dicam quae acta sint ante ipsum rei contractum, dicam quae in re ipsa, dicam quae postea'.*

50. ..... *Interim expediet expositionem brevi interfatione distinguere: 'Audistis quae ante acta sunt: accipite nunc quae insequuntur'.*

Sed ubi iudicem minus in- [p. 358, 1 ss.:] *tellexisse perspexeris, numquam ei tarditatem ingenii obieceris, sed in te culpam retorque, quod parum dixeris. Ubi longior narratio est, quo sit dilucida magis, admonere iudicem debes, quid exposueris vel quid expositurus sis, ut: 'Dixi de me: dicam de adversario'.*

51. *Si tamen adhibitis quoque his artibus in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte commonitio, quod Cicero etiam in brevi narratione fecit.*

Neque alienum est, ubi longior fuerit expositio vel narratio, extremam ita finire, ut admoneas quaecumque dixeris.

36. *Erit autem narratio aperta ...., si fuerit primum exposita verbis propriis et significantibus et non sordidis quidem, non tamen exquisitis et ab usu remotis* (cf. 57; 58).

Verba autem narrationis ex media consuetudine esse debent; simplex sermo et + sibi [simplici?] vicina conpositio.

103. *Illa quoque de narratione praecipi solent, ne qua ex ea fiat excursio, ne avertatur a iudice sermo, ne alienae personae vocem demus, ne argumentemur.*

In expositionibus plus mora nocet; ne loquentis personas narrationibus inseras.

49. *Quaedam vero ex ordine praetermittenda, quale est apud Ciceronem: 'Moritur Fulcinius: multa enim, quae sunt*

Minuitur praeterea offensa longioris narrationis, si te praetermittere aliqua simulaveris.

in re, quia remota sunt a causa, praetermittam.'

9. (Celsi fr. 9.) *Sed ut has aliquando non narrandi causas puto, sic ab illis dissentio, qui non existimant esse narrationem, cum reus quod obicitur* t a n t u m n e g a t: *in qua est opinione* C o r n e l i u s C e l s u s, *qui condicionis huius esse arbitratur plerasque caedis causas* q. s.

5. *aut cum est quidem in re narrationi locus, sed aut ante iudici* n o t a *sunt omnia aut priore loco recte exposita.*

4 sq. *Sunt enim ante omnia quaedam tam breves causae, ut* p r o p o s i t i o n e m *potius habeant quam narrationem. Id accidit aliquando* u t r i q u e *parti ....*

24 sq. *Alterum est, de quo frequentius quaeritur, an sit utique narratio prooemio subicienda .... Sed hoc quoque interim mutat condicio causarum, nisi forte M. Tullius in oratione pulcherrima, quam* p r o M i l o n e *scriptam reliquit, male distulisse narrationem videtur tribus praepositis quaestionibus.*

26. *Sed* p r o V a r e n o *quoque postea narravit, quam obiecta diluit.*

10. *Non enim putat* (C e l s u s) *esse narrationem, nisi* q u a e s u m m a m c r i m i n i s, *de* q u o i u d i c i u m e s t, *contineat.*

11. *Ego autem magnos alioqui secutus auctores duas esse in iudiciis narrationum species existimo, alteram ipsius causae, alteram rerum ad causam pertinentium expositionem. 'Non occidi hominem' nulla narratio est, convenit: sed erit aliqua, et interim etiam longa, contra argumenta eius criminis, de ante acta vita ....*

111 ss. *Quo magis miror eos, qui non putant utendum in narratione adfectibus. Qui si hoc dicunt:* '*n o n d i u neque ut in epilogo*', *mecum sentiunt: effugiendae sunt enim morae. Ceterum cur ego iudicem nolim, dum doceo, etiam movere? ... Cum praesertim etiam in probationibus faciliorem sim animum eius habiturus occupatum vel ira vel miseratione. An non M. Tullius circa*

7. *Narrari pro eo non expedit, qui omnia, quae ab accusatore dicuntur,* t a n t u m m o d o n e g a t ✝ *nec ibi se fuisse. Talis* c a u s a *Sullae fuit .... Tales fere sunt ambitus causae* q. s.

p. 358, 18. *Supervacua narratio est, ubi* n o t a *est res, de qua ambigitur, ut nihil stultius sit, quam si apud scientes narres.*

Alterum genus est, in quo u t r i q u e *aeque supervacua narratio est: ubi, quod facit quaestionem, abunde* p r o p o s i t i o n e *indagari potest, etiamsi ignotum est.*

p. 358, 9 ss. *In aliquibus post quaestiones ponenda narratio est, in aliquibus in ultimo: nam pro natura causarum narratio variatur, nec semper debet orator veterum se praeceptis addicere, sed scire debet incidere novam materiam, quae novi aliquid postulet.*

v. 24 ss. *Evenit, ut ante sit respondendum, quam sit ponenda narratio, ut pro* M i l o n e. *Incidunt causae, in quibus, quod summam habet quaestionis, magna ex parte tractandum sit et sic sit ponenda narratio, ut* p r o V a r e n o *vel pro Avito.*

In narrationibus res exponimus, probamus argumentatione. Narratio i n s i n u a t i o e s t t o t i u s c a u s a e, *quem ad modum facta est:* e x p o s i t i o *vero,* q u a e n o n d e c a u s a n a s c i t u r, *ut est honesto genere natus, splendide magistratum gessit, non* p o t e s t v i d e r i n a r r a t i o, *sed expositio alicuius rei, quae causam adiuvat nec dat quaestioni materiam, sed* p r o a r g u m e n t o p o n i t u r v e l i n t e r a r g u m e n t a.

p. 364, 8 ss.

17. R a r o *adfectus narrationibus interponuntur, quia non nisi gravium causarum sunt, sed ubi inseri possunt, magnum pondus rebus accommodant. Cum vero aliquem adfectum, hoc est aut invidiam aut misericordiam vel quid simile commovemus, formam vel speciem narrationis excedere non debemus, sed adfectus, qui in narratione latebit, eadem explicita reddendus erit atque exe-*

verbera civis Romani omnes brevissime movit adfectus ....?

115. *Serum est enim advocare iis rebus adfectum in peroratione, quas securus narraveris.*

quendus. Evenit, ut sit narratio, quae inter se locos communes patiatur, quos etiam adfectus vocamus: qui non erunt in ultimum, hoc est post narrationem differendi, sed haec narratio gravissimi criminis erit, in qua, cum se primum adfectus optulerint, statim interponendi sunt. Neque enim possunt simul omnes post narrationem reddi, ut est: 'Praedonum dux q. s.'

Celsus igitur de omnibus fere quaestionibus, quas Quintilianus tractavit, egerat atque hic, praeterquam quod quasdam eius sententias corrigere conatus est, illius pressit vestigia. Quare mihi dubium non est, quin Cornelius hoc loco Fabii fons princeps fuerit.

Idem conicio de principiorum praeceptis. Pauca quidem de his tradita sunt; nam praeter fragmentum 8. et exigua illa frustula, quae Isidorus servavit, nihil restat. Sed si haec accurate interpretati erimus et animum attenderimus ad eam, quam Celsus in narratione describenda secutus est rationem, plura explorari posse opinor.

Quodsi Quintilianus dicit (IV 1, 12): *Negat haec prooemia esse Cornelius Celsus*, dubium est, utrum pronomen *haec* ad ea pertineat, quae proxime antecedunt (§ 11.): *Etiam partis adversae patronus dabit exordio materiam, interim cum honore, si eloquentiam eius et gratiam nos timere fingendo, ut ea suspecta sint iudici, fecerimus, interim per contumeliam....* an ad omnia, quae leguntur in sectionibus 6—12. Quare accurate nobis spectandus est conexus. Quintilianus Celsi sententiam his verbis refutat (IV 1, 12): *Sed ego cum auctoritate summorum oratorum magis ducor, tum pertinere ad causam puto quidquid ad dicentem pertinet, cum sit naturale, ut iudices iis, quos libentius audiunt, etiam facilius credant.* — Ex hac refutandi ratione Celsum ad causam non pertinere putasse quidquid ad dicentem pertineat conicere possumus. Ad dicentem autem pertinent omnia, quae Quintilianus a § 7. huius capitis usque ad § 12. disseruit. Deinde ut iudices actorem causae libentius audiant, non adeo hac re, quod se partis adversae eloquentiam et gratiam timere fingunt aut eam contumelia adficiunt, quam omnibus rebus, quae in iis, quae antecedunt, dicta sunt, efficitur. Accedit, quod Quintilianus, postquam de Celsi sententia iudicavit, statim ad secundam personarum rationem transit: *ipsius autem litigatoris persona* q. s., ita, ut eum illis verbis omnia, quae de actore causae disputavit, complecti dicas. Celsus igitur unus est ex iis, quos Quintilianus (§ 6.) triplicem esse personarum rationem *ex litigatore et adversario et iudice* credidisse testatur. Quae triplex personarum ratio ad benevolentiam prooemio comparandam referenda est; quare idem inter *plurimos* illos *auctores*

(cf. § 5.) est, qui *ut auditorem praeparemus, fieri tribus maxime rebus* statuunt, *si benevolum, attentum, docilem fecerimus;* quod idem ex Isidori verbis colligere possumus his (p. 510, 23 ss.): *Inchoandum est itaque taliter, ut benivolum, docibilem vel attentum auditorem faciamus: benivolum precando, docibilem instruendo, attentum excitando.* Sed nescio an episcopus Hispalensis, cum scribit: *benivolum precando,* neglegenter egerit in exscribendo, quia solis precibus benevolentia non semper comparatur. Neque tamen dubito, quin Celsus etiam precandi fecerit mentionem. Fortasse Quintilianus IV 1, 33 sq. huius Celsi sententiae rationem habuit.

Quintil. IV 1, 33 sq.	Isidor. p. 510, 24.
Faciunt favorem et illa paene communia, non tamen omittenda, vel ideo, ne occupentur: optare, abominari, rogare .... cuius (iudicis) animus .. precibus .. agitandus est.	*benivolum precando,*
Sunt et illa excitandis ad audiendum non inutilia, si nos neque diu moraturos neque extra causam dicturos existiment.	*attentum excitando,*
Docilem sine dubio et haec ipsa praestat attentio, sed et illud, si breviter et dilucide summam rei, de qua cognoscere debeat, indicaverimus.	*docibilem instruendo.*

Neque temere Iulium Severianum puto haec scripsisse (p. 357, 14 sq.): *De principiis nihil putavi dicendum, quando quidem ad ea, quae arte scrutanda sunt, natura duce saepius pervenitur* —, immo eum Celsi enuntiato quodam adductum esse existimo, quod fortasse spectavit etiam Quintilianus, cum IV 1, 52 haec dicit: *ipsa illum natura eo ducet, ut sciat, quid primum dicendum sit.*

Praeterea hoc adnoto: Celsus illas de *narratione* quaestiones 'sitne semper narrandum, sitne utique narratio prooemio subicienda, liceatne in narrationibus facere excursionem, sermonem avertere a iudice, alienae personae vocem dare, uti adfectibus' — tractavit atque eiusmodi quaestiones in principiorum praeceptis describendis videtur attigisse. Quintilianum autem, cum in eiusmodi res etiam hoc loco (§ 28 sq. de adfectibus, de ficta oratione, § 63. de sermone a iudice averso, § 72 ss. de quaestione agit, sitne semper prooemii usus) inquirat, nonne etiam hic Celsum sequi auctorem principem est veri simile?

Iam vero aliquantum discedemus a Morawskio, qui, quod Quintiliani disputatio saepe congruit cum iis, quae anonymus Seguerii de orationis partibus habet, Caecilii artem Fabii fontem fuisse conclusit. Quintilianum 'adhibuisse .... libellum aliquem, cuius auctor doctrinam de partibus orationis imprimis ad Apollodori et Theodori

iudicia et dissensiones respiciens exposuerit'[1]) non nego, sed hunc libellum non Caecilii artem, sed Celsi Institutiones fuisse adfirmaverim. Quem de rhetorum quaestionibus, de quibus Apollodorus et Theodorus maxime contendebant, veluti de his: sitne semper narrandum, sitne utique narratio prooemio subicienda, egisse constat atque Quintilianum eius vestigia premere supra demonstrare studui. Celsum autem horum rhetorum etiam nomina attulisse nemo negabit, qui eius scribendi rationem spectaverit.

Tum eorum, quae Celsus de *probatione* docuit, ex fragmento 10. et ex Iulii Severiani libello quaedam eruere possumus. Ex fragmento 10., si de eius genuina lectione recte iudico, Celsum cum argumenta accuratius tractasse tum clarorum rhetorum sententias recensuisse efficitur. Qui hoc loco Valgii epichirematis interpretationem tamquam minus aptam improbat idque iure[2]), ut ex ipsius verbis intellegitur. Quo ex loco simul cognoscimus Meisterum in Quintil. V 10, 10 non recte Celsi nomen inseruisse. Corruptelam illo loco subesse atque aliquid excidisse apparet; fortasse haec lacuna orta est, quod vocabulum '*probatio*' eodem casu brevi intervallo recurrerat, ut facillime fieri potuerit, ut librarius a priore voce '*probationem*', quae sine dubio desideratur, aberraret ad alteram. Hoc modo evenisse videtur, ut scriptoris cuiusdam Latini nomen intercideret, ad quod referenda sunt illa Fabii verba (V 10, 11): *signum autem, quod ille indicium vocat.* Attamen Celsi nomen restitui non potest; nam ille, cuius Quintilianus mentionem facit, adgressionis appellatione usus erat: ... *probationem, indicium, fidem, adgressionem eiusdem rei nomina facit*[3]) — quam a Celso reiectam esse cum ex huius fragmenti tum ex fragmenti 20. his verbis conici potest: .... *Celsus: nam consequens an epichirema sit dubitat*[4]). Accedit, quod Celsum, qui accuratius de rhetorica scripsit quemque subtiles quaestiones tractasse ex fragmentis satis intellegitur, has res confudisse vix potest credi. Sed quae causa est, cur Valgii nomen, qui rhetor epichirema voce *adgressionis* vertit, restituere dubitemus? Nulla sane; quin etiam hunc scriptorem illas voces promiscue usurpasse veri simile est, cum eum didactico carmine rhetoricam tractasse sit probabile[5]). Ad Valgium igitur poetam, qui metri causa maiore licentia uti coactus erat, Quintiliani verba referemus, nequaquam autem ad Celsum, qui res semper fere distincte significavit.

---

[1]) l. s. p. 38.
[2]) cf. Volkmann. p. 195.
[3]) V 10, 10.
[4]) cf. p. 120.
[5]) cf. Ritschel. Op. III 269; Sueton. ed. Reifferscb. p. 529.

Sed revertamur ad fragmentum illud 10. Ex hoc Celsum de iis argumentis, quae Graeci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocabant, accuratius disputavisse et clarorum scriptorum sententias recensuisse concludi potest. Quare Quintilianum, qui ad hunc locum eius libros sine dubio evolvit, quaedam ex iis sumpsisse suspicor ac forsitan, quae ex Caecilio profert[1]), ex hoc fonte fluxerint. Utrum Celsus probationes diviserit in artificiales et inartificiales, nescimus quidem, sed fortasse id nobis colligere licet ex Quintiliani verbis (V 1, 1): *Ac prima quidem illa partitio ab Aristotele tradita consensum fere omnium meruit.*

Iam vero accedamus ad ea tractanda, quae ex Iulii Severiani libello ad probationem referenda sunt. Qui unum habet caput de disponendis argumentis, sed in eo non solum de hac re, sed etiam de usu argumentorum disputat. Nescio an hic duos Celsianos locos in unum contraxerit; Celsus ipse fortasse lectorem ad eum locum revocavit, quo de rhetoricae parte secunda, de dispositione, egit; quam scribendi rationem ab eo non abhorrere nemo, qui Medicinae libros perlegerit, negabit[2]). Praeterea Severianus quaedam de propositione adversarii, id est de refutatione, excerpsit. Capita autem, in quibus, quae argumenta singulis statibus conveniant, indicatur, ex Celsi de dispositione disputatione exscripta esse coniecerim praeter ea, quae in p. 362, v. 21 ss. leguntur. Attamen Cornelium hoc loco argumentorum sedes excussisse probabile esse iudico. Nam si spectaverimus haec Iulii Severiani verba (p. 367, 6 ss.): *Adfectus ex his trahitur: a re, a persona, a causa, a loco, a tempore, a signis, a facultatibus, a toto ad partes, a partibus ad totum, a contrario, a minori ad maius, a maiori ad minus, a simili et a barbaris gentibus et a bestiis et inanimalibus: ducitur et de ceteris locis, unde et argumenta sumuntur. Nec te moveat, quod hinc et argumenta duci supra rettulerim (?), si quidem de illa omni circumstantia, unde ad convincendum reum argumenta sumuntur, inde etiam, postquam crimen probaveris, adfectus conmoventur*, quin in eius fonte omnes hae argumentorum sedes tractatae fuerint, non dubitabimus.

Quintilianus quae Celsus de *probatione* et *refutatione* proposuit non neglexit; saepissime enim eadem fere habet atque Iulius Severianus.

---

1) V 10, 7.

2) cf. I 2, p. 31, 25 D.; II 14, p. 60, 20; II 15, p. 61, 21; II 33, p. 72, 28; III 1, p. 74, 16 sq.; III 2, p. 75, 26 sq.; III 5, p. 82, 32 sq.: *de quibus suo loco dicam;* III 15, p. 96, 25; IV 13, p. 139, 18; V 28, p. 211, 28; VI 6, p. 231, 37; VII 2, p. 265, 36; VII 3, p. 266, 26 sq.; VII 5, p. 271, 26 multa alia.

Quintil. V 10, 119.

Haec non idcirco dico, quod inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem, alioqui nec tradidissem, sed ne se, qui cognoverint ista, si cetera neglegant, perfectos protinus atque consummatos putent....

Neque enim artibus editis factum est, ut argumenta inveniremus, sed dicta sunt omnia, antequam praeciperentur, mox ea scriptores observata et collecta ediderunt....

122. *Illud quoque studiosi eloquentiae cogitent, neque omnibus in causis ea, quae demonstravimus, cuncta posse reperiri, neque, cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula et velut ostiatim pulsanda, ut sciant, an ad probandum id, quod intendimus, forte respondeant.*

V 12, 14.

Quaesitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos, an summo, ut inde dimittant, an partita primo summoque, ut Homerica dispositione in medio sint infirma, ut animi invitis crescant. Quae, prout ratio causae cuiusque postulabit, ordinabuntur, uno, ut ego censeo, excepto, ne a potentissimis ad levissima decrescat oratio.

V 12, 3.

Illud hoc loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quam quae ex dubiis facta sunt certa. 'Caedes a te commissa est, cruentam enim vestem habuisti' non est tam grave argumentum q. s.

V 12, 4 ss.

Firmissimis argumentorum singulis instandum, infirmiora congreganda sunt, quia illa per se fortia non oportet circumstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant, haec imbecilla natura mutuo auxilio sustinentur. Ita quae non possunt valere, quia magna sint, valebunt, quia multa sunt.. Singula levia sunt et communia, universa vero nocent.... Quaedam argumenta nuda ponere satis non est, adiuvanda sunt...

Iul. Severian. p. 362, 21 ss.

Argumentorum omnium enumerationem advertite studiosam videri, quando quidem in his plus ingenii vis dominetur atque ipsa magis ab natura profecta dicatur. Sed nec quisquam existimet argumentis numerum praefinitum, si quidem tanta esse possunt, quanta orator intento acriter ingenio reperire valuerit. Non tamen omne genus causarum omnia argumenta habet. Nam quid opus est illic de causa disputare, ubi non apparet, aut de persona adversarii aliquid dicere, cum integra sit?

p. 359, 19 ss.

9. *Cum plura erunt argumenta, a validis incipies, in validiora desines, medium inbecillioribus replebis; ut puta validum argumentum est 'inimicus', mediocre 'ebrius', validissimum est 'in rixa hominem occidit'* q. s.

p. 359, 11 ss.

Namque in argumentis infirmioribus versatur oratorius labor; qualia sunt: 'Occidisti hominem; cruentam enim vestem habuisti'. Haec veri similia sunt, non utique vera: quae variis sunt attollenda rationibus, quo tractatu fiant potentia.

p. 359, 8 ss.

In primis videto, quae ex iis sint valentia vel quae infirmiora sint argumenta. Nam quae erunt valentia, longiore oratione non prosequemur, ne aut dubitare de his videamur aut plura dicendo ponamus aliquid, adversum quod disputari possit. Namque in argumentis....

p. 359, 30 ss.

Praeterea utilius existimo, (p. 360) *disputationem in speciem paucarum rerum et firmarum convertere easque undique adstruere et exaggerare, potiusque est plures*

Quintil. V 13.

25. *Si acri et vehementi fuerit usus oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus.*

28. *Praeterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro circa Bostarem facit veluti orationem diversae partis imitatus.... Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo et ipsa expositione fidem perditurus.*

30. *Artificis autem est invenire in actione adversarii, quae inter semet ipsa pugnent aut pugnare videantur; quae aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt, ut in causa Caeliana Clodia aurum se Caelio commodasse dicit, quod signum magnae familiaritatis est, venenum sibi paratum, quod summi odii argumentum est.*

17. *Sed tamen interim oratoris est efficere, ut quid aut contrarium esse aut a causa diversum aut incredibile aut supervacuum aut nostrae potius causae videatur esse coniunctum.*

37. *Alii diligentia lapsi verbis etiam vel sententiolis omnibus respondendum putant, quod est et infinitum et supervacuum* (cf. 51).

52.... *Porro, qui scierit, quid pars adversa, quid nostra habeat valentissimum, facile iudicabit, quibus maxime rebus vel occurrendum sit vel instandum.*

56. *In his probandi refutandique ratio est, sed adiuvanda viribus dicentis et ornanda ... tenuia .. erunt et infirma, nisi maiore quodam oratoris spiritu implentur.*

V 14, 35.

Et minus suspecta argumentatio dissimulatione.

res in unam cogere quam unam in plures dividere.

p. 360, 9 ss.

10. *Responsurus autem adversario primum id, quod ille posuerit, verbis infirmioribus pronuntiato.*
Quae vero incredibilia visa fuerint aut inbecilla, ita universa ponentur, sicuti ab adversario dicta sunt, ut est illud: Bostarem igitur quendam dixit Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum, et infra addit etiam augendi criminis causa, prius illum sepultum quam huic cenam esse sublatam.

24 ss. *Propositis quibus responsuri sumus, quaerendum nobis erit an inter se comparata repugnantia sint, ut suis armis conruant, ut Cicero de Antonio ... Item pro Caelio: 'Cur aut tam familiaris fuisti, ut aurum commodares? aut tam inimica, ut venenum timeres?'*

p. 361, 1 ss.

Item utilissimum erit docere, quod adversarius dixerit, etiam pro nobis esse ...

Argumentis vero omnibus adversarii respondere non est necessarium: finem enim non habebit oratio, et satis erit propositionibus repugnasse. His sane argumentis respondendum erit, quibus erunt iudices commoti.

p. 360, 3 ss.

In omni materia quaerendum puto, quid sit quod maxime nos foveat aut urgeat: illuc enim vires suas conferre debet orator, ut quod maxime nos premit frangat. Sed ut omne genus causae quiddam contra nos recipit valentissimum, sic pro nobis omnis causa aliquid valentius habere debet.

p. 359, 6 ss.

8. *Litigatores quidem instruunt argumentis advocatos; artis patronorum est, ut haec disponant, figurent, augeant, ut his adfectus intermisceant.*

p. 359, 23 sq.

Argumentatio illa melior et fidelior videri potest, quae obscuratur.

Quae Fabius ex Celsi de argumentorum sedibus disputatione sumpserit, detegere non possumus. Id solum moneam Quintilianum, cum dicit (V 10, 20): *Excutiamus nunc 'argumentorum locos', quamquam quibusdam hi quoque, de quibus supra dixi* (i. e. de certis § 12 ss.; de credibilibus 16 ss.), *videntur*, Cornelii rationem habere; ex Iulii enim Severiani verbis (p. 361, 17 ss.): *in coniecturalibus causis hinc argumenta sumuntur: a personis..... veri similibus* Celsum hanc secutum esse sententiam puto.

Quod ad *conclusionem* attinet, neque Iulius Severianus neque Isidorus 'rerum repetitionem et congregationem' commemorat; sed dubium non est, quin Celsus eam non omiserit. Nescio an Quintilianus etiam in peroratione describenda eum respexerit; uterque enim, ut miserationem non debere longam esse demonstret, Apollonii rhetoris dictum illud, quod Cicero (de Inv. I 109) commemoraverat, adfert.

Quintil. VI 1, 27.	Iul. Severian. p. 370, 2 ss.
Numquam tamen debet longa esse miseratio, nec sine causa dictum est nihil facilius quam lacrimas inarescere[1].	24. *Epilogos de omni causa rapies, et maxime quam misericordiam movere posse conspexeris: qui tamen erunt breves nec diu prosequendi; nam lacrimis comparati sunt, quibus nihil citius arescit.*

Cornelius eodem loco accurate de adfectibus concitatis et mitibus, ut Quintiliani verbis, quibus Graeca illa πάθος et ἦθος vertit, utar, videtur egisse. Iulius quidem Severianus ea tantum servavit, quae pertinent ad quaestiones, quot sint adfectus, ex quibus petantur locis, quomodo oratorem iis uti oporteat; attamen Celsum etiam quid esset πάθος, quid ἦθος explanasse conicere licet. Graecorum ἦθος voce '*mores*' interpretatus videtur esse; Severiani enim verba (p. 365, 13 ss.): *Omnis paene argumentatio moralem disputationem recipit* q. s. ad hanc rem esse referenda nemo negabit. Ad illum igitur spectare opinor Quintiliani verba (VI 2, 8): ἦθος, *cuius nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus: mores appellantur.*

Fabium de adfectuum usu eandem atque Celsum sequi sententiam supra indicavimus. Hoc loco utriusque verba conferantur:

Quintil. VI 1, 51 ss.	Iul. Severian. p. 365, 5.
Omnes autem hos adfectus, etiamsi quibusdam videntur in prooemio atque in epilogo sedem habere, in quibus sane sint frequentissimi, tamen aliae quoque partes recipiunt, sed breviores, ut cum ex iis plurima sint reservanda ...	18. *Plerique nuda argumenta posuerunt, adfectus vero perorationibus, hoc est epilogis reservarunt. Scire autem nos debemus, adfectus, qui ex quaestionibus nascuntur, statim ut propositioni responsuri sumus, esse reddendos: alibi enim, quam ubi nati sunt,*

[1]) Pluralis numerus apud utrumque observandus, cum apud Ciceronem singularis exstet: *lacrima nihil citius arescit.*

53. *In aliis autem partibus tractandus erit adfectus, ut quisque nascetur: nam neque exponi sine hoc res atroces et miserabiles debent, et cum de qualitate alicuius rei quaestio est, probationibus unius cuiusque rei recte subiungitur.*	*interponi vel augeri non possunt .... Adfectus autem, qui de omni causa nascuntur, perorationibus reservabuntur.*
VI 2, 13. *Ἦθος ... in quo exprimendo summa virtus ea est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur utque mores dicentis ex oratione perluceant et quodam modo agnoscantur.*	p. 365, 14 ss. *Moralis argumentatio de natura hominum vel morum consuetudine ducitur.*

Quintilianum Celsi de augendo minuendoque doctrinam (Iul. Severian. p. 368, 29 ss.) ad verbum fere transtulisse supra demonstrasse nobis videmur.

Iam vero accedamus ad explicanda ea, quae Celsum de *dispositione* conscripsisse possumus conicere.

Ex Iulii Severiani praeceptis ea, quae de criminibus (p. 356, 25 ss.) et argumentis (p. 359, 19 ss.) disponendis et de coniectura (p. 361, 17 ss.) et fine (p. 363, 1 ss.) sunt, ad hanc Cornelii rhetoricae partem referenda videntur esse. Fortasse ad eandem pertinet fragmentum 12. (de mutua accusatione). Quare eum simili modo atque Quintilianum primum in universum de dispositione egisse, deinde 'per singulas causarum iudicialium partes' isse atque 'quae in quemque statum frequentissime incidant'[1]) attulisse est veri simile. Prioris partis Fabium habuisse rationem constat ex fragmento 11. Certe Celsus hoc loco, quomodo actor res disponere deberet, indicavit; sed eum etiam de patrono (Quintil. VII 1, 11: 'pro reo') egisse cum ex ipsa re apparet, tum ex Iulii Severiani verbis (p. 356, 26): *nos primum existimamus actorem:* is enim sola, quae ad actorem pertinent, excerpsit, cetera omisit retento tamen adverbio *primum*. Quare Quintilianum, cum Celsi sententia prolata et ex parte approbata ita pergat (VII 1, 11): *At pro reo plerumque* q. s., ex eodem fonte hausisse existimo. In ceteris autem dispositionis praeceptis explanandis Quintilianus aut propriam secutus esse videtur viam (cf. *Erat mihi curae* VII 1, 4; *Solebam et hoc facere* 23; *Solebam et excerpere* 29; *Solebam id, quod fieri et in argumentis dixi, in tota facere materia* 31) aut alios adhibuisse fontes. Nam praeter ea, quae indicavimus, Celsi nulla vestigia in Fabiano de dispositione libro reperimus.

Ad *elocutionem* pertinent fr. 13.—22., Iulii Severiani sectio tertia, Isidori capita XVI—XXI. Non pauca igitur ex hac rhetoricae parte traditae sunt. Sed quaestio, quomodo Celsus elocutionis praecepta dis-

[1]) Quintil. VII 1, 64.

posuerit, difficillima est, quod Isidorus genuinum rerum ordinem maxime videtur perturbavisse. Ea vero, quae statui possunt, iam indicabo.

Non casu utique factum est, ut Isidorus, priusquam de elocutionis virtutibus loqueretur, praemitteret illam sententiam: *Iam vero elocutionibus sic uti oportebit, ut res, locus, tempus, persona audientis efflagitat* (p. 515, 17 sq.). Neque dubium mihi est, quin eius auctor primum universa de elocutione egerit. Sed quoniam Isidori verba satis respondent his Iulii Severiani (p. 356, 22 sq.): *Maxima itaque ars erit semper circumspicere, quid personae, quid loco, quid tempori conveniat,* Celsum in huius disputationis initio de antiqua illa divisione, 'quae inter Atticos atque Asianos fuit' (Quintil. XII 10, 16) egisse opinor. Utrum vero iam hoc loco etiam tria illa recte dicendi genera tractaverit an postea, diiudicare non ausim.

Ad dicendi virtutes et vitia pertinent Isidori capitis XVI. altera pars et totum caput XX. Episcopum Hispalensem in exscribendo neglegenter egisse atque res coniunctas discidisse et divellisse certum est. Nihil enim dicit de ornate dicendo, nisi forte illud suaviter idem significare statueris atque ornate. Deinde vitia, quae opponuntur perspicuitati, copulavit cum iis, quae contraria sunt ornatui (cf. c. XX.), tum demum transiit ad ea, quae orationem *extollunt et exornant.* Hic ordo non potest esse genuinus. Sed fortasse inde, quod Isidorus, postquam de vitiis dixit, ad ornatum rediit, colligere possumus Celsum, cum ornatum tractaturus esset, eodem modo atque Quintilianum prius ea, quae huic laudi sunt contraria, commemorasse. Cornelius igitur primum de Latine dicendo videtur egisse; ad hunc locum referenda sunt fragmentum 13. et Isidori verba: *Latine autem loquitur, qui verba rerum vera et naturalia persequitur nec a sermone atque cultu praesentis temporis discrepat.* Fortasse hic quoque de verbis iam inusitatis disputaverat. Deinde transisse videtur ad perspicue loquendi praeceptum, quo in describendo eum illa vitia, quae Isidorus c. XX., a p. 516, 28 usque ad p. 517, 6, attigit, diligentius explanasse probabile est. Tum eum vitia, quae ornatui contraria sunt, et ipsum ornatum tractasse est veri simile; ad quam rem fr. 14. et Isidori verba: *Fugienda sunt quoque* q. s. referenda sunt. Quibus in vitiis designandis episcopus Hispalensis rursus neglegenter egit; nam non solum ea, quae ad hanc rem pertinent, enumeravit, sed ea quoque, quae supra descripsit, velut acyrologiam, perissologiam; fortasse quod Celsus haec vitia a grammaticis explicari scripserat, Isidorus, ut haec nomina ex grammatica (Origg. I 34) transcriberet, inductus est. Cornelium autem accuratius de vitiis egisse eodem fragmento 14. docemur. Neque minus mihi certum est eum hoc loco de enargia et emphasi, quae vocantur, et de ratione

amplificandi et minuendi disputavisse. Qua ex parte Iulius Severianus ea, quae de extollendo et minuendo habet (p. 368 sq.), in caput de adfectibus conscriptum videtur transtulisse. Neque enim intellegitur, quid valeat 'species minuendi' in adfectibus concitandis. Fortasse igitur Celsus, ubi de adfectibus egit, lectorem ad hunc locum revocaverat. Iam vero Iulii Severiani verbis (p. 369, 25): *Contra species minuendi est* ea, quae de Isidori enuntiato: *Huic contraria virtus est verbis minuere, quae natura sua magna sunt* (p. 517, 13 sq.), diximus[1]. bene confirmantur: qui illa verba ex auctore suo, qui est Celsus, sumpsit. Amplificationem Cornelius in quattuor illa genera divisisse videtur, quae Quintilianus proposuit his verbis (VIII 4, 3): *Quattuor tamen maxime generibus video constare amplificationem: incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie.* Nam ea, quae Fabius de congerie habet, ad verbum fere consentiunt cum Iulio Severiano. Nonne igitur veri simile est eum etiam ea, quae de ceteris, de incremento, comparatione, ratiocinatione, adfert, magnam partem ex eodem auctore hausisse, praesertim cum omnia fere exempla, quibus res illustrat, sint Latina? Adde quod Quintilianus ipse verbis *video constare* illam divisionem ad fontem videtur referre.

Multum nostra interesset scire, qua re adductus Isidorus adiecerit illa verba: *Huic non sit satis videre, quid dicat ...., nisi id quod dicat et facete dicat.* Fieri quidem potuit, ut episcopus Hispalensis aliquid, quod Celsus quasi praeteriens addiderat, arriperet et adscriberet, quod profecto non abhorret ab eius scribendi ratione. Sed Cornelium hoc loco *facetum* tractasse sane potest cogitari.

Quem de compositione egisse atque Quintilianum in eadem re tractanda eius disputatione esse usum ex iis, quae supra de Isidori capite XIX. et de Aquila scripsimus[2], mihi constat fere. Hoc loco haec adiciam: Ex fragmento 21. eum, qui numeri singulis orationis partibus maxime convenirent, satis accurate indicasse et exemplis illustrasse colligo. Quare nescio an Fabius eorum, quae apud Ciceronem non inveniuntur, magnam partem ab illo sit mutuatus. Recte enim Morawskius (p. 20) monuit Quintilianum, cum auctorum, qui post Ciceronem de compositione scripsissent, solum Dionysium (IX 4, 88) et Cornelium Celsum (IX 4, 132; 137) nominavisset, praeter Tullium horum potissimum rationem habuisse suspicari posse. Sed quaestio, evolveritne Fabius Dionysii libellum de compositione, sane lubrica est. Nonne Quintilianus ea, quae Morawskius (p. 21 sq.) ad Halicarnassensem rettulit, iam ex Celsi Institutionibus, quem Dionysio auctore usum esse probabile est, sumere potuit?

[1]) p. 111 sq.
[2]) p. 129.

Praeterea fortasse Cornelius unus fuit ex iis, qui tres breves syllabas *tribrachyn dici voluerunt* et *choreo trochaei nomen imposuerunt*[1]). Fabium enim tali auctore usum esse conicio ex his eius verbis (IX 4, 97): *Sic enim fit forte 'criminis causa', molle 'archipiratae', mollius, si tribrachys praecedat, 'facilitates, temeritates';* hoc enim loco ipse *'tribrachys'* nomen, quod paulo ante (in § 82.) reiecerat, adhibuit, quod eum ex fonte suo exscripsisse nemo negabit.

Quae *figurarum genera* Celsus statuerit atque quomodo ea disposuerit, cognoscere possumus ex fragmento 15.: *Cornelius tamen Celsus adicit verbis et sententiis figuras colorum.* Quintilianus Cornelium figuras colorum verbis et sententiis non praemisisse, sed adiecisse dicit; Celsus igitur, postquam de figuris verborum et sententiarum egit, colorum schemata tractavit. Quare veri simillimum est *eum primo loco verborum figuras, secundo sententiarum, tertio colorum* posuisse. Adde quod non habemus, cur Quintilianum ordinem genuinum retinuisse negemus; qui hunc ordinem observat: I. verborum figurae; II. sententiarum; III. colorum. Postremo Isidorus, quem, praeterquam quod nonnulla schemata ex Fabii libris exscripsit, in figuris describendis Celsum sequi principem auctorem demonstravisse nobis videmur, eodem ordine progreditur: nam primum verborum figuras habet, deinde sententiarum (omissis coloribus).

Quas vero colorum figuras vocaverit Celsus, difficile est dictu. Vocabulo enim *'color'*, quod Graece dicitur χρῶμα, rhetores alii aliud significabant[2]). Sed si animos attenderimus ad eam rem, quod χρῶμα saepissime pro voce σχῆμα usurpatur[3]), eruere fortasse possumus, qua vi Celsus hoc loco illam vocem adhibuerit. Quintilianus quidem IX 1, 14 haec scribit: *Verum id ipsum anguste Zoilus terminavit, qui id solum putaverit schema, quo aliud simulatur dici quam dicitur; quod sane vulgo quoque sic accipi scio, unde et figuratae controversiae quaedam, de quibus post paulo dicam, vocantur* et IX 2, 65: *Huic* (emphasi) *vel confinis vel eadem est, qua nunc utimur plurimum. Iam enim ad id genus, quod et frequentissimum est et exspectari maxime credo, veniendum est, in quo per quandam suspicionem quod non dicimus accipi volumus, non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ, sed aliud latens et auditori quasi inveniendum. Quod, ut supra ostendi, iam fere solum schema a nostris vocatur, et unde controversiae figuratae dicuntur* et VII 4, 28: *A quo dissensuros scio, qui libenter patres figura laedunt .... Sed de figuris alio libro tractabimus.* Quid ex illis locis concludi potest? Sine dubio hoc: Rhetores cum Quintiliano priores tum eius aequales eam dicendi

[1]) Quintil. IX 4, 82.
[2]) cf. Volkmann. p. 113 sq., adn. 1.
[3]) cf. Goeller, *Demetrii De eloc.* p. 152 sq., ad s. 287.

rationem, qua *per quandam suspicionem quod non dicimus accipi volumus*, figurarum genus idque sententiarum esse statuisse. Nonne igitur veri simile est Celsum de hac quoque re, cum figuras tractaret, disputavisse? Schema autem, *quo per quandam suspicionem quod non dicimus accipi volumus*, rhetores persaepe colorem, quod Graece dicitur *χρῶμα*, vocabant; qua re Celsus, ut hoc genus a sententiarum schematis distingueret et colorum figuras vocaret, adductus esse videtur. Volkmannus igitur (p. 463) Cornelium *σχήματα ὑποθέσεων*, quae vocantur, et sermonem figuratum hoc loco spectasse minus recte videtur negare.

Celsum etiam figuras, quae dicuntur grammaticae, tractasse conicio ex his Isidori verbis (p. 517, 20 ss.): *E quibus plurimae superius a Donato in schematibus artis grammaticae adnotatae sunt, unde tantum illa hic interponi oportuit, quae in poemate aut numquam aut difficulter fiunt, in oratione autem libere.* Nam Isidorum eo, quod eius auctor et illa schemata exhibuerit, ut haec scriberet, permotum esse puto. Fortasse ex verbis: *quae in poemate* q. s. Celsum in figuris describendis quaedam de earum usu adiecisse concludi potest.

Quintilianum in sententiarum schematis multa ex Celso hausisse iam Morawskius (p. 62 ss.) suspicatus est atque eius sententia iis, quae de Isidori fontibus scripsimus, confirmatur. Neque vero dubito, quin Fabius eundem in verborum quoque figuris tractandis saepe sit secutus. Sed cum Celsum Caecilii libros novisse et inspexisse plane sit credibile atque Quintilianum rhetorum opiniones saepenumero non ex ipsorum libris petiisse iis, quae de Hermagora et Aristolele diximus, probetur, nescio an eorum, quae Morawskius ad Caecilium rettulit, quaedam ex Celsi Institutionibus fluxerint. Cuius rei vestigium fortasse exstat eo loco, ubi Fabius de synonymia et pleonasmo, quae vocantur, disputat. Nam si IX 3, 45 ss. haec scripta leguntur: *Congregantur quoque verba idem significantia: 'Quae cum ita sint, Catilina, perge quo coepisti, egredere aliquando ex urbe: patent portae, proficiscere'. Et in eundem alio libro: 'Abiit, excessit, erupit, evasit'. Hoc Caecilio pleonasmus videtur, id est abundans super necessitatem oratio, sicut illa: 'Vidi oculos ante ipse meos': in illo enim 'vidi' inest 'ipse'*, Caecilii sententiam non accurate esse expressam nemo negabit; qui rhetor prius exemplum synonymiam, non pleonasmum vocavisset. Quare dubito, an Quintilianus hoc loco Caecilium non evolverit. Neque tamen infitias eo Fabium eius libellum de figuris novisse et legisse[1]).

Haec fere de Celsi rhetorica explorare potuimus; nam ea, quae de memoria et pronuntiatione composuit, ignoramus et fortasse ignorabimus.

[1]) conferantur imprimis ea, quae Morawskius p. 54, 23 ss. proposuit.

Argumentum:

STUDIA IUVENALIANA

SCRIPSIT

DR. ALFREDUS KAPPELMACHER.

De studiis Iuvenalianis Ottonem Ribbeckium libro suo[1]) bene meritum esse mihi quidem persuasi, non quo duas carminum partes inter se diversas, unam ab Iuvenale ipso, alteram a declamatore quodam profectam statuendas esse putarem, id quod Ribbeckius legentibus probare voluit, sed quia iis, quae vir ille doctissimus acute sagaciterque detexit, studia Iuvenaliana videntur tamquam renata esse. Nam ex eo ipso tempore usque ad hanc aetatem quaestiones de textu constituendo, de vita enarranda, de disciplina qua usus est poeta, cognoscenda magis magisque tractatae sunt.

Atque codicem Montepessulanum siglo *P* signatum fundamentum ad textum restituendum esse nunc satis inter viros doctos[2]) constat; itaque Buecheler editioni Iuvenalis[3]) suo iure praemittere potuit: *dubites licet de duobus, quos „P" omisit* (versibus), *nullum nostri exemplaris versum idoneis argumentis demonstratum est non esse factum ab Iuvenale.*

Neque versus in codice Bodleiano nuperrime reperti[4]) tanta sunt auctoritate, ut haereamus, num codicem *P* praeter ceteros sequamur; nam illos non genuinos et poetae cuidam saeculi IV. tribuendos esse veri simillimum est.[5])

Sed de vita Iuvenalis hodie quoque nihil certi dici potest; quo enim anno natus, quo mortuus sit, quis imperator hunc poetam, si eum exilio multatum esse credas, relegaverit, quo tempore singulae saturae sive conditae sive in lucem emissae sint, has omnes quaestiones inter difficillimas et maxime obscuras historiae litterarum Latinarum numerandas esse quisquis pertractaverit, concedet. Ita

---

[1]) Der echte und der unechte Juvenal. Berlin 1865.

[2]) Conf. editionem *D. Iunii Iuvenalis saturarum libri V* mit erklärenden Anmerkungen von *L. Friedlaender*. Leipzig 1895. I. p. 113 et sqq.

[3]) *A. Persii Flacci, D. Iunii Iuvenalis, Sulpiciae Saturae, recognovit Otto Jahn.* Editio III., curam egit *Fr. Buecheler*. Berlin 1893, p. XIV.

[4]) *Classical Review* 1899, p. 201 et 206.

[5]) cf. Buecheler, Mus. Rhen. 1899, p. 406 et sqq.; quare hos versus in hac disputatione neglexi; alii aliter de eis iudicaverunt (v. P. Winterfeld, Gött. gel. Anz. 1899, p. 896).

factum est, ut de his rebus quamquam multi disputaverunt, qui ad Iuvenalis saturas explicandas et ad poetae ipsius vitam exponendam contulerunt operam et ingenium, tamen nihil pro certo affirmari posset. Accedit, quod H. I. de Dompierre de Chauffepié[1]) iure quodam dubitavit, num titulus[2]) ille, quem viri docti ad Iuvenalem poetam saturarum rettulerunt, recte suppletus esset.

Restat tertia quaestio quam commemoravi. De disciplina rhetorica, qua imbutus erat, Iuvenalis ipse satis plane disputat I 15 sqq.[3]) Quoniam permulta sane vestigia rhetoricae disciplinae inveniri viri[4]) docti ostenderunt, quaeritur, quo magistro artis rhetoricae Iuvenalis usus sit. Hac de re, quam duo viri doctissimi obiter perstrinxerunt, disputationem peculiarem hoc libello instituere mihi proposui. Friedlaender[5]) enim Iuvenalem Quintiliani discipulum fuisse affirmavit testimoniis nonnullis, de quibus nobis agendum erit, confisus; Fr. Marxius[6]) eum Latinis rhetoribus adscribere videtur. Videamus igitur, quid de his sententiis sit iudicandum.

---

[1]) *De titulo I. R. N. 4312 ad Iuvenalem poetam perperam relato.* Leyden 1889.

[2]) conf. C. I. L. X 5382 (= I. R. N. 4312, Henzen-Orelli 5599, Dessau I 2926).

[3]) *et nos | consilium dedimus Sullae, privatus ut altum | dormiret.*

[4]) Teuffel, Studien p. 420: „*Und ein Rhetor ist Iuvenal doch zu allererst und vom Scheitel bis zur Zehe*" et quae seq.. Schanz, Röm. Litt. Gesch. II² p. 176 sqq. Peter, Gesch. Litt. über die röm. Kaiserzeit II 77 ff. Strube, *De rhetorica Iuvenalis disciplina*. Bergmüller, *Quaest. Iuv.*

[5]) l. l. p. 16.

[6]) *Incerti auctoris de ratione dicendi ad C. Herennium libri IV*, Lipsiae 1894 p. 148.

I. Num Iuvenalis Latinis rhetoribus qui vocantur, adnumerandus sit.

De rhetoribus Latinis quos vocant, primus omnium accurate egit Fr. Marxius.[1]) Exstant enim de eis pauca quidem, sed gravissima testimonia. Nam Cicero de Or. III 93—95 L. Crassum oratorem anno 91 exeunte haec dicentem fingit:

Rerum est silva magna, quam cum Graeci iam non tenerent ob eamque causam iuventus nostra dedisceret paene discendo, etiam Latini, si dis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; quos ego censor edicto meo sustuleram, non quo, ut nescio quos dicere aiebant, acui ingenia adulescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos, cuicuimodi essent, videbam tamen esse praeter hanc exercitationem linguae doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia; hos vero novos magistros nihil intellegebam posse docere, nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus coniunctum per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc cum unum traderetur et cum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere. Quamquam non haec ita statuo atque decerno, ut desperem Latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri; patitur enim et lingua nostra et natura rerum veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri; sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere nostri nulli fuerunt; sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi. Atque edictum, quo rhetores Latini ex urbe eiecti sunt, reperitur apud Suetonium de rhet. 1, cuius verba Gellius XV 11 hoc modo tradit: *Renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras; ibi homines adulescentulos dies totos desidere. Maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque*

---

[1]) l. s. s. p. 141 sqq.

recta videntur. Quapropter et his, qui eos ludos habent, et his, qui eo venire consuerunt, visum est[1] *faciundum, ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.* Sed F. Marxius l. l. edictum his verbis traditum cum eis, quae apud Ciceronem leguntur, consociari posse suo iure negat. Atque quamquam edictum in multos invehi videtur, censores L. Plotium quendam spectasse unum nonnulla exstant testimonia, in his, quod de ludo uno Crassus loquitur. De Plotio ipso conferri possunt, quae Quintilianus Inst. or. II 4, 42 dicit: *Latinos vero dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse Cicero auctor est, quorum insignis maxime Plotius fuit.* Praeterea Plotium, cuius amicum fuisse Marium Cicero pro Arch. 20 testis est: *itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari,* in actione Caeciliana, quae anno 698/56 habita est, contra Ciceronem stetisse constat (Suet. de rhet. 1). Sed haec de Plotio satis esse puto; ad meam vero disputationem maxime pertinet, quid novi docuerint rhetores Latini vel Plotius, cuius ex ludo eum qui quattuor ad. C. Herennium de ratione dicendi libros scripsit, profectum esse Marxius ostendit.[2] Quos artis dicendi magisstros *removisse omnem doctrinam Graecam omnesque litteras et docere sese esse professos rhetoricam Graecam exclusis et scriptoribus Graecis et litteris et ipsa lingua Graeca non adhibita* idem l. l. (p. 145) statuit. Quae cum ita sint, huius generis Latinorum rhetorum proprium erat odium Graecorum.

Sed quamquam eam sententiam probo, tamen eo ipso a Marxio valde dissentio, quod rhetores Latinos quos vocat, primos omnium sermonem Latinum in scholis publicis adhibuisse mihi quoque persuasum est. Cuius rei testimonium est, quod haec Ciceronis verba apud Suetonium leguntur de rhet. 2: *Equidem memoria teneo pueris nobis primum Latine docere coepisse Plotium quendam, ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius posse ingenia.* Et Plotium illum *primum* Romae scholam rhetoricam, in qua sermo Latinus in usu erat, habuisse et Ciceronem ipsum adulescentem a rhetoribus *lingua Graeca* instructum esse ex verbis allatis apparet. Eis non obstant, quae Marxius l. l. scripsit *neque enim Graeca lingua usos esse in docendo Caelium Antipatrum vel Opillium Aurelium credi potest neque M. Antonium Latina lingua librum illum conscripsisse non constat.* Nam Caelium Antipatrum, quem

---

[1]) sic legit M. Hertzius in maiore Gellii editione p. 239.

[2]) l. s. s. 151 sqq.

non solum rhetorem, sed etiam historicum et iuris peritum fuisse[1]) scimus, in schola Latina artem rhetoricam non docuisse inde concludo, quod L. Crassus eius discipulus[2]) loco, quo de rhetoribus Latinis disputat, haec affert: *Quamquam non haec ita statuo atque decerno, ut desperem Latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri; patitur enim et lingua nostra et natura rerum veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum et morem transferri. Sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc genere nostri nulli fuerunt.* Ciceronem enim Crassum, Caelii discipulum, si Caelius Latine docuisset, ita dicentem facere non potuisse consentaneum est. De Opillio pauca memoriae traduntur apud Suetonium de rhet. 6 *Aurelius Opillius, Epicurei cuiusdam libertus, philosophiam primo, deinde rhetoricam, novissime grammaticam docuit. Dimissa autem schola Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus ibidem Zmyrnae simul consenuit composuitque variae eruditionis aliquot volumina. Huius cognomen in plerisque indicibus .. per unam (L) litteram scriptum animadverto. Verum ipse id per duas affert in parastichide libelli, qui inscribitur Pinax.* Sed Opillium[3]) Graecum natione fuisse vel inde veri simile est, quod libertus doctus fuit. Quem non solum Latine, sed etiam Graece scripsisse titulus libri, qui inscribitur πίναξ, ostendit; nam eis, quae apud Gellium III 3, 1 leguntur, hunc librum totum Latine conscriptum esse non efficitur. Quare Opillium tantum Latine docuisse pro certo non habeo. Restat disputatio de libello M. Antonii. Quem utrum Latine conscripserit an Graece, ad hanc quaestionem non pertinet. Nam scrutamur, num quis ante Plotium illum Romae habuerit scholam[4]), in qua artem rhetoricam Latine professus sit. Ante M. Antonium iam Catonem Latine de arte rhetorica scripsisse Quintilianus[5]) auctor est. Quare homines quamquam scholas non habuerant, de arte rhetorica libros conscripsisse, necesse est concedatur atque inter eius generis scriptores M. Antonius numerandus est Itaque M. Cato et M. Antonius, oratores clarissimi, quorum exemplo adulescentes docebantur, ea, quae usu docti de disciplina rhetorica cogitabant, litteris dederunt.

---

1) Marx. l. l. p 136 sqq. et Schanz. l. l. I² p. 132 sqq.

2) Cic. Brut. 102.

3) Conf. Pauly-Wissowa R. E. p. 2514.

4) Atque quod Marxius p. 140 (conf. Cic. Brut. 207 *his enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adulescens eumque audire perstudiose solerem*) Ciceronem apud Aelium Stilonem studiis rhetoricis operam dedisse similiter atque O. Jahnius in editione Bruti p. 93 scribit, difficultas, quae oriri videtur, eo solvitur, quod Stilonem Ciceronem privatim docuisse neque scholam publicam habuisse affirmari potest.

5) III, 1. 19. Pauca Catonis, quae huc pertinent, fragmenta collecta reperiuntur apud Jordanum p. 80.

Quae cum ita sint, L. Plotius id novasse videtur, ut ludum rhetoricum haberet, in quo primus Latine doceret. Hac in re permultos eum secutos esse Seneca rhetor et Suetonius, qui multa nomina rhetorum Latinorum afferunt, testes sunt.

L. Plotium igitur, quamquam eum Graecos odisse Marxius recte iudicat, contra Graecos stetisse non ex his verbis, quae exstant apud Suetonium l. s. s. *eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras* cum Marxio concludo, sed inde, quod is, qui libros ad C. Herennium scripsit, quem L. Plotii discipulum et imitatorem fuisse Marxius aliis quoque argumentis nisus[1]) doctissime exponit, Graecos ita contempsit, ut *in toto opere, cuius et praecepta omnia et exempla plurima e Graecis scriptoribus sumpta sunt, scriptoris Graeci nomen aliquod reperiretur nusquam.*[2]) Itaque praecipue odio Graecorum ludus L. Plotii a reliquis artis rhetoricae magistris Romanorum differebat. Atque Cestium Pium, quem rhetorem Latinum fuisse Hieronymus tradit,[3]) eiusque discipulum Argentarium Graecos odisse Seneca rhetor declarat,[4]) qui utrumque, cum Graecus esset, nusquam Graece declamavisse dicit. Quare eos Plotii doctrinam sectatos esse Marxius statuit.

Qui vir doctissimus idem odium in saturis Iuvenalis invenire vult; dicit enim (p. 148) *clarissimum autem odii contra Graecos testimonium exstat in Iuvenalis rhetoris Latini saturis III 58* sqq. Inquirendum igitur est, num Iuvenalis eodem modo atque rhetores Latini Graecis infestissimus fuerit. Atque primum quidem versus, de quibus sermo est, propono:

III, 58 *Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris,*
et quos praecipue fugiam, properabo fateri
nec pudor opstabit. Non possum ferre, Quirites,
Graecam urbem; quamvis quota portio faecis Achaei?
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
et linguam et mores et cum tibicine chordas
obliquas nec non gentilia tympana secum
vexit et ad circum iussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,

---

1) l. s. s. p. 152 sqq.

2) Marx l. s. s. p. 115.

3) ad ann. Abr. 2004 [= 741/33] *L. Cestius Pius Smyrnaeus rhetor Latine Romae docuit.*

4) Controv. IX 26, 13.

hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis
Esquilias dictumque petunt a vimine collem,
viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
promptus et Isaeo torrentior. Ede, quid illum
esse putes? Quemvis hominem secum attulit ad nos:
grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
augur, schoenobates, medicus, magus; omnia novit
Graeculus esuriens; in caelum, iusseris, ibit.
In summa non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax
qui sumpsit pinnas, mediis sed natus Athenis.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
gymnasia atque audi facinus maioris abollae.
Stoicus occidit Baream delator amicum
discipulumque senex ripa nutritus in illa,
ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Quos omnes versus obiter perlectos ad Graecos ipsos spectare videri quamquam non nego, tamen accuratius perquisitos non ad homines ex Graecia natos, quos Graecos recte vocamus, pertinere mihi persuasi, sed ad multitudinem illam toto ex oriente Romam confluentem, quae cum Graece loqueretur, *Graeci* appellabatur, quamquam illos homines non Graecos, sed Graecos et orientales fuisse dicendum est. Qui cum huius generis homines Graecos appellet, se Graecis infestissimum esse affirmat, is non Graecorum solum, sed etiam orientalium inimicus esse putandus est. Id cum versibus prolatis convenire arbitror. Iuvenalis enim, cum se Graecam urbem ferre non posse dicat, in Graecos solos invehi videretur, nisi haec verba iam sententia illa *quamvis quota portio faecis Achaei?* exciperentur. Unde eum non solum Graecos ipsos, sed etiam orientales qui vocantur, spectare manifestum est; quod confirmatur versu 62: *iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.* Deinde in v. 70 sqq. nonnullae urbes regionesque et in Graecia ipsa et in oriente sitae nominantur. Atque versus 74 ad orientem revocat legentes; Isaeum enim in Assyria natum esse Philostratus (v. Soph. I 20) auctor est. Itaque *Graeculus* in v. 78 non homo vere Graecus, sed orientalis est. Iuvenalis autem his omnibus versibus de Graecis solis, de quibus initium fecerat disputare, nihil fere dixerat. Ne alia igitur proponeret quam quae promisisset, his versibus adiunxit:

In summa non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax
qui sumpsit pinnas, mediis sed natus Athenis.

Neque vero Iuvenalem versibus prolatis cum Graecos, tum orientales non castigavisse versu 114 et qui sequuntur, docemur. Exclamat enim poeta:

Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
gymnasia atque audi facinus maioris abollae.

Exspectes igitur Iuvenalem facinus alicuius Graeci philosophi relaturum esse; sed nequam illum philosphum, quem P. Egnatium Celerem[1]) esse commentatores intellexerunt, non e Graecia ipsa, sed Tarso, ex Asiae urbe, Romam venisse e Iuvenalis ipsius verbis apparet, si cum versu 118

. . senex ripa nutritus in illa,
ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi

conferuntur, quae leguntur apud Dionysium Perieg. v. 869/70 (= p. 157 M.):

Ταρσὸν εὐκτιμένην, ὅθι δήποτε Πήγασος ἵππος
ταρσὸν ἀφεὶς χώρῳ λίπεν οὔνομα.

Quare Iuvenalem Graecos solos praeter ceteros odio insectatum his versibus, ad quos Marxius legentes revocavit, non demonstratur.

Neque eis, quae exposui, reliquos Iuvenalis locos, quibus de Graecis agitur, obstare ostendam. Quoniam quae in sat. VI 16 sq.:

nondum Graecis iurare paratis
per caput alterius

de Graecis afferuntur, cum eis, quae de orientalibus priore loco proponuntur, congruunt, Iuvenalem hoc quoque versu Graecos et orientales spectavisse existimo. Deinde versibus 224 et seq. sat. VIII

Haec opera atque hae sunt generosi principis artes,
gaudentis foedo peregrina ad pulpita cantu
prostitui Graeciaeque apium meruisse coronae.

in Neronem, non in Graecos invehitur. Tum in sat. XIV 89 sq.

culmina villarum Graecis longeque petitis
marmoribus vincens Fortunae atque Herculis aedem

— Iuvenalis in eos, qui marmoribus peregrinis nimis indulgent, illudit — Graecia et oriens coniunguntur, id quod ad nostram sententiam optime quadrat. Praeterea duo loci exstant, quibus Graecia ipsa i. e. per *μεταφοράν*, quam appellant, Graeci ipsi significantur neque in eis ullum odium Graecorum inest. Iuvenalis enim in sat. XV 100 sqq. sua aetate philosophiam, cultum, humanitatem per totum orbem terrarum diffusa esse dicit et Latinas litteras cum Graecis componit his usus verbis v. 110.

---

[1]) De eo conf. Tac. h. IV 40, ann. XVI 32; Dio LXII 26.

nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas.

Huic loco simillimus est alter in sat. XI 100

tunc rudis et Graias mirari nescius artes.

Sed tali Iuvenalianorum versuum explicationi nescio quis dicat repugnare sat. X 174 et sq.

. . . . . *et quiquid Graecia mendax*
audet in historia,

et sat. XIV 240

Dilexit Thebas, si Graecia vera, Menoeceus

quibus versibus Iuvenalis Graecorum scriptores mendaces esse clare dicit. At Iuvenalis versibus exscriptis non dicit, quae ipse solus de Graecarum rerum scriptoribus, sed quae omnes fere Romani scriptores, in his, qui a parte Plotii discipulorum non steterunt, cogitaverunt; nam idem fere iudicium reperitur apud Ciceronem de Leg. I 5 *quamquam et apud Herodotum, patrem historiae et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae* et apud Quintilianum Inst. or. II 4, 19 *nam Graecis historiis plerumque poeticae similis licentia est.* Praeterea Iuvenali simillima inveniuntur apud Plinium N. h. V. 4 *minus profecto mirentur portentosa Graeciae mendacis* VIII 82 *mirum est quo procedat Graeca credulitas! nullum tam impudens mendacium, ut teste careat* XII 11 *Graeciae fabulositas* [1]) Illos locos ad disquisitionem institutam multum valere puto, quibus Iuvenalem litteras Graecas parvi non fecisse ostendatur. Hoc ipso ab auctore ad Herennium aliisque Plotii discipulis maxime differt.

Neque Iuvenalem Graecas[2]) litteras ita odisse, ut nullius Graeci scriptoris nomen suis in carminibus afferret, haec exempla demonstrant sat. X 246 sqq.

rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
exemplum vitae fuit a cornice secundae.
Felix nimirum, qui tot per saecula mortem
distulit atque suos iam dextra computat annos,
quique novum totiens mustum bibit e. q. s.

XV 65—70

. . *nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,*
vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae, sed quem valeant emittere dextrae
illis dissimiles et nostro tempore natae.

---

[1]) Praeterea multa huius generis exempla collegit Mayor in comment. II 129, ad quem, ne longus sim, legentes revoco.

[2]) Iuvenalem permultos locos ad Graecorum scriptores accommodasse nuper dixit Christius (S. B. d. bayr. Ak. phil. hist. Kl. 1897 I 124 sqq.).

Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero,[1])
terra malos homines nunc educat atque pusillos.

XIII 112 *Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,*
vel potius quantum Gradivus Homericus . . .[2])

Neque solum Homerus affertur, sed alii etiam Graeci: in sat. XV 173

Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
tamquam homine et ventri indulsit non omne legumen?

sat. XV 106 sqq.

. . . . melius nos
Zenonis praecepta monent; nec enim omnia, quaedam
pro vita facienda putant: . . .

Praeterea non modo non vituperandi causa, sed etiam ut laudentur, Graeci scriptores vel philosophi his locis nominantur: II 6 (Aristoteles); II 5 (Chrysippus); X 34 (Democritus); X 114 (Demosthenes); VI 437 et VII 38 (Homerus); VI 636 (Sophocles); VII 177 (Theodorus).

Neque ab hac disputationis parte alienum videtur afferre, quid Iuvenalis de Graeca lingua adhibenda iudicaverit. Huc pertinent in sat. VI versus 185 et sqq., quibus versibus ei soli vituperantur, qui lingua Graeca nimis utuntur. At Iuvenalis non solum, quod ex exemplis antea prolatis apparet, Graecae linguae peritus fuit, sed etiam ea in saturis componendis usus est. Legas velim:

in sat. VI. 195 *ζωὴ καὶ ψυχή* XI 27 *γνῶθι σεαυτόν*
IX 37 *αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.*[3])

Quoniam linguae Graecae a Iuvenale adhibitae mentio facta est, huius loci est quaerere, num ille et auctor ad Herennium, Latinus rhetor, eadem via ac ratione in verbis a Graecis mutuandis usi sint. Itaque quae verba uterque ex Graeco sermone sumpsit, proponam idque ita, ut quas voces Romani, quod rem quandam alio modo significare neque potuerunt neque soliti sunt[4]), a Graecis

---

[1]) conf. Il. I 272 XII 449 *(οἷοι νῦν βροτοί εἰσι)*; V 302—305 VIII 268.

[2]) conf. Il. V. 785—786 V 859—861.

[3]) conf. Od. XVI 294 XVIII 13 *αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.*

[4]) conf. quae dicit Fr. O. Weise in libro, cui anno 1882 composito inscripsit: *Die griechischen Lehnwörter im Latein*: Denn wie in vielen Sprachen, so kann man auch in der römischen nach dem Alter der Entlehnung und der Art des Gebrauches drei verschiedene Arten von fremden (griech.) Wörtern annehmen: 1. *solche, die dem Volke in Fleisch und Blut übergegangen und total naturalisiert sind, deren fremdes Gepräge daher ganz oder fast verwischt ist; . . . . .* 2. *solche, welche sich ebenfalls eingebürgert haben und wenn auch nicht durch alle Schichten der Bevölkerung durchgedrungen sind, so doch von einem grossen Theile derselben in der Regel verwendet*

delibaverunt, eas ad quaestionem nihil valere iudicem. Certum, quoad hac in re ambigua fieri potest, ducem sequar Fr. O. Weise in libro illo, quem infra laudavi.

Itaque haec verba Graeca, quibus auctor ad Herennium usus est, ex disputatione excludantur: *architectari, bracchium, charta, chlamys, cera, cithara, citharoedus, cochlea, choragium, cista, dialecticus, draco, historia, leo, machinari, paedagogus, palma, philosophia, philosophus, prooemium, purpura, purpureus, rhetor, rhetoricus, scaena, scapha, sylaba, thesaurus, tragicus, tragoedia, triclinium, triumphus, tropaeum, tyrannicus, tyrannus.* His adicienda sunt: *amphibolia* (II, 11); *apologus* (I 6, 10) *barbarismus* (IV 12, 17); *epicherema* (II 2, 2); *epilogus* (II 30, 47); *epodos* (I 4, 6); *soloecismus* (IV 12, 17), quae omnia, cum ad artem rhetoricam pertineant, antea adhibita esse mirari non possumus. Restat unum Graecum verbum *sarisa* (IV 32, 43). Sed praeterquam quod ex hoc uno verbo Graeco auctorem ad Herennium eiusque magistrum Graecae linguae inimicos non fuisse concludi non potest, hoc loco si vox peregrina, quae apud Lucilium quoque exstat 191 (L; V frg. 26 M.)

custodem classis catapultas pila sarisas

adhibita non esset, futurum fuisse, ut exemplum a scriptore prolatum sententia sua careret, nemo neget, qui verbo *sarisa* hastam Macedonum significatam esse secum reputaverit; dicit enim IV 32, 43 *Denominatio est, quae a rebus propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intellegi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut ⟨ab⟩ inventor⟨e⟩ conficitur ...... aut instrumento dominum, ut si quis Macedones appellarit hoc modo „Non tam cito sarisae Graeciae potitae sunt".* Atque auctorem ad Herennium re vera Graecam linguam ne adhiberet, nisi necessitate coactus, operam dedisse vel inde intellegas, quod IV 52, 65 haec leguntur: *venit iste cum sago, gladio succinctus, tenens iaculum; III adulescentes hominem simili ornatu subsequuntur.* Quae verba ex Graeca lingua translata esse[1]) intellegimus ex Plauti Rud. 313 sqq.

Te ...... *Ecquem adulescentem*
Huc dum hic astatis strenua facie, rubicundum, fortem.
Qui tres secum homines duceret c⟨h⟩lamydatos cum machaeris.

---

werden, obwohl sich meist adäquate römische Ausdrücke entweder vom Haus aus daneben finden oder bes. auf dem Gebiete der Wissenschaft durch Übersetzung geschaffen worden sind. Graeca verba, quae in Iuvenalis saturis leguntur, nuperrime collegit et illustravit A. Thiel in libro, qui inscribitur *Iuvenalis Graecissans sive de vocibus Graecis apud Iuvenalem*, Vratislaviae 1901.

[1]) cf. Marx. l. l. p. 369. (adnot. crit.)

Unde auctorem ad Herennium cum pro verbis Graecis veluti pro chlamyde *sagum*, pro machaera *gladius*, Latina posuisset, Graecam linguam fugisse efficitur.

His expositis ad Iuvenalem nos vertamus; qui multum abest ab hac ratione linguae Graecae vitandae. Nam si eandem tractandi viam secuti Graeca verba apud Latinos pervulgata excludimus, multo maiorem vocum eius generis numerum apud Iuvenalem legimus atque adeo, ut eum Graecam linguam non vitasse statuatur. Sed haec verba, quae quia in Latinum sermonem recepta erant, non magni sunt momenti, removeantur: *abacus, abolla, aconitum, adamas, adytum, aenigma, aer, aliptes, aloe, amethystina, amomum, antrum, aplustre, argilla, artopta, asparagus, astrologus, astrum, asylum, athleta, aula, aulaea, aura, bacchari, balena, balneolum, barbarus, berullus, blaesus, boletus, bombycinus, bulbus, bracchium, buxus, calamus, calathus, caminus, cammarus, canistra, canna, cantharus, cardiacus, castor, cathedra, cera, cerdo, charta, chirographum, chlamys, chorda, chorus, cinaedus, cista, cithara, citharoedus, coccina, colaphus, collyrium, colossus, colyphia, coma, comoedia, comoedus (adj.), concha, conchis, conchylium, conopeum, contus, cophinus corymbus, cothurnus, cottona, crambe, crater, crepido, crocodilus, croceus, crocus, crypta, crystallina, cumba, cyathus, cyclas, cycnus, cylindrus, cymbalum, cynicus, diadema, dogma, echinus, electrum, elegus, elephantus, ephebus, epistula, ergastulum, eunuchus, eurus, exodium, genesis, gobius, grammaticus, gymnasium, gypsum, historia, historicus, hora, hydrus, iaspis, ibis, ictericus, incerare, lagona, lampas, leo, macellum, maena, magus, magicus, marmor (eus), massa, mathematicus, metreta, mitra, mimus, moechus, mullus, muraena, myrrhina, nauseare, nectar, obsonium, oceanus, oenophorum, oestrus, oleum, oliva, opobalsamum, orchestra, organa, organum, ostrea, paelex, paenula, papyrus, parasitus, pardus, pathicus, pegma, pelagus, pelamys, petasunculus, phalanx, phalerae, phaselus, phiala, piper, pirata, platanus, plectrum, podagra, podium, poema, poeta, pompa, pragmaticus, prooemium, propinare, prora, psaltria, purpura, purpureus, pyxis, rhetor, rhetoricus, rhinoceros, rhombus, sacculus, saccus, sanna, sacrophorus, sardonyx, scaena, scaphium, sceptrum, scopulus, silurus, siparium, sipho, sistrum, soloecismus, sophista, spado, spelunca, spira, squilla, stemma, stigma, stoicus, stomachus, stuppa, syrma, talentum, theatrum, thermae, thorax, thyrsus, tiara, tigris, tomacula, tragicus, tragoedia, triremis, triumphus, tropaeum, trutina, tympanum, tyrannis, tyrannus, zona.*

Quorum verborum, quamquam eis minorem vim probandi esse supra dictum est, tamen maiore numero, si paucas eiusdem generis voces ab auctore ad Herennium adhibitas esse respicis, satis clare ostenditur Iuvenalem non eodem modo atque illos Latinos

rhetores Graecam linguam repudiasse. Eo plus id valeat, quod apud Iuvenalem haec verba Graeca, quae raro in usu erant, inveniuntur: *archetypus, archimagirus, aretalogus, boota, cocoethus, cercopithecus, ceroma, chironomos, chironomon, choraules, cometes, elenchus, endromis, enthymema, ephemeris, geometres, hecatombe, hippomanes, naulum, onyx, orexis, paropsis, petaurum, pharetra, philtra, phasma, phoenicopterus, phrenesis, pthisis, poppysma, porthmeus, proseucha, pygargus, pytisma, sabbata, schoenobates, zelotypus.*

Accedit, quod apud Iuvenalem solum nonnulla verba e lingua Graeca sumpta legimus; sunt autem haec: VII 218 *acoenonetus* (*ἀκοινώνητος*[1]); III 46 *anabathrum (ἀνάβαθρον)*, II 92 *baptae (βάπται)*; III 68 *ceromaticus (κηρωματικός)*; VI 477 *cosmetae (κοσμηταί)*; VII 120 *epimenia (ἐπιμήνια)*; III 68 *niceteria (νικητήρια)*; VI 653 *papas (πάππας)*; VI 540 *popanum (πόπανον)*; III 67 trechedipnum *(τρεχέδειπνον)*; VI 518 xerampelinae *(ξηραμπέλιναι)*.

Iuvenalem igitur, quoniam quomodo de Graecis ipsis iudicaverit et qua ratione lingua Graeca usus sit, satis constat, non eodem quo L. Plotii sectatores odio flagrasse apparet, sed cum Graecorum inimicissimos esse Latinis rhetoribus qui vocantur, proprium fuerit, Iuvenalis eis adnumerandus non est.

Restat aliud gravissimum, quod inter Iuvenalem et rhetores illos Latinos interest. De Gracchis enim aliter iudicant; neque id non magni momenti esse puto, praesertim cum de Gracchis ita, ut de re publica senserit, alius aliter iudicaverit. Iuvenalis igitur Gracchos vituperat, cum exclamat in sat. II 24:

quis tulerit Gracchos de seditione querentes.

At auctor ad Herennium Gracchos laudibus extollit[2]) IV 55, 68, ubi Tiberii Gracchi mortem narrans haec dicit: *nulla voce delibans insitam virtutem concidit tacitus. Iste (Nasica) viri fortissimi miserando sanguine aspersus quasi facinus praeclarissimum fecisset...*

---

[1]) cf. Goetzii *Thes. gloss. emendatarum* s. v.

[2]) Utrum res gestas ipse finxerit et commutaverit — quod putavit Marx l. s. p. 106 — an Posidonium secutus sit hac in narratione, ut iudicavit Eduardus Meyer, in dubio relinquo, cum ad ea, quae exposui, non pertineat.

II. Quid de Graecis Quintilianus iudicaverit.

Iuvenalem quod Graecas litteras non neglexit, eodem modo quo Quintilianum de Graecis iudicasse facile ostendi potest. Namque hic longe aliter atque discipuli L. Plotii de litteris Graecis disputat. Isque primum quidem pueros Graeca lingua instituendos esse et Romanos litteras suas Graecis debere arbitratus est; id intellegitur ex Inst. or. I 1, 12: *A sermone Graeco puerum incipere malo, quia Latinum, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus perbibet, simul quia disciplinis quoque Graecis prius instituendus est, unde et nostrae fluxerunt. Non tamen hoc adeo superstitiose fieri velim, ut diu tantum Graece loquatur aut discat, sicuti plerisque moris est. Hinc enim accidunt et oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti et sermonis, cui cum Graecae figurae adsidua consuetudine haeserunt, in diversa quoque loquendi ratione pertinacissime durant. Non longe itaque Latina subsequi debent et cito pariter ire. Ita fiet, ut, cum aequali cura linguam utramque tueri coeperimus, neutra alteri officiat.* Inde iam vides Quintilianum non eodem modo de Graecorum lingua et litteris cogitasse, quo rhetores Latinos. Et eius verba optime consentiunt cum eis, quae leguntur apud Ciceronem Part. orat. I 1 *Studeo, mi pater, Latine ex te audire ea, quae mihi tu de ratione dicendi Graece tradidisti.* Quintilianum in arte rhetorica semper respexisse Graecos eosque multis locis laudasse ostendunt permulta exempla, quorum nonnulla proponantur: Inst. or. I pr. 1 *Diu sum equidem reluctatus, quod auctores utriusque linguae (i. e. Latinae et Graecae) clarissimos non ignorabam multa, quae ad hoc opus pertinerent, diligentissime scripta posteris reliquisse;* I, 4 1 *Primus in eo, qui scribendi legendique adeptus erit facultatem, grammatici est locus. Nec refert de Graeco an de Latino loquar, quamquam Graecum esse priorem placet . .;* I 5, 32 *et illa per sonos accidunt, quae demonstrari scripto non possunt, vitia oris et linguae: ἰωτακισμούς et μυτακισμούς et λαβδακισμούς et ἰσχνότητας et πλατειασμούς feliciores fingendis nominibus Graeci vocant, sicut κοιλοστομίαν.* I 5, 58 *sed haec divisio mea ad*

Graecum sermonem praecipue pertinet: nam et maxima ex parte Romanus inde conversus est et confessis quoque Graecis utimur verbis, ubi nostra desunt, sicut illi a nobis nonnumquam mutuantur. I 12, 6 *et cum Latinis studebimus litteris, non respiciamus ad Graecas, et ut semel finiam, nihil faciamus nisi novissimum?*

Ex quibus exemplis quoniam, quae demonstrare volui, apparent, ad aliam rem transibo. Auctor enim ille incertus, qui ad C. Herennium scripsit, scriptoris Graeci nomen nusquam affert. Qua in re inter Latinum rhetorem illum et Quintilianum plurimum interest. Nam Quintilianus multa Graeca exempla, quae affert, non profert tamquam ea sua Minerva, ut ita dicam, finxerit, sed Graecos fontes persaepe nominat. Conferas velim Inst. or. I 1, 9 *nec minus error eorum (paedagogorum) nocet moribus (discipulorum): si quidem Leonides Alexandri paedagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quae robustum quoque et iam maximum regem ab illa institutione puerili sunt persecuta.*

Praeterea Quintilianus non ut Latini rhetores Graeci scriptoris nomen „tamquam scopulum" fugit, sed apud eum *Aeschines, Aeschylus, Aesopus, Anaxagoras, Anaximenes, Antiphon, Apollodorus, Archilochus, Archimedes, Archytas, Aristippus, Aristophanes, Aristoteles, Aristoxenus, Athenodorus, Callimachus, Chrysippus, Cleanthes, Corax, Crates, Empedocles, Ephorus, Eratosthenes, Euphorion, Hermagoras, Hesiodus, Hippocrates, Homerus, Hyperides, Isaeus, Isocrates, Menander, Metrodorus, Protagoras, Pythagoras, Simonides, Theocritus, Theon, Theophrastus, Theopompus, Thucydides, Timagenes, Tisias, Xenophon,* multi alii Graeci non solum nominantur, sed etiam eorum verba saepe nomine allato afferuntur; quod auctor ad Herennium minime fecit.

Quare neque Iuvenalis neque Quintilianus odio illo Graecorum conflagrabant, quo Latini rhetores conflammati erant. Ea in re Iuvenalis et Quintilianus consentiunt. Quare neuter eorum eodem sensu quo Plotius eiusque sectatores *rhetor Latinus* appellari potest.

III. De Iuvenale, Quintiliani discipulo.

Quoniam Iuvenalis eidem generi rhetorum Latinorum atque Plotius eiusque discipuli adscribi nequit, disquiratur sententia Friedlaenderi, qui hunc poetam Quintiliani discipulum fuisse contendit. Argumenta autem, quibus vir ille doctissimus sententiam suam firmat, haec fere sunt. Cum Martialis Iuvenalem, quo familiariter usus est, anno p. Ch. n. nonagesimo altero exeunte in lib. VII[1]) epigr. 91 *facundum* appellaverit, dubium non esse Friedlaender putat, quin Iuvenalis ante hoc tempus diutius Romae versatus inde ab anno fere nonagesimo studiis rhetorum se dederit. Quare Iuvenalem Quintiliani, quippe quem in sat. VI 75, 280, VII 186, 189, valde laudasset, discipulum fuisse neminem negaturum esse Friedlaender existimavit. Sed de Iuvenalis et Quintiliani temporibus, cum inter viros doctissimos vehemens controversia sit, priore argumento nimis niti vereor. Iam de altero argumento agam. Iuvenalem igitur in sat. VI 280

dic aliquem sodes hic, Quintiliane, colorem.

Quintilianum artis rhetoricae magistrum respexisse inde apparet, quod hoc in versu verbi in schola rhetorum adhibiti mentionem facit. Neque difficilior est res in sat. VII 186:

Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,
ut multum, duo sufficient; res nulla minoris
constabit patri quam filius.

Nam, cum de puero educando poeta loquatur, Quintilianum illum designari veri simillimum est; sed quod hoc cum versu versus huius sat. 189 cohaeret:

.. unde igitur tot
Quintilianus habet saltus?

ibi quoque Quintilianum magistrum disciplinae rhetoricae significari probabile est. Atque profecto ad Quintilianum haec referri

---

[1]) Librum VII anno 92 editum esse ostendit Friedlaender (H. M. R III[5]).

posse inde cognoscitur, quod apud Hieronymum ad annum Abr. 2104/843/90 legimus Quintilianum primum Romae salarium e fisco accepisse. Quomodo autem rhetores tunc honorati sint, intellegitur ex Suetonii verbis Vesp. 17: *Primus* (Vespasianus) *e fisco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena constituit.* Deinde Martialis *pauper* II 90 Quintilianum ita appellat, ut eum locupletem fuisse concludendum sit. Denique Ausonius grat. act. VIII 31 Quintilianum consularibus ornamentis honoratum esse testatur. Sed nihilo minus fuerunt,[1]) qui duobus his locis Quintilianum rhetorem significari negarent. Hi legentes revocaverunt ad Plinium Epp. VI 32; hac enim in epistula Plinius Quintiliano cuidam promittit se illi, ut filiam Nonio Celeri in matrimonium dare possit, quinquaginta milia sestertium daturum esse. At hunc Quintilianum non eundem atque rhetorem clarissimum fuisse probari potest.[2]) Nam Quintilianus rhetor Inst. or. VII pr., ubi de uxore liberisque suis disputat, neque filiae neque Tutili soceri, de quo in epistula illa sermo est, mentionem facit. Neque si cum Dodwellio[3]) acciperes Quintilianum alteram uxorem in matrimonium duxisse, ex qua filiam creavisset, difficultas tolleretur; nam cum Institutionis oratoriae libros anno fere nonagasimo sexto confectos esse[4]) et Plinii epistulam illam anno centesimo septimo scriptam esse probabile sit, filiam undecim fere annos natam marito nupsisse statuendum esset, quod cum more Romanorum convenire non[5]) videtur. Nihil igitur obstat, quominus Iuvenalem duobus his locis Quintilianum rhetorem significasse comprobemus. Restat, ut in sat. VI 75 Quintilianum illum, cum eius nomen pro viro gravi atque severo ponatur, significari posse moneamus. Quare quamquam quattuor his locis a Iuvenale Quintilianum rhetorem esse intellectum Friedlaendero concedo, tamen multum abesse existimo, ut hac una de causa Iuvenalem Quintiliano usum esse magistro iam concludatur vel pro certo affirmetur.

Itaque ad saturas ipsas accuratius examinandas aggrediamur, praesertim cum ii, qui eas enarraverunt, versibus Iuvenalis singulis permultos locos Quintiliani adscripserint.

---

[1]) conf. Spaldingi editionem I p. XXXI sq. et 438.

[2]) conf. Spaldingium l. l.; Rothium Suet. 1891 LXXVII 62, C. F. Hermannum de temp. Iuv. p. 17 sq.

[3]) apud Spalding. l. l.

[4]) De tempore viri docti hoc modo dissentiunt: Dodwellius (*Ann. Quint.* Oxoniae 1698 c. 26 = p. 1147 sq. Burmanni editionis) Institutionis oratoriae libros ante annum 94 publici iuris factos esse collegit. A. Reuter (*De Quintiliani libro, qui fuit de causis corruptae eloquentiae*, Vratislaviae 1887 p. 43 sqq.) libros Quintiliani intra annos 93 et 94 editos esse voluit. Vollmer in Mus. Rhen. XLVI 343 sqq. annum 96 defendit eumque sequitur Schanz. II 2^2 p. 353.

[5]) Friedlaender H. M. R. I 565.

In saturis igitur Iuvenalis nonnulla exstant verba, quae in rhetorum scholis in usu erant. Haec sunt: *color, genus causae, genus dicendi, enthymema, exemplum, historiae, loci, principium, summa quaestio, sententia, soloecismus.* Atque incipiat disquisitio a saturae VI versibus 448 et seqq:

(Non habeat matrona) . . . dicendi genus aut curvum sermone rotato
torqueat enthymema nec historias sciat omnes,
sed quaedam ex libris et non intellegat . . .

Hoc loco Iuvenalis verbo *enthymema* utitur. Quintilianus, qui hoc de verbo, quid veteres rhetores iudicaverint, accuratius exponit Inst. or. V 10 et alibi, loco allato Latinos, quod ad nostram disputationem permultum valet, *enthymema* vocibus e lingua Latina petitis interpretari posse dicit, sed eius modi interpretationem se accipere negat his verbis usus V 10, 1 *enthymema (quod nos commentum sane aut commentationem interpretemur, quia aliter non possumus, Graeco melius usuri . . .).* Iuvenalis igitur cum interpretatione Latina repudiata ita ut Quintilianus verbum Graecum adhibuerit, huic adsentitur. Rhetores autem Latini qui vocantur, pro verbo *enthymema* Latinam vocem *contrarium* adhibuerunt; conf. Quint. l. s. s. *pluresque invenias in ea opinione, ut id demum, quod pugna constat, enthymema accipi velint et ideo illud Cornificius contrarium appellat.* Re vera auctor ad Herennium illo nomine non utitur, sed de *contrario* solo disputat IV 18.

In eisdem illis versibus legitur vox *historiae* ex sermone rhetorico sumpta, qua quidquid ad opera scriptorum et solutae orationis et numeris adstrictae explicanda pertineret, contineri Friedlaender[1]) exposuit; cum idem vir doctissimus eius modi historiarum enarrationes in grammaticorum ludis maxime fuisse in usu monuerit, Quintilianum hac de re loqui nemini mirum esse potest, qui hunc rhetorem[2]) de prima institutione nonnulla afferre memoria teneat. His ex locis Inst. or. I 8, 18 sqq. ad verbum describam, cum Iuvenale optante, ne mulier omnes historias, quae libris contineantur, sciat, verba Quintiliani idem postulantis ad Iuvenalem Quintiliani disciplinae vindicandum aliquid valeant. Verba haec sunt: *His accedet enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad supervacuum laborem occupata: nam receptas aut certo claris auctoribus memoratas exposuisse satis est . . . . ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur aliqua nescire.* Neque, quod memoretur,

1) De historiarum enarratione in ludis grammaticis. *Ind. lect. Acad. Regim.* 1874, II.

2) Inst. or. I 2, 14 et 18.

indignum est auctorem ad C. Herennium enumerationis historiarum memorem non esse. Sed haec de significatione *historiae* adhibita sufficiant. Versibus igitur prolatis eum Iuvenalem Quintiliani quaedam praecepta atque ea, quae a nullo alio, quoad scimus, Latino rhetore antea praescripta esse monui, secutum esse ostendatur, inter hunc poetam saturarum et rhetorem illum clarissimum aliquam necessitudinem intercessisse declaratur. . . . . .

Iam de reliquis rhetorum verbis a Iuvenale in saturis adhibitis disputabo.

Atque primum quidem vocem *color* in sat. VI 280

dic aliquem sodes hic, Quintiliane, colorem

et in sat. VII 155

quis color et quod sit causae genus atque ubi summa | quaestio

legimus. Quod vocabulum veteres rhetores vario modo[1]) usurpavisse satis constat. . . . .

Ex his explicationibus duae proferantur, cum uterque versus praebeat suam huius verbi significationem. Primum enim hac voce utebantur rhetores, ut universam quandam orationis speciem et formam significarent, quae non ad singulas eius partes, sed ad totam pertineret.[2]) Conferas velim, quae leguntur apud Ciceronem de Or. III 199: *Sed si habitum etiam orationis et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres et tenuis, non sine nervis ac viribus et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur.* Eandem significationem hi loci Quintiliani prae se ferunt: Inst. or. VI 3, 107: *nam meo quidem iudicio illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu neque verbis neque ore gestuve possit deprehendi, ut non tam sit in singulis dictis quam in toto colore dicendi, qualis apud Graecos ἀττικισμός ille redolens Athenarum proprium saporem* et VI 3, 110 *quod si non totius, ut mihi videtur, orationis color meretur, sed etiam singulis dictis tribuendum est. . . .*[3])

His expositis ad Iuvenalis locum in sat. VII 155 nos vertamus, ubi color eandem significationem habet, quae est totius orationis habitus. Quam explicationem Weidner quoque probavit, Friedlaender autem et Mayor non accepisse videntur. Porro aliam significationem praebet verbum *color* in sat. VI 280. Saepe enim utile et necessarium existimabatur, ut res quaedam, in his turpissimae

---

[1]) Hac de re egit Io. Chr. Th. *Ernesti* in libro, qui inscribitur *Lexicon technologiae Latinorum rhetoricae* Lipsiae 1797, p. 63 sqq., ex quo fonte, quae reliqui praebent, fluxisse videntur.

[2]) nos dicimus: 'Der allgemeine Charakter der Rede.'

[3]) praeterea II 12, 10; III 6, 92: VIII 5, 28; X 1, 116; X 7, 7; XI 1, 58.

ficta oratione tegerentur aut excusarentur. Quae res *color* quoque a rhetoribus appellabatur atque hanc rem accurate Quintilianus Inst. or. IV 2, 88 explicat his verbis: *Sunt quaedam et falsae expositiones, quarum in foro duplex genus est: alterum, quod instrumentis adiuvatur ....: alterum, quod est tuendum dicentis ingenio. Id interim ad solam verecundiam pertinet, unde etiam mihi videtur dici color, interim ad quaestionem ...... Curandum praecipue ...... in schola etiam, ne color extra themata quaeratur ...... Somniorum et superstitionum colores ipsa iam fallacitate*[1]) *auctoritatem perdiderunt.* Et eum has res in schola persaepe tractasse vel inde perfacile cognoscitur, quod Inst. or. IV 2, 95 et IV 2, 97—100 exempla quasi omnibus, qui haec legant, nota profert. Verbum *color* igitur in illo Iuvenalis versu idem atque excusationem sibi velle ex eo apparet, quod postquam de femina perfida dixit in sat. VI 275 sqq.

... tu credis amorem,
tu tibi tunc, Uruca, places fletumque labellis
exsorbes, quae scripta et quot lecture tabellas,
si tibi zelotypae retegantur scrinia moechae!
Sed iacet in servi conplexibus aut equitis;

pergit

dic,
dic aliquem sodes hic, Quintiliane, colorem.

i. e. Quintiliane, hanc rem defende quadam excusatione; postulat igitur, ut res turpissima ficta oratione excusetur. Quod ad Quintiliani usum huius vocis quadrare nemo negare potest. Atque qui Iuvenalem Quintiliani nomen verbo ipso coloris adhibito attulisse secum reputaverit, is eum hanc rem in Quintiliani schola didicisse probabile esse concedet. Adde, quod neque qui ad Herennium de ratione dicendi scripsit, neque Cicero eandem coloris significationem praebet. Neque id obstare potest, quod Quintilianum non primum hac significatione apud Romanos usum esse constat. Graecos enim idem docuisse elucet ex arte rhetorica quae nomen Dionysii Halicarnassensis prae se fert, c. VIII et IX, ubi vox χρῶμα in eodem usu est; atque cum hoc loco aliorum sententiis oppugnetur, multos rhetores idem professos esse concludi potest. At apud Romanos Iunium Othonem quendam quattuor de colore libros scripsisse Seneca rhetor testis est p. 49, p. 125 M. Quos libros hac in re fuisse fontem, unde et Seneca et Quintilianus exempla collegerunt probabile esse puto. Nihilominus Iuvenalem, quae de colore sciebat, Quintiliano debuisse ex eis, quae supra dixi, appareat.

[1]) Sequor Meisteri editionem.

Neque solum ob vocem coloris sat. VII 155, sed etiam, quia hoc in versu *genus causae*[1]) et *summa quaestio* leguntur, dignus videtur esse hic Iuvenalis locus, de quo disputetur. Quibus de verbis Quintilianus ut ceteri rhetores agit nonnullis locis; conf. Inst. or. III 9, 6 *ante omnia intueri oportet, quod sit genus causae, quid in ea quaeratur.* III 10, 5, *Cum apparuerit genus causae, tum intuebimur, negeturne factum, quod intenditur an defendatur an alio nomine appelletur an a genere actionis repellatur: unde sunt status. His inventis intuendum deinceps Hermagorae videtur, quid sit quaestio, ratio, iudicatio, continens, vel ut alii vocant, firmanentum. Quaestio latius intellegitur res omnis, de qua in utramque partem vel in plures dici credibiliter potest. In iudiciali autem materia dupliciter accipienda est: altero modo, quo dicimus multas quaestiones habere controversiam, quo etiam minores omnes complectimur, altero, quo significamus summam illam, in qua causa vertitur.* V 13, 55 *Videndum praecipue utrique parti, ubi sit rei summa.*

Ut iam de verbis Iuvenalis ex rhetorum disciplina sumptis disserere persequamur, Iuvenalem de *genere dicendi*, cuius in sat. VI 448/9

Non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit,
dicendi genus . . . .

memor est, a Quintiliano quoque certiorem fieri potuisse, cum is Inst. or. XII 10 accurate hac de re agat, concludere licet.

Praetera duobus locis Iuvenalis commemorat vocem artis rhetoricae *exemplum* in sat. VIII 184

utimur exemplis, ut non peiora supersint?

et in sat. XIV 322 *acribus exemplis videor te cludere?*

Atque quod Quintilianus Inst. or. V 11, 6 de exemplis disputat *exemplum, id est rei gestae aut ut gestae utilis ad persuadendum id, quod intenderis, commemoratio*, ne haec vox quidem a Iuvenale adhibita obstat, ne eum, quae de arte rhetorica cognoverit, apud Quintilianum audivisse statuatur.

Porro cum Quintilianus de locis et argumentorum et communibus qui vocantur, permultis locis[2]) disserat, Iuvenalem, qui in sat. VI 245 dicit:

principium atque locos Celso dictare paratae

hac de re ab alio instructum esse statui supervacaneum esse opinor. Idem valet de voce *principium* in eodem versu usurpata; nam idem Quintilianus Inst. or. IV 1 de *principio* agit.

Hae artis rhetoricae voces cum dubiae non essent, leviter perstringi potuerunt; aliter res se habet in verbo *sententia* tractando, quod legitur duobus in versibus: in sat. VIII 125:

---

[1]) conf. Volkmann. Rhet.[2] p. 74 sqq.

[2]) conf. Lex. Bonelli s. v.

quod modo proposui. non est sententia; verum est

et in sat. XIV205/6:

... illa tuo sententia semper in ore
versetur, dis atque ipso Iove digna poeta.

Nam cum voce *sententia* sola rhetores Romanorum, quae Graeci compluribus verbis significabant, expresserint, difficile est diiudicare, quid quoque loco haec vox sibi velit.[1]) Priore igitur loco Iuvenalis voce *sententia* significare videtur lumen orationis quoddam,[2]) qua de re Quintilianus multis locis disputat; conferantur exempli causa Inst. or. VIII 5, 2 *lumina autem praecipueque in clausulis positas sententias* et VIII 5, 34 *ego vero haec lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiae credo.* Hoc ex loco et ex nonnullis aliis, in his Inst. IV 1, 77 *illa vero frigida et puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utique sententiam* Quintilianum discipulos monuisse apparet, ne eorum oratio sententiis abundaret. Huc pertinet versus ille, quo Iuvenalis tamquam obsistit cuidam illum ipsum sententiis nimis indulgere dicenti.[3]) Altero iam loco, ubi Iuvenalis vocem *sententia* adhibet, hoc verbum idem valere statuo atque Graecorum *γνώμη* h. e. orationem sumptam de vita, qua aut quid sit aut quid esse oporteat, breviter ostenditur. Quo de usu vocis *sententiae* Quintilianus Inst. or. VIII 5, quo capite de sententiis disputat, haec proponit: *Antiquissimae sunt, quae proprie, quamvis omnibus idem nomen sit, sententiae vocantur, quas Graeci γνώμας appellant: utrumque autem nomen ex eo acceperunt, quod similes sunt consiliis aut decretis.*

Restat, ut Iuvenalem, qui in sat. VI 456 dicit:

soloecismum liceat fecisse marito

a Quintiliano de soloecismo, quem vocaverunt, nonnulla audire potuisse dicam. Quam vocem magis sermoni grammaticorum propriam fuisse quam rhetoribus plerique Quintiliani loci ostendunt (Inst. or. I 5, 4, 34 sq.; 38 sqq., 51).

Atque quomodo Iuvenalis verba artis rhetoricae adhibuerit, qui iam comprehendet, intellegere potest primum omnes huius generis voces, quibus usus est Iuvenalis, a Quintiliano persaepe commemorari, deinde nonnullas harum vocum apud alios rhetores non legi, denique Iuvenalem quibusdam praeceptis, quae Quintilianus a discipulis diligenter observari voluit, obtemperasse. Quare Iuvenalem aut Quintilianum ipsum audivisse aut eius scripta legisse concludi potest.

---

1) Hac de voce conf. Ernesti l. s. s. p. 349 sqq.

2) conf. Mayor ad l.

3) De sententiis a Iuvenale adhibitis pauca infra proferentur p. 198.

Sed pergamus quaerere, quae ratio inter Iuvenalem et Quintilianum intercedat. Res igitur quaedam, quae ad scholarum et magistrorum condicionem pertinent, quae Iuvenalis leviter perstringit, etiam in scriptis Quintiliani leguntur. Locos iam afferam:

Iuv. sat.	Quint. Inst. or.
VII 150 sq. *declamare doces: o ferrea pectora Vetti,* *cum perimit classis numerosa tyrannos.* . .	X 5, 21. *Citius autem idoneus erit iuvenis, quem praeceptor coegerit in declamando quam simillimum esse veritati et per totas ire materias, quarum nunc facillima et maxime favorabilia decerpunt. Obstant huic, quod secundo loco posui, fere turba discipulorum...* I 2, 23 *non inutilem scio servatum esse a praeceptoribus meis morem, qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant, ...*
VII 165 sq. *quantum vis stipulare et protinus accipe, quid do,* *ut totiens illum pater audiat?...*	II 7, 1. *Illud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in iis, de quibus nunc disserimus, aetatibus, ne omnia, quae scripserint, ediscant et certa, ut moris est, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt atque ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, credunt, cum profectus praecipue diligentia constet.*
VII 159 sqq. *quod laevae parte mamillae* *nil salit Arcadio iuveni, cuius mihi sexta* *quaque die miserum dirus caput Hannibal implet.*	X 5, 21. *Obstant huic.... consuetudo classium certis diebus audiendarum, nonnihil etiam persuasio patrum numerantium potius declamationes quam aestimantium.*
VII 225 sqq. *dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas* *quot stabant pueri, cum totus decolor esset* *Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.*	I 11, 14 *...neque solum lectionem formet, verum ediscere etiam electa ex iis cogat et ea dicere stantem clare...* I 8, 5 sq. *ideoque optime institutum est, ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet... nam et Graeci licenter multa et Horatium nolim in quibusdam interpretari.*
VII 237 sqq. *exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,* *ut si quis cera voltum facit: exigite, ut sit* *et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,* *ne faciant vicibus. Non est leve tot puerorum*	I 2, 4 *Corrumpi mores in scholis putant.* II 2, 3 *ideoque maior adhibenda tum cura est, ut et teneriores annos ab iniuria sanctitas docentis custodiat et ferociores a licentia gravitas deterreat..* II 2, 4 *Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum ac suc-*

observare manus oculosque in fine trementes.

„Haec" inquit, „cura".

cedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse nec habeat vitia nec ferat.

II 2, 14 sq. *Pueros adulescentibus permixtos sedere non placet mihi. Nam etiamsi vir talis, qualem esse oportet studiis moribusque propositum, modestam habere potest etiam iuventutem, tamen vel infirmitas a robustioribus separanda est et carendum non solum crimine turpidinis, verum etiam suspicione.*

Atque ut his exemplis Iuvenalis consuetudines quaedam scholarum, de quibus Quintilianus multis locis accurate disputavit illustrantur, sic versus Iuvenalis nonnulli, quibus de pueris instituendis agitur, ex Quintiliani disciplina hausti videntur esse.

Iuv. sat.	Quint. Inst. or.
XIV 47 sqq. *maxima debetur puero reverentia,*[1] *siquid turpe paras, nec tu pueri contempseris annos. sed peccaturo obstet tibi filius infans.*	I 2, 6. *Facile erat huius metus remedium. Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! Infantiam statim deliciis solvimus.*
VII 209/10 *qui praeceptorem sancti voluere parentis esse loco.*	II 9, 1 *discipulos id unum interim moneo, ut praeceptores suos non minus quam ipsa studia ament et parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant.*

His prolatis quomodo Iuvenalis et Quintilianus de eisdem hominibus iudicaverint, perquiramus. Atque primum si, quid hi scriptores de viris civitatis liberae Romanae senserint, investigaverimus, reperiemus utriusque animo easdem imagines fortissimorum virorum obversatas esse non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum. Quintilianus igitur Inst. or. XII 2, 30 Fabricios, Curios, Regulos, Decios, Mucios laudibus extollit his verbis: *An fortitudinem, iustitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis melius alii docebunt quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mucii, aliique innumerabiles?* Et qui Iuvenalem eosdem fere[1] viros, in quibus esset perfecta virtus, hominibus aetatis suae vitiis et luxuria confectis ad imitandum proposuisse sibi persuadere vult, legat, quaeso, sat. II 3:

---

[1]) Hoc de loco Ribbeckius 'Der echte und der unechte Iuvenal'. p. 24 recte iudicavit: „Nicht minder allgemein ist das Thema des 14. sog. Iuvenalischen Satire, von der Macht des bösen Beispiels, das Eltern den Kindern geben. Text und Umrisse könnte man meinen, habe die Pädagogik Quint. I 2, 6 ff. geliefert, dessen Erziehungsprincip, ... recht eigentlich in dem maxima debetur puero reverentia ausgesprochen ist.

[1]) Regulo enim excepto omnes, quos hoc loco Quintilianus nominat, apud Iuvenalem inveniuntur.

qui Curios simulant

ibid. 153 sqq.: *Curius quid sentit et ambo*
Scipiadae, quid Fabricius manesque Camilli,
quid Cremerae legio et Cannis consumpta iuventus.
tot bellorum animae, quotiens hinc talis ad illos
umbra venit? cuperent lustrari, . . .

VIII 254 sqq.:

plebeiae Deciorum animae; plebeia fuerunt
nomina; pro totis legionibus hi tamen et pro
omnibus auxiliis atque omni pube Latina
sufficiunt dis infernis Terraeque parenti;
pluris enim Decii quam quae servantur ab illis.

ibid. 262 sqq.: . . . . *et quos*
magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
quod miraretur cum Coclite Mucius . .

XIV 238 sq.: . . . *amor . .*
quantus erat patriae Deciorum in pectore . .

Deinde magni momenti esse puto Quintilianum et Iuvenalem Ciceronem plurimi fecisse. Nam cum nonnulli rhetorum Latinorum Ciceroni fuerint infestissimi veluti Cestius Pius, quem Plotii sectatorem fuisse supra dixi,[1]) ad sententiam Iuvenalem ex Quintiliano pendere probandam multum valet, quod quae Iuvenalis et Quintilianus de Cicerone protulerunt, congruunt.

Tantum enim abest, ut Quintilianus similiter atque Cestius in Ciceronem iuvehatur, ut eum laudibus in caelum tollat eumque perfectissimum esse multis locis dicat; veluti Inst. or. I 5, 44 *sed quem potius ego quam M. Tullium sequar?* I, 6, 18 *quae M. Tullius in Oratore divine ut omnia exsequitur* I 7, 34 *an ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis huius diligentissimus fuit et in filio, ut in epistulis apparet, recte loquendi asper quoque exactor?* Atque huius admirationis clarissimum exemplum exstat in Inst. or. X 1, 105 sqq. *Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae possunt: nam Ciceronem cuicumque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam . . 108 Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso*

[1]) Is enim Ciceronem *litteras scisse* negavit (Senec. Suas. VII 13).

virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim pluvias, ut ait Pindarus, aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur; ....
112 *Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* Quid? qui hoc modo de Cicerone iudicavit, num eum imaginem quandam oratoris perfecti discipulis suis Ciceronis verbis adhibitis proposuisse mirum est? Legas, quaeso, Inst. or. I 10, 4 *Quibus ego primum hoc respondeo, quod M. Cicero scripto ad Brutum libro*[1]) *frequentius testatur: non eum a nobis institui oratorem, qui sit aut fuerit, sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius et nulla parte cessantis.* Exemplis prolatis Quintilianum quasi Ciceronis sectatorem fuisse declaratur. Neque Iuvenalis ita ut Cestius Pius in Ciceronem invehitur, sed eum nonnullis locis cum laudibus inducit. Ciceronem enim quod sit perfectus clarusque orator, admiratur: VII 139 .....

Ciceroni nemo ducentos
nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.
X 114 *eloquium aut famam Demosthenis aut Ciceronis*
incipit optare ...

Hoc iudicium, quod alienum est a Cestio Pio, optime quadrat ad ea, quae de Quintiliano supra prolata sunt. Deinde Iuvenalis Ciceronem laudat, quod civitatem a Catilina eiusque sociis in toga defenderit VIII 231 sqq.:

quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
inveniet quisquam sublimius? ....
236 *sed vigilat consul vexillaque vestra coercet;*
hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae
municipalis eques, galeatum ponit ubique
praesidium attonitis et in omni monte laborat.
240 *Tantum igitur muros intra toga contulit illi*
nominis ac tituli, quantum vix Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
caedibus adsiduis gladio, sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

Neque memoratu indignum videtur esse ex Heinrichii[2]) adnotationibus et ex eis, quae Strubius[3]) collegit, apparere quosdam Ciceronis locos animo oculisque Iuvenalis saturas scribentis obversatos esse. Unde Iuvenalem Ciceronis libros legisse manifestum est. Exempla nonnulla pro documento sunto:

[1]) Cic. Orat. 1, 29.
[2]) in commentario ab illo edito vol. II.
[3]) l. s. s. p. 2.

Iuv. sat.	Cic.
VI 188 *cum sit turpe magis nostris nescire Latine.*	Brut. 140 *Non enim tam praeclarum et scire Latine, quam turpe nescire.*
X 122 sqq. *O fortunatam natam me consule Romam* *Antonii gladios potuit contemnere, si sic omnia dixisset. Ridenda poemata malo* *quam te, conspicuae divina Philippica famae,* *volveris a prima quae proxima ....*	Ciceronis esse versum 122 testis est Quintilianus Inst. or. IX 4. 41. In versu 123 sqq. Iuvenalis ipse se Phil. II. spectare dicit, ubi § 118 legis: „*Defendi rem publicam adulescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos*". (*scil. Antonii.*)
VIII 231 sqq. *quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi* *inveniet quisquam sublimius? Arma tamen vos* *nocturna et flammas domibus templisque paratis,* *ut bracatorum pueri Senonumque minores,* *ausi quod liceat tunica punire molesta.* *Sed vigilat consul....*	Iuvenalis his versibus perstringit, quae Cicero in Cat. I. 8 exposuit; *Quid? cum te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine...* ibid. 9 *descripsisti urbis partes ad incendia;* ibid. 8 *iam intelleges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem rei publicae.*

Neque vereor, ne nobis obstet versus ille sat. X 122:

O fortunatam natam me consule Romam!

Qui inde, quod Iuvenalis hunc Ciceronis versum ridendum (X 124) dicit et Quintilianus Inst. or. XI 1, 24 malignos illum versum carpere non desiisse testatur, Iuvenalem his malignis attribuendum et Ciceronis inimicum putandum esse credit, secum reputet Quintilianum ipsum[1]), quippe qui loco allato dixerit: *in carmi-*

---

[1]) Iuvenalem et Quintilianum eosdem locos ex eisdem scriptoribus attulisse vel utrique scribenti obversatum esse eundem locum nonnullis aliis exemplis demonstretur: Iuv. dicit in sat. III 199:

iam poscit aquam, iam frivola transfert
Ucalegon

Quae verba ad Vergilii Aeneidis libri II 312:

iam proximus ardet Ucalegon

iocose pertinere quis est, quin intellegat? Eundem vero Vergilii versum affert Quintilianus Inst. or. VIII 6, 25. Deinde cum Iuv. in sat. VIII 146 sqq. dicit

praeter maiorum cineres atque ossa volucri
carpento rapitur pinguis Lateranus..

haec Iuvenalis verba mihi revocaverunt in memoriam Ciceronis orat. pro Mil. 17: nisi forte... eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus, hoc enim ab istis saepe dicitur; proinde quasi Appius ille Caecus viam muniverit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Atque Quintilianus eadem verba memoria tenet, qui dicit Inst or. V 10, 41: et Miloni inter cetera obiectum est, quod Clodius in monumentis ab eo maiorum suorum esset occisus.

nibus utinam pepercisset (Cicero), versu illo, quem iam Cicerone vivo eius adversarii exagitaverant, offensum esse. Quis autem, quaeso, Quintilianum Ciceroni infestum esse credit?

At non solum de hominibus multis annis ante mortuis eadem fere iudicia apud utrumque invenis, sed etiam de suae aetatis hominibus eodem modo Quintilianus et Iuvenalis iudicant. Huius rei clarissimum testimonium legitur in sat. IV 81:[1])

venit et Crispi iucunda senectus
cuius erant mores qualis facundia, mite
ingenium.

Quibuscum verbis conferas quae leguntur apud Quintilianum Inst. or. V 13, 48: *Vibius Crispus, vir ingenii iucundi et elegantis*; X 1, 119: *Vibius Crispus compositus et iucundus et delectationi natus;* XII 10, 11 *iucunditatem Crispi.*[2])

His omnibus expositis sententias et praecepta nonnulla Quintiliani adiungam, quibuscum quae apud Iuvenalem inveniuntur consociari possunt. Quintilianus igitur in Inst. or. libri X. capite 1. de eis, quos imitandos esse putat, disputans quattuor scriptorum genera ordine certo prolata discipulis suis obversari vult; sunt, si ordinem a Quintiliano constitutum retinemus, haec: poetae, historici, oratores, philosophi. Neque casu evenisse arbitror, ut homines litterati, quorum condicionem miserrimam Iuvenalis in satura septima descripsit, eodem fere ordine proferrentur atque a Quintiliano, qui essent imitandi. Disputat enim Iuvenalis versibus 36—97 de poetis, 98—104 de historicis, 105—149 de oratoribus, quibus causidicos, quos affert poeta, attribuendos esse nemo negabit, qui causidicos Tacito auctore[3]) ea aetate solos munere oratorio functos esse consideraverit. Itaque nisi philosophos,[4]) nullos neglegi videmus. Sed tria

[1]) conf. Friedlaender ad hunc versum.

[2]) Praeterea eidem homines commemorantur apud:

Iuv. III 99	et Quint.	XI 3, 178, 180	*(Stratocles, Demetrius),*
VII 80	„ „	X 1, 89, 90	*(Serranus, Saleius),*
VII 177	„ „	II 15, 16 et m. a. l.	*(Theodorus),*
VII 215 „ / VI 452 „	„	I 4, 20	*(Palaemon),*
VIII 93	„ „	VI 1, 14	*(Capito).*

et fortasse, si Spaldingium sequimur,

Iuv. V 4 et Quint. VI 3, 27, 62, 64 *(Gabba).*

[3]) Dial. c. 1 *horum autem temporum diserti causidici et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur.*

[4]) Qua re commotus Iuvenalis de philosophis nihil attulerit, varie iudicari posse concedo. Attamen nonne maxime probabile est eorum sortem eo tempore, quo satura composita est, non tam miseram fuisse, ut poeta de eorum condicione sibi disputandum esse putaret?

iam illa genera poetarum, historicorum, oratorum, quod eodem ordine quo a Quintiliano enumerantur, legentes ad Quintiliani scholam revocare puto.

Quoniam eos, quos Quintilianus imitandos existimavit, leviter perstrinximus, inquiramus, num Iuvenalis quoque eos, quos poetis saturarum imitandos Quintilianus voluit, in saturis scribendis ad imitandum sibi proposuerit. Hac de re leguntur apud Quintilianum Inst. or. X 1, 93 sqq.: *Satura quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat. Nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. Multum eo est tersior ac purus magis Horatius et, non labor eius amore, praecipuus. Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit. Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur.*

Quantum Lucilius apud Iuvenalem saturas conponentem valuerit, dignum esse existimo, quod memoretur, praesertim cum ratio, quae inter eos intercedit, nondum sit accurate perquisita. Atque Iuvenalem in satura prima scribenda Lucilium imitatum esse puto. Quod ut ostendam, de consilio, quo Iuvenalis eam saturam scripserit et de Lucilii carmine, quod Iuvenalem respexisse existimo, agam. Iuvenalis igitur, quibus causis ad scribendum adductus et qui factum esset, ut ad saturas componendas animum applicaret, et quibus de rebus acturus esset et quo modo se gerere vellet, ne offenderet, prima satura exposuit. Incipit igitur his verbis:

> *Semper ego auditor tantum? numquamne reponam*
> *vexatus totiens rauci Theseide Cordi?*

Itaque se tempus non diutius eo consumpturum esse, ut aliorum poetarum recitationibus intersit, sed se consilium cepisse poemata conscribere his verbis designare vult. Atque facultatem carmina componendi sibi esse; primum enim se ut reliquos, studiis grammaticis et rhetoricis instructum esse et hoc modo libros componere didicisse; deinde cum omnes in libros conscribendos operam conferant, *chartae parcere* stulti esse. Iuvenalis igitur, si nihil aliud carminibus suis assequi voluisset nisi ut poetas, quos tam diu audire coactus esset, ulscisceretur, prooemio finem facere potuit; sed ut saturas componat, illum operam daturum esse versus, qui sequuntur, ostendunt. Quare, quid sibi proposuerit, explicat. Atque primum genus carminum suorum ita designat, ut quos imitaturus sit, nominet.

Sunt enim Lucilius[1]) et Horatius.[2]) His versibus causas, quae eum ad genus saturarum adduxerunt, apte inserit. Deinde versibus 79 et 80: *Si natura negat, facit indignatio versum,*
qualemcumque potest, quales ego vel Cluvienus.

formam carminum et rem metricam eo excusat, quod se ad saturas conscribendas indignatione commotum esse affirmat. Causas autem, cur tanta indignatione affectus esset, eum versibus 51—78 artificiose praemisisse neminem fugiat. Praeterea, quibus de rebus acturus sit, intellegere possumus ex versibus 85 et 86:

quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
gaudia, discursus nostri farrago libelli est.

Cuius rei exempla iam proferuntur. Deinde versibus 170 et 171:

experiar, quid concedatur in illos,
quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina

quos in homines invecturus sit, explicat, indicat autem, qua re id faciat, versibus 147—169. Itaque Iuvenalis prima hac satura omnes res, de quibus qui carmina eius legerent, instruendi erant, tractavit. Quare hanc saturam, ex qua, quid Iuvenalis sibi proposuerit, intellegitur, prooemium totius libri primi nominandam esse puto.

Sed quid haec ad nostram disputationem, qua Iuvenalem eis quae Quintilianus de poetis imitandis praescripserat, obtemperavisse demonstraturus sum? Nobis Lucilii libri XXVI reliquias perlustrantibus occurrunt versus quidam, quos in unum carmen eiusdem fere argumenti coniungi posse viri docti probaverunt.[3]) Sed cum alius aliter hoc carmen, de cuius argumento consentiunt, restituerit, hac de Lucilii satura prius disputetur. Praemittere licet Marxium, qui in carmine restituendo ad Horatii primam libri alterius saturam, quam ad Lucilium pertinere constat, spectavit, reliquias rectius in unum carmen videri coegisse; Birtius contra suo acumine nimis confisus se carmen renovare posse putavit.

Atque initium Lucilius inde cepit, ut exponeret a quibus sua legi cuperet. Huc referendi sunt versus: 859 (L. XXVI 1, 2 et XXIX 99 M.):

⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ nec doctíssimis. Mánilium
Pérsiumve haec légere nolo, Iúnium Congúm volo.[4])

---

[1]) *Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,*
per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus.

[2]) *Haec ego non credam Venusina digna lucerna?*

[3]) Friedericus Marx, *Studia Luciliana* p. 27 sqq. et Theodorus Birt, 'Zwei politische Satiren des alten Roms' p. 79 sqq.

[4]) Sic legit Marxius, l. s. s. p. 28.

Birtius contra Lucilium initio dixisse putat: 611 (L; XXVI, 94 M.):

Cum in stadio gymnasiu duplici corpus sicassem pila.[1])

Sed huic opinioni opponi potest Marxii sententiam iam ea de causa propius ad veritatem accedere videri, quod Persius in satura I, in qua scribenda hunc Lucilium imitatum esse vel inde apparet, quod scholiasta ad huius carminis versum primum adnotavit: *hunc versum de Lucili primo transtulit*, de similibus rebus agit: (v. 2.)

Quis leget haec? Min tu istud ais? Nemo hercule nemo
vel duo vel nemo.

Deinde Lucilius se cum interlocutore quodam de genere poesis suae colloquentem fingit; qui eum adhortatur ut, ne offendat, caveat. Hoc in colloquio monet amicus versibus 612, 572 (L; XXVI 10, 57 M.);

hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat,
percrepa pugnam Popilli, facta Corneli cane.[2])

Qui versus legentes revocant ad Hor. sat. II 1, 10:

---

[1]) Birtii verba sunt haec p. 79 l. s. s.: 'Der Anfang, wie wir ihn supponieren erinnert an „*ibam forte via sacra*". 'Als Lucilius im Doppelstadium des Gymnasiums Ball gespielt und den Ort verlassen hatte'. Birtius versum ita, ut exscripsi, legendum esse ostendit p. 79 adn. 3.

[2]) Hi duo versus a Marxio ingeniose coniuncti offendunt Birtium, qui l. s. s. p. 76 adn. 2 dicit: 'Gewiss irrig verbindet er (i. e. Marxius) die Verse 612; 572 L. zu einem Satz: hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat: percrepa pugnam Popilli et q. s.; Lucilius hätte in so engem Konnex notwendig beidemal in gleichem Modus entweder sume und percrepa geschrieben oder sumas, percrepes; die Verschiedenheit des Modus verbietet uns an den Zufall zu glauben, daß hier zwei zusammengehörige Verse erhalten seien. Und überdies ist damit dem Sinn des ersten Verses Gewalt geschehen; denn ein episches Gedicht garantierte zwar Lob, aber keinen Gewinn, „fructus" weist auf etwas anderes. Sed ne Birtii sententiam sequerer, his causis commotus sum: primum enim enallagen modorum, quam vocamus, a Birtio vituperatam apud Latinos saepissime inveniri ex Iuvenale intellegitur: conf. in sat. IV 101 sq. „quis non intellegat — quis miratur", VII 185 „conponat — condit", XV 169 sq. ,quorum non sufficit irae / occidisse aliquem, sed pectora, bracchia vultum / crediderint genus esse cibi". Deinde inter modum coniunctivum et imperativum non tantum interest, quantum Birtius statuere vult; accedit, quod imperativus, quippe cui maiorem vim inesse constet, posteriore in versu suum recte iam obtinet locum, cum hoc in versu adhortatio, quam versus prior universam continet, accuratius exponatur. Vocem vero *fructus* omnino de hominibus litteratis in usu fuisse apparet ex Taciti Dial. 12 *Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod non..* Huc pertinent quoque quae dicit Iuvenalis sat. VIII 103: *quae tamen inde seges? terrae quis fructus apertae,* ubi de historicis loquitur. Quae cum ita sint, Birtii sententiam non sequor.

Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
praemia laturus.

Sed hanc amici adhortationem repudiat Lucilius hoc versu: 556 (L.; XXVI 28 M.):

ego si qui sum et quo folliculo nunc sum indutus, non queo.

Alios enim philosophiae se dedere eum iam exposuisse Marxius recte conclusit ex versibus 544 (L.; XXVI 14 M.), 610 (L.; XXVI 23 M., 582 (L.; XXVI 20 M.), 545 (L.; XXVI 19 M.):

tibi porro istaec res idcirco est cordi, quod vere utilem,
quodque te in tranquillum ex saevis transfert tempestatibus;
quare hoc colere est satius quam illa. Studium omne hic consumere
summis nitere opibus, at ego contra ut dissimilis siem ...

Alius res gestas populi Romani narrat; conf. v. 598 (L.; XXVI 58 M.); 368 sq. (L.; 53 sq. M.):

veterem historiam inductus studio scribis ad amores tuos,
ut Romanus populus victus vi et superatus proeliis
saepe est multis, bello vero nunquam, in quo sunt omnia.

Alius scribit tragoedias; huic enim loco versus illos multos, quibus invehitur Lucilius in poetas tragicos, inserendos esse puto. Illis versibus antecessisse adhortationem interlocutoris eiusmodi: (853 L; XXVI 4 M; 575 L; XXVI 34 M.)

non animum populi capitis, poetae,
nisi portenta anguisque volucris ac pinnatos scribitis

Marxius l. l. p. 33 recte videtur coniecisse. Et Lucilium versibus, quibus poetas tragicos illusit, respondisse existimo. Huc hi[1]) versus referendi sunt:

541 (L.; XXVI 5 M.):

di monerint meliora atque amentiam averruncassint tuam

548 (L.; XXVI 41 M.):

ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis,

549 (L.; XXVI 40 M.):

domum itionis cupidi imperium regis paene imminuimus,

550 (L.; XXVI 7 sq. M.):

nec ei prosperatur pax, quod Cassandram signo deripit,

551 (L.; XXVI 42 M.):

solus illam vim de classe prohibuit Vulcaniam.

---

[1]) Quos ad poetas hi versus spectent, exponit Mueller in edit. p. 247. Attamen nimis multos versus huc pertinere eum voluisse Birtius intellexit p. 84 sqq.

Et cum tota hac saturae parte, quae de hominibus litteratis agit, potest consociari v. 616 (L.; XXVI 43 M.):

haec tu si voles per auris pectus inrigarier

(verte te ad eiusmodi scriptores, de quibus dixi, ego alio modo carmina componam). Nunc Lucilius de se ipso suaque poesi videtur locutus esse. Qua ex saturae parte nonnulli quoque versus exstant, veluti 527 (L.; XXVI 16 sq. M.); 529 sq. (L.; XXVI 64 sq. M.).

His de Lucilio praemissis quantopere Iuvenalis in carmine primo componendo Lucilii vestigia secutus sit, breviter exponi potest. Lucilium enim Iuvenali scribenti obversatum esse iam ex sat. I 20 apparet. Sed ad rem ipsam aggrediamur. Nam Lucilium satura illa, de qua disputavimus, cur aut quomodo arti poeticae se dedisset, exposuisse ex argumento iam cognoscitur. Idem Iuvenalem prima satura fecisse supra expositum est. Itaque Iuvenalem colorem saturae primae totum Lucilio debere statui potest. Accedit, quod uterque similes res tractavit. Iuvenalis enim de poetis suae aetatis queritur et se eodem modo, quo illos Musis servire negat. Lucilium autem carmine in suae aetatis poetas invectum esse ex eis, quos attulimus, versibus patet. Deinde Iuvenalis versibus 152 sqq. quaerit, quomodo acturus sit, ne offendat. Hac quoque de re Lucilium disputavisse supra vidimus. Neque neglegi potest ex Persii sat. I 114 sq.

secuit Lucilius urbem, te Lupe, te Muci . .

et ex Lucilio 218 (L; VI 31 M.) apparere Iuvenalem sat. I. 153 et 154:

cuius non audeo dicere nomen?
quid refert, dictis ignoscat Mucius an non?

ad Lucilium spectare. Neque defuerunt, qui versum 153 e Lucilio ad verbum sumptum esse statuerent. Quorum sententiae rem metricam obstare L. Mueller[1]) exposuit; itaque non verba, sed sententiam Luciliani versus hoc Iuvenalis versu reddi puto.[2])

Quae cum ita sint, Iuvenalem in prima satura conscribenda Lucilium imitatum esse me ostendisse arbitror. At non solum argumentum et tenorem totius carminis primi Iuvenalem Lucilio debere, sed etiam nonnullos versus reliquarum saturarum ad

---

1) De re metrica p. 336 sq.

2) De aliis exemplis non ita constat, veluti Iuvenalis in sat. I 6: *scriptus et in tergo necdum finitus Orestes* scripsisse videtur respiciens Lucilium 501 (L;) XIX 11 M: *„rausuro tragicus, qui carmina perdit Oreste."* Et in sat. I 58 *doctus spectare lacunar* spectavisse videtur ea, quae ex Lucilo apud Festum p. 173 M narrantur: *Pararhencho dictus est, quod simularet dormientem, quo impunitius uxor eius moecharetur . . eius meminit Lucilius.*

Lucilium accommodasse exemplis confirmetur. Leguntur enim apud Iuvenalem versus nonnulli Lucilianis simillimi, veluti:
sat VI 464 sq.

quando videri
vult formonsa domi? moechis foliata parantur;
his emitur

respondet Lucil. 446 (L.; XV 35 sq. M.):

cum tecum est, quidvis satis est: visuri alieni
sint homines, spiram pallas redimicula promit;

sat. IX 5:

Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo

similis est Lucil. (523; XIII 11 M.):

iucundasque puer qui lamberat ore placentas;

sat. IX 18 sqq.:

Deprendas animi tormenta latentis in aegro
corpore, deprendas et gaudia; sumit utrumque
inde habitum facies.

spectant ad Lucil. 581 (L.; XXVI 26 M.):

animo qui aegrotat, videmus corpore hunc signum dare.

Praeterea cum senis descriptione, quae exstat sat. X 198 et sqq.:

Una senum facies cum voce trementia membra
et iam leve caput madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi;

conferri possunt, quae leguntur apud Lucilium 283/4 (L.; IX 72 M.):

quod deformi' senex arthriticus ac podagrosus
est, quod mancu' miserque exilis, ramice magno.

Denique comparari possunt Iuv. XIV 327 sqq.:

si nondum implevi gremium, si panditur ultra,
nec Croesi fortuna unquam nec Persica regna
sufficient animo nec divitiae Narcissi,

cum Lucil. 183 (L.; V 46 sq. M.):

Nam si quod satis est homini, id satis esse potisset,
hoc satis erat: nunc cum hoc non est, qui credimu' porro
divitias ullas animum mi explere potisse.

His locis a recentioribus ad Iuvenalis versus illustrandos collatis adiciam illos Lucilii versus, quos iam veteres Iuvenali adscripserant; veluti ad Iuv. sat. I 106: *quid confert purpura maior optandum* scholiasta adnotat: *Quid confert. Lucilius. aurum atque ambitiost specimen virtutis* (1066 L.)

et idem ad sat. III 143:

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
tantum habet et fidei

adscribit: *Lucilius. Aurum atque ambitio specimen . . . utrique est . . . habearis.*

Lucilii autem versus restituit hoc modo Lachmannus:

aurum atque ambitio est: specimen virtutis utrimque est.
tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis.

Deinde memoratu dignum est ad Iuv. sat. X 65 sq.:

duc in Capitolia magnum cretatumque bovem

grammaticum veterem adnotavisse: *candidum, ut Lucilius cretatumque bovem duc ad Capitolia magna.* Inde Iuvenalem hoc in versu scribendo Lucilii verba in suum usum vertisse optime cognoscimus. Praeterea perstringam scholiastam afferre ad verbum *exodium* in Iuv. sat. III 315 Lucili v. 1068 (L.): *principio exitu' dignus exodiumque sequetur* et ad verbum *crustula* in Iuv. sat. IX 5 Lucilii v. 1070 (L.): *gustavi crustula solus.* Iuvenalem igitur, quoniam eum in saturis componendis Lucilium imitatum esse ostendimus, etiam pluris aestimabimus, quod apud eum nonnullos alios versus et sententias Lucilii, de quibus cum Lucilii saturae perierint, iudicare non possumus, servatos esse iure concludere nobis licet.

Sed quod Quintilianus loco, quem supra attuli, non solum Lucilium, sed etiam Horatium poetis saturarum ante oculos obversari voluit, iam perquiratur, num Iuvenalis Horatium quoque respexerit. Quod ut ostendatur, sat. I 51

haec ego non credam Venusina digna lucerna

magni momenti est, quod hoc ex versu Iuvenalem Horatium spectare voluisse apparet. Eum profecto Horatii libros perlegisse et imitatum esse multi saturarum loci luce clarius indicant. Quorum magno ex numero, qui iam collecti sunt a viris doctis,[1]) exempla nonnulla proponere liceat.

Iuv. sat.	Hor.
I 1 *Semper ego auditor tantum? numquamne reponam.*	Epp. I 19, 39 *non ego nobilium scriptorum auditor et ultor;*
III 190 sqq. *gelida Praeneste . . . proni Tiburis arce.*	Carm. III 4, 22 *Frigidum Praeneste . . . Tibur supinum.*
VII 62 *. . satur est cum dicit Horatius „eheu".*	Carm. II 19, 5 *Eheu recenti mens trepidat metu.*
X 106 *excelsae turris tabulata, unde altior esset casus.*	Carm. II 10, 10 *celsae graviore casu decidunt turres.*

1) Schwartz, *De Iuvenale Horatii imitatore.* Strubius l. s. s. p. 5 sqq.; praeterea cf. enarratores ad singulos Iuvenalis versus.

III 4 *Ianua Baiarum est et gratum litus amoeni secessus.*	Epp. I 1, 83 *nullus in orbe locus Baiis praelucet amoenis.*
VI 436 sq. *inde Maronem atque alia parte in trutina suspendit Homerum.*	Epp. II 1, 28 *si quia Graecorum sunt antiquissima quaeque scripta vel optima, Romani pensantur eadem scriptores trutina..*
VI 556 *Et genus humanum damnat caligo futuri.*	Carm. III 29, 29 *Prudens futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit deus.*

Satis dictum est de versibus Horatianis a Iuvenale adhibitis; proximum est, ut investigetur num Iuvenalis Persium, quem tertium Quintilianus poetis saturarum imitandum proposuit, in saturis scribendis ante oculos habuerit. At quamquam commentatores cum versibus Iuvenalis quibusdam locos Persii composuerunt, tamen Iuvenalem hunc imitatum esse pro certo affirmare vereor. Nam Iuvenalis in satura prima, qua praefatione usus est, Persium non nominat, Lucilii et Horatii mentionem facit. Hoc ad argumentum, si recte iudico, grave accedit, quod Quintilianus privata quadam causa adductus Persium tanti fecisse videtur, ut eum eis scriptoribus, quos imitandos esse voluit, adderet. Quanti enim Persium aestimaverit, inde apparet, quod quinque loci Quintiliani[1]) exstant, quibus Persii versus afferuntur! Quintilianum ut eum tantopere diligeret commotum esse puto eo, quod ex eodem ludo profecti sunt. Persium enim Romae scholam Remmi Palaemonis, grammatici illustrissimi, frequentasse cognoscimus ex vitae Persianae verbis: *Studuit Flaccus usque ad annum XII aetatis suae Volaterris, inde Romae apud grammaticum Remmium Palaemonem et apud rhetorem Verginium Flavium.* Huic vitae fidem maximam esse habendam inter viros doctos satis constat. Quintilianum quoque Palaemone usum esse magistro testis est scholiasta Iuvenalianus, qui versui 452 saturae sextae: *(Odi) hanc ego, quae repetit volvitque Palaemonis artem* adscripsit: *grammatici, magistri Quintiliani oratoris.* Atque hac adnotatione vera tradi inde apparet, quod Quintilianum Palaemonis artem in Instit. orat. adhibuisse ostendi potest. Claussenus[2]) enim Quintilianum in eis librorum partibus, quae sunt de arte grammatica, cum multis grammaticis aetatis posterioris, in his cum Charisio et Diomede[3]) ita consentire demonstrat, ut dubitari non possit, quin hi omnes ex communi fonte hauserint; praeterea apud Quintilianum Inst. or. I 4, 20 Palaemo quidam laudatur, quod Aristarchum secutus

[1]) Inst. or. IX 3, 9; IX 3, 42; IX 4, 65; X 3, 21; I 5, 8 (Pers. sat. I 9, 26, 95, 106; V 71).

[2]) Ann. phil. suppl. VI 1872/3 p. 329—394.

[3]) Eos Palaemone illo usos esse constat.

octo partes orationis tradidit; uterque enim appellationem nomini subiecit. Deinde Palaemon pro articulis interiectiones recepit; eandem doctrinam invenias apud Charisium p. 152, 14 K. Accedit, quod — dicat enim nescio quis hos Palaemones eosdem fuisse non constare — Claussenus probabile esse docet Quintilianum in re orthographica tractanda eundem grammaticum secutum esse, quem in re grammatica. Qua in explicatione Claudii Caesaris digammon memoratur;[1]) qua ex re hunc grammaticum imperatoris Claudii aetati vel posterioribus temporibus usque ad Quintiliani ipsius aetatem tribuendum esse apparet; si autem grammaticos, qui a Quintiliano afferuntur, perlustrabimus, nullus, qui in arte grammatica illi Claudii Caesaris litterae locum concedere potuerit, reperietur nisi Palaemo. Videmus igitur aetatem Palaemonis, quem Quintilianus exscripsit, ita definiri, ut cum temporibus illius Palaemonis, quem Persius audivit, consentiat. Quare Quintilianum et Persium eodem magistro usos esse satis constat. Quod qui considerabit, Quintilianum privato studio adductum Persium adeo laudavisse concessurum esse arbitror. Itaque inde, quod Persium imitandum sibi non proposuit, Iuvenalem Quintiliani praecepta secutum non esse concludi non potest; immo vero hac ex re Iuvenalem, quae ex eis, quae docuerat Quintilianus, in suum usum convertit, bono consilio recepisse neque in magistri verba iuravisse elucet. Neque Iuvenalis quod Persii saturarum librum neglexit, vituperari potest, cum ne nos[2]) quidem ut Quintilianus de Persii saturis iudicemus.

Iuvenalem igitur cum quae Quintilianus de poetis imitandis praescripsit, quoad salvo suo iudicio salvaque sua indole facere potuit, secutum esse ostenderimus, iam perquiramus, num ad alia quoque Quintiliani praecepta in saturis componendis se accommodaverit. Quintilianus igitur res quasdam, quasi ante oculos scribentium vel dicentium fiant, proponi vult Inst. or IX 2, 33: *commode etiam aut nobis aliquas ante oculos esse rerum, personarum, vocum imagines fingimus aut eadem adversariis aut iudicibus non accidere miramur: qualia sunt 'mihi videtur' et 'nonne videtur tibi?' Sed magna quaedam vis eloquentiae desideratur.* Quintiliano talia hortanti Iuvenalis prima in satura ingeniose obtemperat, in qua quasi in quadrivio stans vitia tamquam ante ipsos oculos versentur describit; conferas, quaeso, sat. I 63 sqq.:

Nonne libet medio ceras implere capaces
quadrivio, cum iam sexta cervice feratur

---

[1]) Quint. Inst. or. I 4, 8.

[2]) Cf. Schanzi R. L. II² p. 67: .. 'Die Neuzeit? Sie verurteilt nahezu einstimmig den römischen Dichter und mit Recht.' e. q. s.

hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra
et multum referens de Maecenate supino,
signator falsi, qui se lautum atque beatum
exiguis tabulis et gemma fecerit uda?
occurrit matrona potens, quae molle Calenum e. q. s.

Deinde primis imperatorum temporibus poetas et orationis solutae scriptores nimis sententiarum ornatum coluisse quis nescit? Atque tantum abest, ut Quintilianus hunc morem probet, ut in huius generis scriptores persaepe invehatur, veluti Inst. or. IV 1, 77.[1]) Quid ipse de sententiis adhibendis cogitaverit, apparet ex eis, quae dicit VIII 5, 34: *Ego vero haec lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiae credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra officium suum perdant, et si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim quam istam novam licentiam. Sed patet media quaedam via, sicut in cultu victuque accessit aliquis citra reprehensionem nitor.* Atque Iuvenalem huic Quintiliani legi obtemperantem sententias adhibuisse monet Friedlaender[2]) Haec quoque res, cum alii illius aetatis scriptores aliter hac de re cogitaverint et egerint pro documento esse potest Iuvenalem praecepta Quintiliani secutum esse.

Haec iam sunt, quae ex saturis ipsis ad rationem, quae inter Quintilianum et Iuvenalem intercedit, cognoscendam capi posse puto. Quamquam igitur argumentum plane certum deest, complura tamen esse indicia videmus, quibus ut Iuvenalem in Quintiliani discipulorum numero ponamus, iure quodam commoveamur. At iam oritur quaestio, utrum Iuvenalis, quod multa, quae apud Quintilianum scripta legerat, in suum usum transtulerat, hanc solam ob causam discipulus Quintiliani appellandus sit an exstent argumenta, quibus nisi Iuvenalem Quintilianum ipsum audivisse et e Quintiliani ludo profectum esse possimus affirmare. Quae ut diiudicemus, quomodo Institutionis oratoriae libri Quintiliani orti sint, reputemus.

Quintilianus igitur in epistula ad Tryphonem dicit: *quibus componendis, ut scis, paulo plus quam biennium tot alioqui negotiis districtus impendi: quod tempus non tam stilo quam inquisitioni instituti operis prope infiniti et legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est.* Ideo qui Quintilianum se libros Institutionis oratoriae per duos fere annos conscripsisse testari considerabit, illum artis rhetoricae magistrum hoc tantum opus ea de causa tam brevi tempore conficere potuisse concedet, quod eis libellis, quos, ut ex eis in schola recitaret,

[1]) Locum exscripsi p. 182.
[2]) In commentario p. 64; cf. praeterea Streifinger *Der Stil des Satirikers Iuvenal* p. 43 sqq.

composuerat, usus est. Etiamsi haec mea explicatio probatur, Quintilianus tamen recte dicere potuit se per biennium inquisitioni et legendis auctoribus totum se dedisse, quod eum, quae antea in schola discipulis praeceperat, denuo pertractavisse et fontes inspexisse veri simile est; nam hoc uno modo, quae publicaturus erat, expolire potuit. Quare plurima praecepta, quae nunc in libris Institutionis oratoriae leguntur, Quintilianum iam discipulis suis exposuisse probabile esse puto.

Ideo cum plurimi Iuvenalis loci a me prolati eius sint generis, ut quae cum Quintiliano congruentia reperta sunt, ea Iuvenalem apud Quintilianum audiendo cognoscere potuisse nemo, qui haec exempla perquisiverit, non concedat, nihil iam obstare arbitror, quominus eum e Quintiliani schola profectum veri simile esse statuamus.

K. u. k. Hofbuchdruckerei Carl Fromme in Wien.

DISSERTATIONES

PHILOLOGAE

VINDOBONENSES.

VOLUMEN OCTAVUM.

PARS I: IOSEPHUS PAVLU, ALCIBIADES PRIOR QUO IURE VULGO TRIBUATUR PLATONI.

PARS II: IOSEPHUS ŽŮREK, DE S. AURELII AUGUSTINI PRAECEPTIS RHETORICIS.

PARS III: L. KOTERBA, DE SERMONE PACUVIANO ET ACCIANO.

VINDOBONAE ET LIPSIAE.

SUMPTUS FECIT F. DEUTICKE.

MCMV.

TYPIS RUDOLPHI M. ROHRER, BRUNAE.

I.

Alcibiades prior quo iure vulgo tribuatur Platoni

scripsit

Iosephus Pavlu.

Haud facile quisquam materiam ad Socraticum sermonem componendum tam gratam tamque locupletem inveniat, qualem praebet Alcibiades, adulescens ille et summis virtutibus ornatus et maximis vitiis praeditus. In hoc optime demonstrari potuit, quales viros rem publicam capessere Plato vellet.[1] Nam cum pulcherrima statura et habitu corporis[2] coniuncta erat in eo optima indoles. Accedebat, quod eidem maximae divitiae hereditate relictae erant. In tali adulescente omnibus his rebus maxime elato et gloriante videre possis, quanti modesta Socratis sapientia sit facienda. Quis igitur miretur magistrum cum hoc discipulo a compluribus viris disputantem inductum esse, velut ab Aeschine Socratico,[3] Euclide Megarensi,[4] Phaedone Eleo,[5] Antisthene[6]? Qua in re dolendum est nullum librum ad hanc pervenisse aetatem, neque eorum argumenta nobis nota esse.[7] Tamen duo eius modi libri temporum iniuriam effugerunt,

[1] Conf. Rei publ. l. VII 536 A: *Ἡμῖν δή, ἦν δ' ἐγώ, πάντα τὰ τοιαῦτα διευλαβητέον· ὡς ἐὰν μὲν ἀρτιμελεῖς τε καὶ ἀρτίφρονας ἐπὶ τοσαύτην μάθησιν καὶ τοσαύτην ἄσκησιν κομίσαντες παιδεύωμεν, ἥ τε δίκη ἡμῖν οὐ μέμψεται αὐτή, τήν τε πόλιν καὶ πολιτείαν σώσομεν, ἀλλοίους δὲ ἄγοντες ἐπὶ ταῦτα τἀναντία πάντα καὶ πράξομεν καὶ φιλοσοφίας ἔτι πλείω γέλωτα καταντλήσομεν.*

[2] Cui rei cum Alcibiades dialogus ipse satis documento est, tum etiam Plut. Alcib. c. 1: *Περὶ μὲν οὖν τοῦ κάλλους Ἀλκιβιάδου οὐδὲν ἴσως δεῖ λέγειν, πλὴν ὅτι καὶ παῖδα καὶ μειράκιον καὶ ἄνδρα πάσῃ συνανθῆσαν τῇ ἡλικίᾳ καὶ ὥρᾳ τοῦ σώματος ἐράσμιον καὶ ἡδὺν παρέσχεν. Οὐ γάρ, ὡς Εὐριπίδης ἔλεγε, πάντων τῶν καλῶν καὶ τὸ μετόπωρον καλόν ἐστιν, ἀλλὰ τοῦτο Ἀλκιβιάδῃ μετ' ὀλίγων ἄλλων δι' εὐφυΐαν καὶ ἀρετὴν σώματος ὑπῆρξε.*

[3] Suidas s. v. *Αἰσχίνης*. Diog. L. l. II 61.

[4] Suidas s. v. *Εὐκλείδης*.

[5] Suidas s. v. *Φαίδων*. Sed iam antiquis non satis constabat, num Phaedonis et Euclidis dialogi genuini essent; conf. Diog. L. l. II 64.

[6] Ex cuius libro Plutarchus nomen nutricis deprompsisse videtur Alc. c. 1: *Ἀλκιβιάδου δὲ καὶ τίτθην, γένος Λάκαιναν, Ἀμύκλαν ὄνομα, καὶ Ζώπυρον παιδαγωγὸν ἴσμεν, ὧν τὸ μὲν Ἀντισθένης, τὸ δὲ Πλάτων* (Alc. I p. 122 B) *ἱστόρηκε.*

[7] Ex Aeschinis solius libro nonnulla nobis servavit Aristides in oratione *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* Dind. tom. II p. 292 s. et 369; quos locos attulit Cobetus in Mnemos. N. S. t. II p. 371.

ex quibus non dubito, quin ne unus quidem, nisi Platonis nomine commendatus esset, ad nostram notitiam perventurus fuerit.

Antequam vero ad rem propositam accedamus, dicendum videtur esse, quo primum tempore hi dialogi Alcibiadis nomen in fronte gerentes vulgo noti fuerint et Platoni tributi sint. Atque gravissimus quidem testis, Aristoteles, qui variis locis Platonis dialogorum vel sententiarum mentionem facit, de iis nihil memoriae prodidit. Quae res, quamquam maximi est momenti, tamen non tantum valet, ut ea sola nisi vel hunc vel illum librum Platoni abrogemus. Nam Aristoteles, tantum abest, ut omnia Platonis scripta enumerare aut eius doctrinam totam enarrare sibi proposuerit, ut, ubi ei opus esse videretur, Platonis sententiam — nomine dialogi modo addito, modo non addito — attulerit. Item disceptari non potest quaestio, num iam temporibus Aristophanis Byzantii in bibliothecis Alexandrinis Alcibiades prior notus fuerit vel criticus ille criticorum hunc dialogum genuinum Platonis fuisse existimaverit. Diogenes enim Laërtius, cui in Vit. philos. l. III 61 hanc memoriam debemus, Aristophanem libros Platonis in quinque trilogias digessisse dicit. Magnopere est dolendum libros, quos criticus ille „*καθ' ἓν καὶ ἀτάκτως*“ posuit, non nominatim traditos esse. Sed Alcibiadem priorem, etiamsi ab Aristophane genuinum dialogum esse existimatum constaret, ob eam solam causam sine dubio a Platone conscriptum esse dicere non possemus; nam in illis quinque trilogiis inveniuntur libri ut Minos et Epinomis, quos spurios esse nemo hodie negat; nam quo tempore conditae sunt illae bibliothecae, iam spurios libros coemptos et a viris doctis tamquam genuinos arreptos esse Galenus[1] testis est; id tantum exploratum haberemus illa iam aetate Alcibiadem genuinum Platonis dialogum habitum esse. Num Dercyllides[2] tetralogiis illis, in quas Platonis scripta distribuit, etiam Alcibiadem complexus sit, ne divinare quidem licet, cum de divisione ne tantulum quidem sciamus. Thrasyllum demum Alcibiadem et priorem et alterum in numero genuinorum Platonis scriptorum habuisse, ex Diogenis L. l. III 56 elucet, quem indicibus bibliothecae Alexandrinae usum esse veri simile esse putat Fridericus

---

[1] ad Hippocr. de nat. hom. I 42: *πρὶν γὰρ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς ἐπὶ κτήσει βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα, λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς σύγγραμμα παλαιοῦ τινος ἀνδρός, οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοντες ἐκόμιζον.* Conf. C. Fr. Hermann, Geschichte und System der Platonischen Philosophie p. 575 adn. 126, Suckow p. 163 adn. 2, Fr. Überweg p. 183.

[2] Albini *εἰςαγωγὴ εἰς τοὺς Πλάτωνος διαλόγους* c. IV: *εἰσὶ δὲ οἱ κατὰ τετραλογίαν διελόντες αὐτοὺς καὶ τάττουσι πρώτην . . . . ταύτης τῆς δόξης εἰσὶ Δερκυλλίδης καὶ Θράσυλλος* conf. Christii librum 'Platonische Studien' p. 5 seqq.

Ueberweg.[1] Thrasyllus igitur Platonis libros novem tetralogiis attribuit, in quarum quarta Alcibiades prior et posterior primum et alterum locum obtinent.

Deinde Cicero ex illa Socratis cum Alcibiade disputatione nonnihil deprompsit; confer:

Cic. Tusc. I 52: *Est illud quidem vel maximum animo ipso animum videre;*	Alc. I 133 B: *Ἀρ' οὖν, ὦ φίλε Ἀλκιβιάδη, καὶ ψυχὴ εἰ μέλλει γνώσεσθαι αὑτήν, εἰς ψυχὴν αὐτῇ βλεπτέον.*
et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus. Neque nos corpora sumus, nec ego tibi haec dicens corpori tuo dico. Quom igitur: 'Nosce te, dicit,' hoc dicit: 'Nosce animum tuum.' Nam corpus quidem vas est aut aliquod animi receptaculum; ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te.	130 E: . . . *Σωκράτης Ἀλκιβιάδῃ διαλέγεται λόγῳ χρώμενος, οὐ πρὸς τὸ σὸν πρόσωπον, ὡς ἔοικεν, ἀλλὰ πρὸς τὸν Ἀλκιβιάδην ποιούμενος τοὺς λόγους· τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ ψυχή. Ἀλ.: Ἔμοιγε δοκεῖ. Σω.: Ψυχὴν ἄρα ἡμᾶς κελεύει γνωρίσαι ὁ ἐπιτάττων γνῶναι ἑαυτόν. Ἀλ.: Ἔοικεν. Σω.: Ὅστις ἄρα τῶν τοῦ σώματός τι γιγνώσκει, τὰ αὑτοῦ ἀλλ' οὐχ αὑτὸν ἔγνωκεν. Ἀλ.: Οὕτως.*

Qui locus cum sine dubio ex Alcibiadis dialogo pendeat, alterum quoque habemus, quo Cicero huius summam in universum attigisse videtur: Tusc. III 77: „*Quid enim dicemus, quom Socrates Alcibiadi persuasisset, ut accepimus, eum nihil hominis esse, nec quicquam inter Alcibiadem, summo loco natum, et quemvis baiulum interesse, quom se Alcibiades afflictaret lacrimansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet turpitudinemque depelleret.*“ Confer eandem fere sententiam apud Augustin. Civ. D. XIV c. 8. Nos quidem neque Orellio neque Kuehnero, viris doctissimis, adsentiri possumus, qui, quod Alcibiades in dialogo nusquam lacrimans inducatur, hanc narrationem ex amisso aliquo Platonis loco petitam esse dicunt. Cicero enim et Augustinus summam dialogi illis verbis expressisse, dialogum ipsum ante multos annos videntur legisse. Quare memoriae lapsu facile fieri potuit, ut Alcibiadem lacrimantem facerent, cuius partes non est dubium, quin miserrimae sint.

Praeterea Alcibiades dialogus in litteris nobis occurrit scriptoris nomine non allato apud Persium, qui Neronis temporibus satiras conscripsit. In quarta enim satira ineunte Alcibiadem Periclis pupillum cum Socrate, quem dira sustulit cicuta, colloquentem inducit. Per se intellegitur Persium non ad verbum in sermonem Latinum vertisse, sed sententias solum deprompsisse. Alcibiades ille, corporis specie elatus,

---

[1] Dr. Friedr. Überweg, Untersuchungen über die Echtheit und Zeitfolge Plat. Schriften p. 195.

Dinomaches filius et Periclis pupillus, adulescens admodum rem publicam capessere vult, cum iam iustum et iniustum, rectum et malum se didicisse putet. Immo ne vivere quidem vult, si, quae sibi proposuerit, in irritum cadant. Itaque suo quisque modo iuvenis mores corrigere student, Socrates in dialogo rectam virtutis viam ostendens, apud Persium irridens:

Pers. sat. IV 1 seqq.	
Rem populi tractas? — barbatum haec crede magistrum	cf. Alc. I 106 C.
dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae —	
quo fretus? dic o magni pupille Pericli.	104 B, 118 C.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox	118 B: διὸ καὶ ᾄττεις ἄρα πρὸς τὰ
Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.	πολιτικὰ πρὶν παιδευθῆναι.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,	(Alio modo illa Alcibiadis sui ipsius
fert animus calidae fecisse silentia turbae	fiducia in Alc. 105 A seqq. describitur.)
maiestate manus. Quid deinde loquere? Quirites,	
hoc, puta, non iustum est, illud male, rectius illud.	
Scis etenim iustum gemina suspendere lance	110 C, saepius.
ancipitis librae; rectum discernis, ubi inter	
curva subit, vel cum fallit pede regula varo,	
et potis es nigrum vitio praefigere theta?	105 A: δοκεῖς γάρ μοι, εἴ τίς σοι εἴποι
Quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,	θεῶν· ὦ Ἀλκιβιάδη, πότερον βούλει ζῆν
	ἔχων ἃ νῦν ἔχεις, ἢ αὐτίκα τεθνάναι, εἰ
ante diem blando caudam iactare popello	μή σοι ἐξέσται μείζω κτήσασθαι; δοκεῖς
desinis, Anticyras melior sorbere meraces!	ἂν μοι ἑλέσθαι τεθνάναι.
Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella	
semper et assiduo curata cuticula sole?	
Exspecta, haud aliud respondeat haec anus. I nunc:	
Dinomaches ego sum, suffla, sum candidus — esto;	105 D, 123 C ... candidus 104 A.
dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,	
cum bene discincto cantaverit ocima vernae.	

Ab hoc tempore usque ad Athenaei aetatem nemo — quoad hanc rem litteris persequi possumus — dubitabat, quin uterque Alcibiades a Platone profectus esset. Huius demum scriptoris temporibus factum est, ut Alcibiades, qui dicitur alter, a Platone abiudicaretur. Sed qui Xenophontem huius libri auctorem esse arbitrati sunt,[1] in alium errorem inciderunt. Quibus rebus adducti hanc opinionem amplexi sint, intellegi non potest, cum et genus scribendi in Alcibiade II

[1] Athen. XI 506 C.

a Xenophonteo abhorreat, neque intellegatur, quomodo liber Xenophontis nomine ornatus inter Platonis libros pervenerit. Alcibiades I autem in magno honore fuit, atque adeo permulti Platonici recentiores summam totius philosophiae et doctrinae Platonicae in eo inesse rati hunc dialogum primum legendum proposuerunt[1] ut Iamblichus, qui hunc sermonem commentatus a Proclo ὁ θεῖος appellatur, et Albinus.[2] Neque praetereundae sunt laudes huius libelli a Proclo et Olympiodoro in commentariis prolatae. Praeter hos aliorum interpretum nomina nobis servata sunt: Democriti Platonici, Longini aequalis, Harpocrationis, Damascii.

Contra ex Diogenis L. l. III c. 62 apparet non defuisse, qui non Alcibiadem, sed alios dialogos primo loco ponerent, idemque probat Albinus in Isagoges c. IV.

Inter illos viros, qui Alcibiadem dialogum ad caelum tollebant, Aelius Aristides unus sobrius videtur esse, qui, ut inimicissimus erat Platoni propter rhetores in Gorgia male tractatos, in duabus orationibus πρὸς Πλάτωνα περὶ ῥητορικῆς suam ipsius artem, quam maxime potest, defendit et in oratione ὑπὲρ τῶν τεττάρων[3] Platonem vituperat, quod Socrates in eo dialogo non solum Alcibiadem, sed etiam Periclem, propinquum eius et tutorem, acerbis verbis insectetur.

Sed quoniam de tempore et auctoritate huius dialogi apud antiquos satis dictum est, quid recentiores censeant, paucis videamus. Ante Tennemannum nemo fuit, qui Alcibiadem spurium esse diceret, neque hic vir doctus dialogum in genuinis numerare dubitabat. Postquam autem primus Schleiermacher,[4] deinde Astius[5] sermonem in spuriorum dialogorum numero posuerunt, defensores in dies magis pedem referre cogebantur, ita ut nisi dialogum Platoni adulescentulo tribuissent, genuinum esse se evincere non posse crederent. At illorum virorum

---

[1] Conf. Diog. L. l. III 62.

[2] in Isagoges c. V: ὁ μὲν οὖν κατὰ φύσιν εὖ πεφυκώς, καὶ κατὰ τὴν ἡλικίαν ὥραν ἔχων τοῦ φιλοσοφεῖν, καὶ κατὰ τὴν προαίρεσιν ἕνεκα τοῦ ἀρετὴν ἀσκῆσαι προσιὼν τῷ λόγῳ, καὶ κατὰ τὴν ἕξιν προτετελεσμένος τοῖς μαθήμασι, καὶ ἀφειμένος ἀπὸ τῶν πολιτικῶν περιστάσεων, ἄρξεται ἀπὸ τοῦ Ἀλκιβιάδου πρὸς τὸ τραπῆναι καὶ ἐπιστραφῆναι καὶ γνῶναι οὗ δεῖ τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι.

[3] Tom. II p. 368 seq. Dind.: . . αἰτιασάμενος γὰρ τὸν Ἀλκιβιάδην ἀμαθίᾳ συνοικεῖν καὶ φήσας οὐ μόνον αὐτὸν τοῦτο πεπονθέναι, ἀλλὰ καὶ τοὺς πολλοὺς τῶν τὰ τῆς πόλεως πραττόντων, κατασκευάσας κἀνταῦθα ὁδόν τινα αὐτῷ κατὰ τοῦ Περικλέους, πειρᾶται κἀκείνῳ τὴν αὐτὴν αἰτίαν περιάπτειν, οὐδὲν προκαλυπτόμενος, ἀλλ' ὡς τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο οὔτε γράμματα οὔτε νεῖν εἰδότα ἐλέγχειν ἀξιῶν et quae sequuntur. Dedecuit Socratem coram Alcibiade tutori maledicere.

[4] Platons Werke von F. Schleiermacher.

[5] Platons Leben und Schriften, Leipzig 1816 p. 435 seqq.

sententias primus refutare instituit Socher,[1] cuius vestigiis institerunt C. Fr. Hermannus,[2] C. Steinhartius,[3] alii, quorum nomina adferre nihil ad rem facit, praesertim cum maximam partem ex his viris pendeant. Stallbaumius vero, qui in priore Platonis · operum omnium editione eam artem, quam in aliis Platonis libris maxime admiramur, requirit — quamquam a Platone non abiudicat —, in altera editione vehementissime Platonem scriptorem fuisse contendit. Sunt etiam, qui nesciant, utrum dialogum spurium esse dicant an sermonis proprietates aetati eius iuvenili tribuant. Schleiermacherum autem et Astium secuti sunt: Zeller,[4] qui omnino Platonem ante Socratis mortem ad dialogos conscribendos se contulisse negat, Suckow,[5] Ueberweg,[6] Kvíčala,[7] Schaarschmidt,[8] Cobet,[9] F. Hubad,[10] Madvig,[11] Hirzel,[12] Christ.[13]

Antequam vero ad singulas horum virorum sententias examinandas accedamus, dispositione totius dialogi proposita exquirere conabimur, quid ei, qui hunc dialogum conscripsit, propositum fuerit.

I. Dispositio dialogi.

Exordium (p. 103—105E).

Neque loco nec tempore significato Socrates Alcibiadi dicit, ne miretur, quod, cum ceteri amatores eum reliquerint, ipse eius amator exsistat. Sed ne prius ad eum accederet, non humana quadam re, sed divina se impeditum esse; quae cum sibi non iam resisteret, se ad eum accessisse. Per totum illud tempus se spectavisse, quomodo ille in suos amatores se gereret, causamque discedendi superbiam illius et

---

[1] Über Platons Schriften 1820 p. 112 seqq.

[2] Geschichte und System der Plat. Philosophie p. 439 seqq.

[3] Platons sämtliche Werke, übersetzt von Hier. Müller, mit Einleitungen begleitet von K. Steinhart.

[4] Platonische Studien 1839; Die Philosophie der Griechen ed. III 2, 1 p. 418; Zeitschrift für das Altertumswesen 1851 p. 259.

[5] Die wissenschaftliche und künstlerische Form der Plat. Schriften 1855.

[6] Untersuchungen über die Echtheit und Zeitfolge Plat. Schriften 1861.

[7] De Platonis qui fertur Alcibiade I. Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien XIV (1863) p. 1 seqq.

[8] Die Sammlung der Plat. Schriften 1866.

[9] Platonica: ad Platonis, qui fertur, Alcibiadem primum. Mnemos. Nov. Ser. Vol. II (1874) p. 369 seqq.

[10] Der erste Alcibiades. Programm des Realgymnasiums zu Pettau 1876.

[11] Advers. crit. I 402 adnot.

[12] Aristoxenos und Platons erster Alkibiades. Rhein. Mus. XLV (1891) p. 419 seqq.

[13] Hist. litt. Graec. ed. III p. 450.

arrogantiam fuisse; nam eum non solum divitem et omnibus bonis animi praeditum esse, sed — quod plurimum valeat — nobilitate generis et cognatorum, praecipue Periclis tutoris, maxime superbire. Alcibiadi, cur se amet, quaerenti Socrates aperit curam, ne quid mali illi accidat, esse causam. Se enim animadvertisse Alcibiadem ad rem publicam accedentem atque id agentem, ut rei publicae praeesset; immo eum non unis Athenis contentum esse neque Graecia, sed Europam et Asiam appetere. Sed quae velit, eum nisi per se non esse impetraturum; quo tempore cum deus sibi permiserit, ut ad eum accederet, se ei auxilio esse venturum et consilio iuvaturum.

Tractatio (p. 106 A—135 C).

A. Socratis disputatione Alcibiades cognoscit et fatetur se nondum in publicum prodire posse (106 A—124 A),

I. cum nondum, quid iustum sit, cognoverit (106 A—113 C).

Alcibiades a Socrate petit, ut secum, quae ad rem publicam quam optime administrandam comperta habere debeat, communicet simulque se responsurum esse pollicetur. Tum Socrates ex eo quaerit, quibus in rebus Atheniensibus, qui consilium eius non requirant, consulere velit. Nam cum de rebus, quae ad rem publicam pertineant, consultent, adhibere eos peritos artium; quae ille in ludo didicerit, ea Athenienses non curare. In negotiis publicis, in bello, in pace, in omnibus rebus, quae ad bellum pertineant, cognitione eius rei, quae melior sit, opus esse, velut cui bellum inferre, quam diu bellum gerere melius sit. Hoc autem esse iustum et iniustum, quod in omnibus rebus agatur. Quod Alcibiadem non cognovisse, cum

1. neque a magistro ea re institutus sit; nam Alcibiadem praeter artem grammaticam, citharam, luctam nihil didicisse,

2. neque ipse investigaverit; nam omnibus temporibus, iam cum infans cum aequalibus luderet, ei persuasum fuisse se iustum et iniustum iam optime scire;

3. neque populus, — a quo, ut illis laqueis se liberet neve se imperitum et rudem esse confiteatur, iustum et iniustum se didicisse dicit — harum rerum bonus magister esse possit. Quod cum Socrates probet dicens populum ne talorum quidem ludum docere posse, Alcibiades documentum adfert sermonem patrium, quem a populo acceperit. Populum Socrates ait nonnulla quidem docere posse, sed ea sola, de quibus ipse consentiat. Virtutem enim magistri eam esse, ut, quae docere velit, primum ipse cognita habeat. Populum quidem

consentire de lapidibus, ligno, homine, equo, sermone, quae optime noverit quibusque rebus optime instituere possit, sed ne homines quidem sanos et aegros discernere posse, nedum — quod difficillimum sit — iustum et iniustum; immo in hac re populum maxime dissentire, qua de causa omnia bella oriri. Quibus argumentis Alcibiades convictus concedit populum non esse aptum magistrum, qui se instituat, et se, quid iustum sit et iniustum, nondum habere compertum confitetur. Stultum igitur aliquid Alcibiadem animo volvere, cum consulere velit in iis rebus, quas ipse non cognoverit.

II. cum, quid utile sit, nesciat ratus iustum ab utili differre (113C—119A).

Alcibiades in re publica raro iustum agi, sed utile adfirmat, quod sine dubio non idem sit, cum multis magnae iniuriae maximam utilitatem attulerint, iustitia damnum. Iam Socrates Alcibiadem ne utile quidem cognovisse contendens hortatur, ut aut continua oratione aut interrogando et respondendo utile diversum esse ab iusto argumentis comprobet. Quae cum Alcibiades, an efficere non possit, dubitet — quamquam a Socrate docetur nihil interesse, utrum unum an multos doceat — Socrates se paratum esse dicit ad contrariam sententiam evincendam, utile idem esse ac iustum, quod duplici ratione demonstrat:

1. „Quidquid iustum est, idem honestum censetur. Quod autem honestum est, idem bonum. Nam quamquam pro varia ratione una eademque res et bona et mala videri potest, veluti cum quis fortitudine, quae per se est bona et honesta, mortem sibi accelerat, id quod in malis numeratur, tamen quatenus quid honestum est, eatenus etiam in bonis ducitur. Ita fortitudo per se bona est, adeo ut nemo quisquam paullo cordatior eam vel cum ipsa vita velit permutare; timiditas autem et ignavia maximis malis adnumeratur, eoque fit, ut hanc omnes aversentur, illam, quamvis saepenumero cum vitae iactura coniunctam, colant atque magni faciant. Ex quo consequitur iusta omnia esse bona, neque bonitatem atque honestatem seiungi a se invicem atque divelli posse.“ (114E—116A.) (Stallbaumius.)

2. Deinde altero modo Socrates sententiam suam confirmat: Quisquis *εὖ πράττει* bene agit et bene agendo felix est possidens aliquid boni, quod taliter (*εὖ*) agendo sibi comparavit. Unde efficitur pulchrum et bonum idem esse. Iam demonstratur iustum utile esse: nam quod iustum est, idem pulchrum esse videtur, pulchrum autem cum sit bonum, bonum utile, sequitur iustum etiam utile esse.

Qua argumentatione ad finem adducta Alcibiades se mirum quantum iudicio fluctuare dicit, cum modo hoc, modo illud sibi verum esse

videatur. Tum Socrates adulescenti ostendit hanc dubitationem ipsa inscitia ortam esse, cum nemo dubitet de iis, quae sciat, neque de iis, quae se nescire sciat. Quam rem multorum malorum fontem esse et perniciosissimum quidem in rebus gravissimis, iusto, pulchro, bono, utili. Graviter Alcibiadem vituperat, quod imperitissimus ad rem publicam accessurus sit. Tales esse plurimos, qui rem publicam capessiverint praeter Periclem et nonnullos alios. Immo ne Pericles quidem ea arte docendi instructus est, cum non sit aptus, qui alium — in iis etiam Alcibiadem — ad rem publicam administrandam aptum reddat. Certissimo enim argumento scientiam uniuscuiusque hominis inde intellegi posse, quod alterum quoque ipsa re instruere possit.

III. cum neque indole neque animi et corporis praestantia aemulis suis superior sit (119B—124B).

Qua re demonstrata Socrates ex Alcibiade quaerit, quid de se ipso facere velit. Alcibiades Socratis sententia modo prolata nititur, cum dicit non opus esse multa discendo tempus terere, cum plurimi eorum, qui rem publicam gessissent, rudes indoctique fuerint. Sibi persuasum esse se indole et ingenio suo ceteros aemulos superare posse. Quam sententiam Socrates gravissime reprehendit demonstrans eum non solum cum adversariis in civitate ipsa certamen habiturum, sed cum externis quoque, sicut praefecto navi sit dimicandum non solum cum iis, qui in nave sint, sed etiam cum adversariis. Ludibrio addit, Alcibiades ad Midiam „ὀρτυγοκόπον“ eiusque socios se conferat, qui rudes et indocti tamen ad rem publicam accesserint. Ut adulescentis superbiam radicitus frangat, contendit multo ei praestare

1. reges Lacedaemoniorum,

2. reges Persarum, qui semper fuerint hostes Atheniensium et quibuscum primum certamen ei futurum sit. Quod Alcibiades refutare conatur, cum dicit reges Lacedaemoniorum et Persarum nihilo meliores esse, quam qui aliis civitatibus praesint. Quod non rectum esse Socrates demonstrat:

a) omni modo tutius esse, si adversarios non contemnat, sed graves esse credat.

b) hac argumentatione:

α) Si gentes nobiles nobiliores filios procreaverint, nobilissimas esse Persarum et Lacedaemoniorum gentes, cum utraque ex Jove se procreatam esse glorietur. Alcibiade iniciente suam quoque gentem a diis originem traxisse Socrates eius gentem cum illorum gente comparari non posse demonstrat, cum omnes eorum maiores usque ad Jovem reges, ipsius homines privati fuerint. Deinde apud Lacedaemonios

ephoros providere, ut gens integra sit, qua de causa uxores regum ab illis custodiri, ne ex alio quodam rex futurus procreetur quam ex rege ipso; apud Persas ne suspicionem quidem talem exsistere posse.

β) Accedere, quod reges liberalius educentur quam nobiles Atheniensium, cum Persae a pueris diligentissime erudiantur; Alcibiadem autem inepto servo magistro usum esse; eodem modo rem se habere apud reges Lacedaemoniorum.

γ) Non minus Alcibiadem divitiis et pecore et servis et metallo inferiorem esse. Ut Lacedaemonios divitissimos Graecorum esse, ita eos a regibus suis maxime superari. Quae omnia Persarum divitiis cedere, qui totas terras ad ornatum reginae permittant. Si Amestris, regis Persarum mater, cognosceret Alcibiadem cum Persis certamen initurum esse, putaret eum scientia et litteris cum iis certare, sin comperiret Alcibiadem de divitiis cum iis certare, eum mente carere existimaret. Ita etiam Lampido, Agidis mater, iudicaret; sed turpe esse mulieres hostium subtilius de adversariis iudicium ferre, quam hos de se ipsis.

Qua disputatione adulescens superbissimus convictum se esse confitetur.

B. Alcibiades intellegit sibi ipsi primum curam esse adhibendam (ἐπιμέλεια ἑαυτοῦ) (124 B—133 C).

I. Alcibiades fatetur se fugisse, quomodo meliores fiamus (124 B—127 E).

Tum concedit sibi id agendum esse, ut sibi ipse consulat et melior fiat. Interrogatus a Socrate, quibus in rebus meliores nos fieri necesse sit, respondet: in iis negotiis, quae boni viri prudentes faciant; qua quisque in re prudens est, in eadem bonus, in qua imprudens, in ea non bonus est. Iam Socrates concludit sutorem in calceamentis bonum, in vestimentis sarciendis non bonum esse, sequi eum simul bonum et non bonum esse. Quod Alcibiades non concedens eos bonos esse dicit, qui civitatem prudenter gerant et homines, qui in civitate sint, optime regant. Hanc artem esse prudentiam (*εὐβουλίαν*), quae spectet ad rem publicam optime administrandam et servandam. Quod fieri non posse nisi mutuo amore et amicitia civium, quam esse concordiam (*ὁμόνοιαν*). Qualis haec concordia esset, a Socrate interrogatus Alcibiades dicit talem esse debere, qualis intercedat inter membra unius familiae. Quam sententiam Socrates sic refutat: Vir et mulier non consentiunt, cum sua quisque facit, ut in lana texenda et in armis gerendis. Si etiam in civitatibus sua quisque faciat, futurum esse, ut tollatur con-

cordia, in qua constare amorem et amicitiam. — Iterum adulescenti confitendum est se nihil scire, sed tristem Socrates consolatur cohortatus, ut sibi consulat et, dum tempus sit, necessaria addiscat.

II. Homo sibi consulit, si animum suum cognovit (127E—132B).

Quid est sibi consulere? Homo sibi non consulit providens, ut, quae singulorum membrorum propria sint, adsint, veluti ut digiti anulos, pedes calceamenta habeant. Alia membra corporis alia arte curamus; alia arte nobis ipsis providemus, alia iis, quae nostra sunt; non igitur est idem *ἑαυτοῦ ἐπιμελεῖσθαι* et *τῶν ἑαυτοῦ ἐπιμελεῖσθαι*. Quae est igitur illa ars, qua nobis ipsis consulimus? Ut rem meliorem reddere non possumus, quam non novimus, ita neque nos ipsos. Quare, quid ipsi simus, quaerere necesse est.

Ad quem finem Socrates hanc viam ingreditur:

Socrates loquitur, loquens lingua utitur; is qui loquitur, diversus est ab ea re, qua utitur. Homo toto corpore utitur, ergo differt a corpore, ut sutor diversus est a scalpro, quo utitur. Sed cum necesse sit hominem aut corpus esse aut animum aut utrumque coniunctum, corpus autem esse non possit, quod servitio eius utatur, neque corpus cum animo coniunctum eadem de causa, restare, ut homo animus sit, in quo omnis virtus et praestantia hominis posita sit. Inde effici deum illo „*Γνῶθι σαυτὸν*“ nos iubere non corpus, sed animum noscere; quare neque medicum neque gymnasii magistrum, cum partes corporis cognitas habeant, quatenus suam artem exerceant, se ipsos noscere; ita opifices et agricolas non se ipsos novisse, sed ea tantum curare, quae ad cultum corporis pertineant. Alcibiadem igitur, qui eius corpus diligit, ipsum non diligit et corporis flore evanescente aufugit. Verum autem amatorem, ut Socratem, permanere, donec melius aliquid appetat. Maxime autem cavendum esse, ne Alcibiades turpi plebis adulatione contaminatus pereat, quare ipse primum se exerceat eaque addiscat, quae unumquemque Atheniensium discere necesse sit, antequam ad rem publicam accesserit.

III. Quomodo nos ipsos noscamus (132B—133C).

Cum homo animus sit, adhibendam esse curam animo, cetera, quae ad corpus pertineant, aliis permittenda. Quod ut dilucide demonstret, Socrates hac comparatione utitur: Oculus, si se ipsum noscere vult, speculo utitur aut oculo alterius, ubi imaginem suam in optima parte conspicit. Itaque animo in animum conspiciendum esse et in optimam quidem partem eius, qua nihil sit divinius, *περὶ ὃ τὸ εἰδέναι τε καὶ φρονεῖν ἐστιν*.

C. Alcibiades, nisi se ipsum noverit, nunquam rem publicam administrare poterit (133 C—135 C).

Qui non cognovit Alcibiadem, neque ea novit, quae ad eum pertinent; nisi nos ipsos novimus i. e. modesti sumus — nam se ipsum noscere modestia (σωφροσύνη) est — neque nostra comperta habemus. Qui sua ignorat, vix quae aliorum, ut civitatum, sunt, noverit. Talis vir non est aptus ad rem publicam administrandam, ipse peccabit aliosque infelices reddet. Quare primum „ipsi virtuti studeat; nam ita demum futurum esse, ut et sibi et civitati veram afferat utilitatem. Si tu atque cives tui, inquit, iustitiam et temperantiam colueritis, hoc vobis continget, ut et deo cari sitis et divinum illud intuentes vosmet ipsos atque res vestras recte cognoscatis et vero etiam veram felicitatem consequamini. Sin autem iniuste egeritis et id solum, quod est expers divinitatis, respexeritis, futurum est, ut a recto et honesto recedatis. Nam potentia ratione et sapientia carens tantum abest ut in bonis numeranda sit, ut non minus periculosa videatur, quam si furioso alicui et insano quidvis faciendi potestas permittatur. Est autem melius, pulcrius et convenientius eum, qui nondum ad virtutis possessionem pervenerit, melioribus oboedire, quam vicissim. Quod enim est deterius, id meliori servire par est, veraque nobilitas in sola animi virtute est posita, cui in alios deteriores debetur imperium.“ (Stallbaumius.[1])

Conclusio (135 C—E).

Alcibiades se nondum ad cognitionem sui pervenisse fatetur Socratemque unum esse censet, qui se instituere possit. Qua de causa se eum esse secuturum, sicut ille se ad eum diem secutus sit. Hoc adulescentis consilium Socrates probat et optat, ut Alcibiades, quae sibi proposuerit, etiam conficiat. Sed se maxime metuere dicit, ut haec ei contingant, non quo naturae et proposito Alcibiadis diffidat, sed quod civitatem potentissimam esse videat timens, ne quando se et discipulum suum vincat.

II. Quae scriptor in hoc dialogo conficiendo sibi proposuerit.

Dispositione igitur huius dialogi perspecta quaeramus, quod consilium auctor in componendo dialogo sit secutus. Atque etiam in hac re sententiae interpretum maxime inter se pugnant. Astius quidem nisus loco 131 C seq. putat scriptorem hoc sermone Socratem, qui accusabatur, quod iuvenes corrumperet, purgare atque amorem eius

[1] Compluribus locis nostrae disputationis huius viri docti verbis usi sumus.

erga Alcibiadem illustrare et calumnias inimicorum repudiare voluisse. Eum secutus est Godofredus Stallbaumius in priore editione Platonis operum omnium p. 181: „neminem enim fore arbitramur, quin nobis assentiatur totam scriptionem iudicantibus maxime eo pertinere, ut Alcibiadem ostendatur non per Socratis familiaritatem, sed per ipsorum Atheniensium levitatem et perversitatem corruptum esse, quandoquidem ille unus omnium optime fastum et superbiam adulescentis reprimere eiusque animum atque spiritum ita regere et moderari potuerit, ut homo quamvis elatus et animosus tamen illius orationibus commotus subinde et sui poenitentia tangeretur et verae sapientiae ac virtutis desiderio incenderetur" et p. 187: „nam nisi coniectura fallit scriptus est eo tempore, quo accusatores Socratis causam eius iamiam in iudicium adducturi malos rumores de familiaritate, quae ipsi olim cum Socrate intercessisset, sedulo sparserant et exaggeraverant." Quam sententiam iam in altera editione mutavisse videtur (p. 206). Nam ratus Platonem „in plerisque sermonibus suis hoc usum esse disserendi artificio, ut complurium rerum cognatarum, quarum aliae ad sapientiae doctrinam et rationem, aliae ad ipsius vitae communis usum referrentur, tractationem una opera perfecerit et sollertissima industria ad unum eundemque finem rettulerit", hanc rationem in Alcibiade priore perquam artificiose ita institutam esse arbitratur, ut „disputatio de scientia et sui cognitione ad reipublicae salutem necessaria artissimo vinculo cum descriptione Socraticae institutionis tamquam reipublicae rationibus longe saluberrimae" necteretur et copularetur. Cum hoc summo fine coniungi artissime descriptionem amoris Socratis erga Alcibiadem, „quorsum tetenderit et quaenam fuerit illius in discipulo suo regendo moderandoque disciplina, studiis Atheniensium illi perniciosis utique contraria" et primariam quidem scriptionis partem in Socrate defendendo cerni (p. 207); nam Platonis animum non dedecere, „quod istam adversariorum criminationem — qua Alcibiadem et Critiam corrupisse ferebatur — refellere studuerit atque luculento aliquo exemplo patefecerit, qua ratione Socrates Alcibiadem tractavisset et ad recti honestique studium incitavisset."[1] Recte. Hoc minime dedecuit Platonis animum, nam re vera in Apologia Socratis magistrum suum optime Plato defendit, sed in hoc dialogo talis interpretatio a limine est abicienda. Sine dubio Socratis cum Alcibiade consuetudo plane aliter erat conformanda atque in dialogo apparet. Rectissime Steinhartius monet futurum fuisse, ut talis familiaritas, qualem ex hoc dialogo inter Alcibiadem et Socratem fuisse elucet, Socrati magis noceret quam prodesset; maleficos enim eius adversarios, quos multos

---

[1] Conf. etiam Stallbaumi interpretationem ad p. 131 C seq.

habuit, id maxime pressuros fuisse existimamus, quod Socrates adulescentem plurimum temporis sectatus sit et discipulum suum fieri coëgerit.

Sententiae non minus singularis auctor est C. Fr. Hermannus (p. 440), qui dialogum conscriptum esse putat eo tempore, quo Alcibiades praeceptis Socratis magistri sui neglectis consilia patriae suae perniciosa inierat, ut iuvenem ad suam vivendi et sentiendi rationem revocaret. Similiter Steinhartius existimat scriptori propositum fuisse, ut Alcibiadem a perniciosis studiis deterreret ac repelleret et ad vitam vere Socraticam et ad rem publicam Socratis ratione administrandam reduceret. Sed nescio, an hi viri docti et Platonis peritissimi in hac re rectum non viderint. Vix enim fieri potuit, ut philosophus imberbis eo tempore, quo Hermannus et Steinhartius dialogum scriptum esse censent — nonnullis ante Socratis mortem annis Alcibiade adhuc vivo — imperatori peritissimo et gloriosissimo persuaderet, immo ille indignatus moribus suis ita depictis non moneri se, sed vituperari censuisset. Neque dubium est, quin scriptor, si Alcibiadem monere voluisset, alias ei partes tributurus fuerit.

Neque quidquam proficere nos posse putamus iis, quae Rudolphus Hirzel in Mus. Rh. XLV (1890), p. 419 seqq. protulit, qui nisus mira sane illa et singulari sententia: nos nisi divinam partem nostri cognovissemus, neque quae nostra, neque quae aliorum essent, cognoscere posse,[1] totum dialogum conscriptum esse contendit in Aristoxenum, Aristotelis illum et Pythagoreorum discipulum; quem[2] in libro quodam narravisse Indum quendam Socratem convenisse, eique philosophum interroganti *τί ποιῶν φιλοσοφοίη*, respondisse se in vita humana inquirenda operam consumere. Tum illum illudentem dixisse „*μὴ δύνασθαί τινα τὰ ἀνθρώπινα κατιδεῖν, ἀγνοοῦντά γε τὰ θεῖα*“. Alcibiadis scriptorem Socratem tamquam defendere voluisse, cum probaret illum ipsum docuisse hominem, nisi se ipsum i. e. animum, in quo inesset divina illa pars hominis, novisset, neque *τὰ αὑτοῦ* neque *τὰ τῶν ἑαυτοῦ* neque *τὰ τῶν ἄλλων*, quae esse breviter *τὰ ἀνθρώπινα*, cognoscere posse. Facere non possumus, quin hanc sententiam Hirzeli acute excogitatam esse dicamus. Sed, quantum videmus, sunt, quae impediant, quominus speciosam hanc sententiam accipiamus. Et primum quidem „cognoscere divina“ apud Aristoxenum significat cognoscere universum mundum, cuius homo nil nisi pars est; quod Hirzelius concedit, cum ex toto Eusebii loco eluceat. In Alcibiade animus divinum illud est, quod nisi homo cognoverit, virtutem adipisci non potest. Neque Hirzelio adsentimur dicenti Ari-

---

[1] Alc. I p. 133 C seqq.

[2] Aristocle auctore apud Euseb. in praep. ev. XI 3, 8.

stoxeno, si Alcibiades dialogus notus fuisset, dicendum fuisse divinum, quod ipse tractaret, aliud esse atque in Alcibiade dialogo; quod cum non fecerit, sequi hunc sermonem nondum notum fuisse. Nos quidem maiore iure censebimus — si re vera Alcibiades in Aristoxenum scriptus est — divinum in utroque libro idem esse debere aut scriptori expresse dicendum fuisse divinum illud, quod iam Socrates docuisset, Aristoxenum falso intellexisse. Jam ob hanc unam causam sententia Hirzeli non temere accipienda est.

Sed iam quaeramus, utrum scriptor sententia sua novum aliquid protulerit, an etiam hic locus, ut multi alii, ex Platonis ipsius scriptis sumptus sit. Quidnam scriptor hoc loco nobis probare vult? Paucis expediemus: Animum divinum esse non solum in hoc dialogo, sed passim apud Platonem invenitur,[1] oculus animi[2] commemoratur etiam in Rei p. l. VII 519 B, 533 D, Soph. 254 A. Animum suum quisque cognoscere iam illo *Γνῶθι σαυτὸν* iubetur, quod apud Platonem saepissime legitur; deum Delphicum autem nos animum, non corpus cognoscere iubere per se intellegitur. Atque se ipsum novisse maxime esse necessarium, ut beatus fias, non solum Plato compluribus locis dicit, sed iam Pythia Croeso respondit: *Σαυτὸν γιγνώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις.*[3] Priusquam autem, quae extra nos sint, cognoscere possimus, nos ipsos, i. e. animos nostros, cognoscere necesse esse satis demonstratur Phaedri p. 229 E seq. Jam ex Platonis libris demonstravisse nobis videmur singularem hanc sententiam plane esse Platonicam, quamquam eam Plato ipse uno sermone non est complexus.

Sed tota haec sententia pendet ex illa, quae p. 130 A seqq. prolata est: hominem esse animum. An aliud quidquam scriptor dicere voluit? Sane dicit p. 130 A: *Σω.: Μὴ οὐ τριῶν ἕν γέ τι εἶναι τὸν ἄνθρωπον. Ἀλ.: Τίνων; Σω.: Ψυχὴν ἢ σῶμα ἢ συναμφότερον, τὸ ὅλον τοῦτο,* et C: *Ἐπειδὴ δ' οὔτε τὸ σῶμα οὔτε τὸ συναμφότερόν ἐστιν ἄνθρωπος, λείπεται . . . μηδὲν ἄλλο τὸν ἄνθρωπον συμβαίνειν ἢ ψυχήν.* Frustra talem sententiam apud Platonem quaesiveris. Tamen mirum esset, si scriptor, qui tot sententias, ut postea demonstrabimus, ex Platonis dialogis deprompsit, gravissimam ipse excogitavisset. Itaque nobis quidem ille locus Legum p. 959 A seq. ei ob oculos versatus esse videtur: *πείθεσθαι δ' ἐστὶ τῷ νομοθέτῃ χρεὼν τά τε ἄλλα καὶ λέγοντι ψυχὴν σώματος εἶναι τὸ πᾶν διαφέρουσαν, ἐν αὐτῷ τε τῷ βίῳ τὸ παρεχόμενον ἡμῶν ἕκαστον τοῦτ' εἶναι μηδὲν ἀλλ' ἢ τὴν ψυχήν, τὸ δὲ σῶμα ἰνδαλλόμενον ἡμῶν ἑκάστοις ἕπεσθαι, καὶ τελευτησάντων*

---

[1] Rei p. l. IX 589 E, 590 C seq. Legg. V 726.

[2] Alc. I 133 B.

[3] Apud Xenoph. in Cyri instit. VII 2, 20.

λέγεσθαι καλῶς εἴδωλα εἶναι τὰ τῶν νεκρῶν σώματα, τὸν δὲ ὄντα ἡμῶν ἕκαστον ὄντως ἀθάνατον εἶναι, ψυχὴν ἐπονομαζόμενον, παρὰ θεοὺς ἄλλους ἀπιέναι . . Sane quidem Platonis sententia alia est atque in Alcibiade. Nam illic scriptor quattuor sententias evolvit, quarum binas artius coniunctas esse quivis videt (opposita sunt: *τὸ παρεχόμενον ἡμῶν ἕκαστον* — *ἰνδαλλόμενον, εἴδωλον* — *ὄντως ἀθάνατον . . ψυχὴν ἐπονομαζόμενον*). Caput huius periodi est demonstrare animum prorsus differre a corpore; ante mortem animum esse causam agendi et operandi, qui efficiat, ut homo hominem se praebeat, corpus vero tamquam umbram hominem sequi; post mortem corpus ita delabi, ut corporis tamquam imago ad inferos perveniat, animus autem, in quo vera hominis natura insit — *ὁ ὢν ἡμῶν ἕκαστος ὄντως ἀθάνατος, ψυχὴ ὀνομαζόμενος* — ad deos proficiscatur. Ex his efficitur animum ad ideas, corpus ad vanas res mundi pertinere, ergo neque ante nec post mortem naturam hominis in corpore positam esse, sed in animo. Sic locum interpretandum esse putamus. Quid vero Alcibiadis scriptor? Corpus omnino neglegit. Tum unusquisque facillime fieri potuisse concedet, ut illa verba *τὸ παρεχόμενον ἡμῶν ἕκαστον τοῦτ᾽ εἶναι μηδὲν ἀλλ᾽ ἢ τὴν ψυχήν* et *τὸν ὄντα ἡμῶν ἕκαστον ὄντως ἀθάνατον ψυχὴν ἐπονομαζόμενον* falso intellegerentur ac scriptor substitueret: *τὸν ἄνθρωπον (= ἡμῶν ἕκαστον) εἶναι ψυχήν*, quod propter verba *ψυχὴν ἐπονομαζόμενον* veri simillimum est. Praeterea locus haud facilis est intellectu. Nisi ex hoc loco mira illa in Alcibiade sententia explicari non posse videtur. Accedit, quod is, qui Alcibiadem conscripsit, iisdem conclusionis verbis usus est; quod pro *εἶναι* verbum *συμβαίνειν* substituit, suspicio etiam magis augetur.

Quoniam igitur eam quoque sententiam, quacum illa artissime coniuncta est, quam Hirzelius summam dialogi esse censuit, ex Platonis libris in Alcibiadem dialogum intrusam esse cognovimus, eam missam faciamus; neque dubitari potest, quin hic liber multis Platonis sententiis compilatus aptus non fuerit, quo Socrates contra Aristoxenum defenderetur, praesertim cum ex nullo verbo neque totius dialogi neque eius loci, de quo egimus, cognosci posset sententiam viri cuiusdam perstringi. Praeterea divinum illud, quid esset, obscurissime dictum est, quod maxime erat tractandum, si in hac re finis totius dialogi positus erat.

Iam ipsi exquiramus, quid scriptori in Alcibiade I propositum fuerit. Est autem, ni fallimur, totius dialogi sententia haec: Alcibiades, adulescens plane „*ἀπαίδευτος*“, rem publicam Atheniensium administrandam suscepturus est, cui a Socrate persuadetur eum, cum ipse ne rudimenta quidem communis vitae usus sciat, Athenienses nullo consilio iuvare posse. Priusquam enim aliis suadere possit, ipsum optime insti-

tutum esse debere ac primum quidem se ipsum noscere i. e. modestum (*σώφρονα*) esse. Qui se ipsum noverit, eum neque ignorare, quae sua ipsius et quae aliorum sint, simulque *εὖ πράττειν* itaque, cum virtutem habeat, beatum esse. Sed cum civitatibus nihil desit praeter virtutem, hanc Alcibiadi cum civibus communicandam esse. Qua cum ipse nondum praeditus sit, eam ipsi prius comparandam esse dumque non habeat, melius esse regi quam regere. Quae si recte dixerimus, dubium esse non poterit, quid scriptor hoc dialogo demonstrare voluerit. Cum exordio, ubi adulescentem ad rem publicam capessendam tamquam se praecipitantem videmus, tum conclusione, ubi Alcibiades iam persuasum habet se virtutem, sine qua salus civium cogitari non possit, nondum habere et promittit se Socratis disciplina diligentissime usurum esse, satis demonstratur summam disputationis esse hanc p. 132 B: *Σω.: Γύμνασαι πρῶτον, ὦ μακάριε, καὶ μάθε ἃ δεῖ μαθόντα ἰέναι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως, πρότερον δὲ μή, ἵνα ἀλεξιφάρμακα ἔχων ἴῃς καὶ μηδὲν πάθῃς δεινόν. Ἀλ.: Εὖ μοι δοκεῖς λέγειν, ὦ Σώκρατες.* Quae Alcibiadi prima discenda sint, Socrates paulo post expedit: 134 C: *Σω.: Αὑτῷ ἄρα σοὶ πρῶτον κτητέον ἀρετήν, καὶ ἄλλῳ ὃς μέλλει μὴ ἰδίᾳ μόνον αὑτοῦ τε καὶ τῶν αὑτοῦ ἄρξειν καὶ ἐπιμελήσεσθαι, ἀλλὰ πόλεως καὶ τῶν τῆς πόλεως. Ἀλ.: Ἀληθῆ λέγεις. Σω.: Οὐκ ἄρα ἐξουσίαν σοι οὐδ' ἀρχὴν παρασκευαστέον σαυτῷ ποιεῖν ὅ τι ἂν βούλῃ, οὐδὲ τῇ πόλει, ἀλλὰ δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην.* Qui locus imprimis aptus esse videtur, quo sententia nostra comprobetur, cum scriptor non de Alcibiade solo verba faciat, sed in universum dicat etiam aliis (*καὶ ἄλλῳ ὃς* . .) virtuti esse studendum, qui ad rem publicam se accingant. Sed non solum his locis, sed per totum dialogum hic finis scriptori ob oculos est versatus. Conf. acerbissimam illam irrisionem, quam Socrates profert p. 120 A seqq.: . . . *πρὸς Μειδίαν σε δεῖ τὸν ὀρτυγοκόπον ἀποβλέπειν καὶ ἄλλους τοιούτους, οἳ τὰ τῆς πόλεως πράττειν ἐπιχειροῦσιν, ἔτι τὴν ἀνδραποδώδη, φαῖεν ἂν αἱ γυναῖκες, τρίχα ἔχοντες ἐν τῇ ψυχῇ ὑπ' ἀμουσίας καὶ οὔπω ἀποβεβληκότες, ἔτι δὲ βαρβαρίζοντες ἐληλύθασι κολακεύσοντες τὴν πόλιν, ἀλλ' οὐκ ἄρξοντες. πρὸς τούτους σε δεῖ, οὕσπερ λέγω, βλέποντα σαυτοῦ δὴ ἀμελεῖν, καὶ μήτε μανθάνειν ὅσα μαθήσεως ἔχεται, μέλλοντα τοσοῦτον ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι, μήτ' ἀσκεῖν ὅσα δεῖται ἀσκήσεως, καὶ πᾶσαν παρασκευὴν παρεσκευασμένον οὕτως ἰέναι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως,* tum p. 123 D seq.: *ἐπεὶ εἴ γε πύθοιτο* (i. e. *Ἄμηστρις*), *ὅτι ὁ Ἀλκιβιάδης οὗτος νῦν ἐπιχειρεῖ πρῶτον μὲν ἔτη οὐδέπω γεγονὼς σφόδρα εἴκοσιν, ἔπειτα παντάπασιν ἀπαίδευτος, πρὸς δὲ τούτοις, τοῦ ἐραστοῦ αὐτῷ λέγοντος ὅτι χρὴ πρῶτον μαθόντα καὶ ἐπιμεληθέντα αὑτοῦ καὶ ἀσκήσαντα οὕτως ἰέναι διαγωνιούμενον βασιλεῖ, οὐκ ἐθέλει, ἀλλά φησιν ἐξαρκεῖν καὶ ὡς ἔχει, οἶμαι ἂν αὐτὴν θαυμάσαι* . . . Accedit, quod nonnullis locis dicitur Alcibiadem, quae necessaria sint, discere debere, ut etiam civitas ex ipsius virtute maxima

commoda capiat ac beata fiat. Nisi id, quod supra scriptori in dialogo conficiendo propositum fuisse diximus, acceperimus, non explicari posse putamus, cur omnes, qui Atheniensium rem publicam capessiverint, gravissimis verbis reprehendantur, quod se ipsos prius non cognoverint. Certe is, qui hanc disputationem conscripsit, non dissuadet, ne homines rem publicam capessant, sed id postulat, ut, priusquam in publicum prodeant, quae necessaria sint, comperta habeant; civitatem enim, cum omnes, qui eam administraverint, imperiti fuerint, in tantam incidisse necessitatem.

Si iam Alcibiadis nomine neglecto in universum dicimus, quid scriptor hoc dialogo demonstrare voluerit, non errabimus dicentes scriptorem quam maxime reprehendere inertiam et magniloquentiam iuvenum, qui, quamquam nihil didicerint, rem publicam gerere velint. Se ipsos cognoscentes et virtutem exercentes et alios et, quae civitati saluti sint, cognituros esse ipsosque beatos fore et civitatem.

III. Quae in hoc dialogo a Platonis moribus atque consuetudine abhorreant.

Si quis ad solum huius sermonis argumentum eiusque tractationem spectaverit, certe hunc dialogum — si a Platone eum profectum esse sibi persuaserit — in iis, qui prima philosophi aetate orti sunt, referendum esse censebit, quod omnes fecerunt, qui Alcibiadem Platonis genuinum sermonem esse contenderunt. Sed si accuratius inspexeris, complura invenies, quae imitator ille neglexit quaeque a Platonis consuetudine et scribendi genere aliena sunt. Sed per se intellegitur multa in hac re erravisse eos, qui Alcibiadem priorem spurium esse voluerunt; nam etiam ea, quae ne Plato quidem aliter scripsisset, scriptori huius sermonis vitio dant. Haec igitur iterum recognoscemus et inquirere studebimus, utrum recte fecerint illi viri necne. Sed quo facilius haec materia perspiciatur, tribus partibus eam explicabimus: atque prima quidem de exteriore totius dialogi habitu et ornatu, altera de moribus eorum, qui in hoc dialogo et colloquentes inducuntur et commemorantur, acturi sumus, tertia parte illustrare conabimur, quae ad materiae ipsius tractationem spectant; quibus adiungemus quaestionem de particulis.

A. De exteriore habitu et ornatu dialogi.

Primum quidem a nonnullis viris Alcibiadis scriptori vitio tribuitur, quod legentes, ubi sermo factus sit, certiores non fiant. Stallbaumius

quidem, qui certum indicium dialogorum Platonicorum esse dixerat[1] locum accurate designari neque tamen hunc librum propterea spurium esse concedere volebat, eum Platoni servare studuit his verbis:[2] „Locus..., etsi non designatur accuratius, facile tamen cogitari potest percommodus: fingere enim licet adulescentulum Socrati casu in via publica obvium.“ Sed hac Stallbaumi interpretatione non erat opus; nam ne Plato ipse quidem in omnibus libris locum, ubi sermo habitus fingitur, accurate designavit: velut in Cratylo locus incertus est et in Menone, ubi Susemihlius Socratem cum Menone colloqui putat in aedibus Anyti, cum Mueller et Stallbaumius Socratem cum Menone consedisse contendant „sub divo in deversorio recessu“. Sed hae virorum doctorum opiniones, quae ne conveniunt quidem, nihil faciunt ad rem; cum constet Platonem ipsum locum nonnunquam non accurate designavisse, non habemus, cur hac de causa Alcibiadem priorem a Platonis nomine alienum esse dicamus.

Neque deinde dialogum spurium esse demonstrari potest, quod „πρόσωπα κωφά“ nondum inducuntur, quod C. Fr. Hermanno excusandum esse videtur, cum p. 433 dicat Platonem posteriore demum tempore didicisse praeter colloquentes etiam aliis uti personis, ut alacritatem sermoni adferret. At haec disputatio propter ipsum argumentum inter complures homines habita esse cogitari non potest, cum Alcibiades non sit is, cui Socrates ut sophistis vel hominibus imperitis illudere possit coram compluribus hominibus; neque enim dubium est, quin superbus adulescens statim iratus a Socrate discessurus fuerit.

Tum quod Schleiermacher longas illas in Alcibiade orationes maxime reprehendit atque vituperat, monendum est etiam Platonem dialogis suis longiores Socratis orationes inseruisse.[3] Iam Astius (p. 440) tractationem illam institutorum et morum Persarum et Lacedaemoniorum (p. 121 A—124 B) contra Schleiermacherum defendit eam insertam esse ratus, ut superbia et fastus adulescentis reprimerentur; Stallbaumius vero, quamquam in Alcibiade altero hac „macrologia“ utitur, ut dialogum spurium esse demonstret, in Alcibiade I. tales „declamatiunculas“ excusat. At dicendum est tales declamationes nusquam neque in Alcibiade I neque in II quidquam valere, ut dialogum spurium esse

[1] Disputatio de Platonis vita, ingenio et scriptis p. LIV.

[2] In Prolegomenis ad Alcib. I ed. II p. 209.

[3] ut in Crit. p. 52 D—54 D; Gorg. 464 B—466 A, 486 E—488 B, 507 A—509 C 511 C—513 C, 517 B—519 D, 522 E—527 E; Gorgiae ipsius (p. 456 A—457 C) et Calliclis (482 C—486 D) orationes nihil probant; Crat. 411 D—413 D, Theaet. 165 E—168 C; Phaedr. 238 D—241 D, 243 E—257 B. Neque illis verbis „ἔμοιγε δοκεῖ“ in Critone insertis quidquam probatur.

demonstremus, cum ne Plato ipse quidem aliter fecerit. Tum hoc quidem manifestum nobis esse videtur scriptorem nisi continua oratione, quae Persarum et Lacedaemoniorum instituta fuissent, referre non potuisse. Si cui denique illa declamatio molesta et taedii plena videatur esse, tractationem versuum Simonidis in Protag. 338E—347A evolvat, qua sine dubio animi nostri maxime fatigantur.

Quas res adhuc attulimus non censuimus scriptori vitio dandas esse. Sed longe aliter res se habet, quod imitator plane oblitus est aut ignoravit Platonem in minoribus sermonibus,[1] in quibus de virtute aliqua disserit ad certum finem aut ad certam virtutis definitionem non pervenire, sed legentes de ipsa re in dubio relinqui.[2] In hoc autem dialogo Alcibiades se nondum ea virtute praeditum esse confitetur, quae sibi, ut accedat ad rem publicam, necessaria sit, cognitione sui vel modestia, sine qua virtute neque ipse beatus esse possit neque civitas. Quod cum sine dubio a Platonis consuetudine alienum sit, iam unam rem habemus, qua usi dubitare possumus, num Alcibiades a Platone profectus sit.

B. De moribus eorum, qui in Alcibiade et colloquuntur et commemorantur.

Primum quidem Socratis, quales depinguntur, moribus maxime offendimur, cum minime iis respondeant, qui aut in genuinis Platonis libris inveniuntur aut in Xenophontis scriptis nobis occurrunt; primum quidem Socratis illa procacitas, qua adulescentem sibi conciliare studet, cum ex toto dialogi exordio, tum ex his verbis elucet p. 104 D: . . *εἰς τίνα ἐλπίδα βλέπων ἐνοχλεῖς με, ἀεὶ ὅπου ἂν ὦ ἐπιμελέστατα παρών.* Iam Astius (p. 437) suo iure observavisse mihi videtur scriptorem falso intellexisse verba in Plat. Symp. 213 B seq.: *(τὸν Ἀλκιβιάδη) ὁρᾶν τὸν Σωκράτη, ἰδόντα δὲ ἀναπηδῆσαι καὶ εἰπεῖν· Ὦ Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν; Σωκράτης οὗτος; ἐλλοχῶν αὖ με ἐνταῦθα κατέκεισο, ὥσπερ εἰώθεις ἐξαίφνης ἀναφαίνεσθαι ὅπου ἐγὼ ᾤμην ἥκιστά σε ἔσεσθαι.* Ut re vera vulgaris amator — ut ita dicam — Alcibiadem per longissimum temporis spatium sectatus tamquam custodiebat Socrates ille, qui *„ἀφροδισίων καὶ γαστρὸς πάντων ἀνθρώπων ἐγκρατέστατος ἦν“*.[3] Quae res nescio an ex initio Platonis Protagorae (309 A seq.: *Ἑτ.: Πόθεν, ὦ Σώκρατες, φαίνει; ἢ δῆλα*

---

[1] In horum numero Alcibiades prior, si genuinus esset, certe habendus esset.

[2] Conf. Prot. 361 A, Charm. 175 A seq., Lach. 199 E, Lys. 223 B, Hipp. min. 376 C, Meno 100 B, Theaet. 210 A seqq., Parmenid. 166 C; conf. Zeller, Phil. Graec. (ed. III) II 1 p. 425 adn. 2.

[3] Conf. Xen. Mem. I 2, 1; praeterea I 2, 29 et I 3, 14.

δή, ὅτι ἀπὸ κυνηγεσίου τοῦ περὶ τὴν Ἀλκιβιάδου ὥραν; et quae sequuntur) orta sit.

Sed haec leviora sunt; molestius enim Socratem ferimus suam ipsius institutionem et disciplinam nimis laudantem et se unum esse praedicantem, a quo Alcibiades rebus necessariis institui possit;[1] contra genuinus Plato et Xenophon semper discipulos magistrum laudantes inducunt. Sed ne in hac quidem re Socratem sibi constare recte mihi Kvíčala videtur observavisse. Nam Socrates, quamquam p. 124 C nisi se — deo adiuvante — neminem Alcibiadi gloriam comparaturum esse promisit et Alcibiades dixit: *Παίζεις, ὦ Σώκρατες,* respondet: *Ἴσως· λέγω μέντοι ἀληθῆ, ὅτι ἐπιμελείας δεόμεθα, μᾶλλον μὲν πάντες ἄνθρωποι, ἀτὰρ νώ γε καὶ μάλα σφόδρα.* „Quo igitur iure tam confidenter Alcibiadi illud promisit, si iam ipse dubitanter loquitur? Sive enim ipse opinabatur posse se Alcibiadem Deo iuvante ad summum gloriae potentiaeque fastigium perducere, non debebat concedere se iocari; sive illud simulavit, quo melius Alcibiadem posset allicere, eandem debebat personam tueri, quam susceperat.“[2]

Maxime autem offendimur reputantes, quae partes daemonio Socratis tributae sint. Primum igitur locos, qui huc pertinent, adferam: p. 103 A: . . . *τούτου δὲ τὸ αἴτιον γέγονεν οὐκ ἀνθρώπειον, ἀλλά τι δαιμόνιον ἐναντίωμα, οὗ σὺ τὴν δύναμιν καὶ ὕστερον πεύσει· νῦν δ' ἐπειδὴ οὐκέτι ἐναντιοῦται, οὕτω προσελήλυθα· εὔελπις δ' εἰμὶ καὶ τὸ λοιπὸν μὴ ἐναντιώσεσθαι αὐτό.* 105 D seq.: *τούτων γάρ σοι ἁπάντων τῶν διανοημάτων τέλος ἐ*[redacted]*θῆναι ἄνευ ἐμοῦ ἀδύνατον· τοσαύτην ἐγὼ δύναμιν οἶμαι ἔχειν εἰς τὰ σὰ πράγματα καὶ εἰς σέ· διὸ δὴ καὶ πάλαι οἶμαί με τὸν θεὸν οὐκ ἐᾶν διαλέγεσθαί σοι, ὃν ἐγὼ περιέμενον ὁπηνίκα ἐάσει. ὥσπερ γὰρ σὺ ἐλπίδας ἔχεις ἐν τῇ πόλει, οὕτω κἀγὼ παρὰ σοὶ ἐλπίζω μέγιστον δυνήσεσθαι ἐνδειξάμενος, ὅτι παντὸς ἄξιός εἰμί σοι, καὶ οὔτε ἐπίτροπος οὔτε συγγενὴς οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς ἱκανὸς παραδοῦναι τὴν δύναμιν ἧς ἐπιθυμεῖς πλὴν ἐμοῦ, μετὰ τοῦ θεοῦ μέντοι.*[3] *νεωτέρῳ μὲν οὖν ὄντι σοι καὶ πρὶν τοσαύτης ἐλπίδος γέμειν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ εἴα ὁ θεὸς διαλέγεσθαι, ἵνα μὴ μάτην διαλεγοίμην· νῦν δ' ἐφῆκεν.* 124 C *Σω.: Ὁ ἐπίτροπος ὁ ἐμὸς βελτίων ἐστὶ καὶ σοφώτερος ἢ [Περικλῆς] ὁ σός. Ἀλ.: Τίς οὗτος, ὦ Σώκρατες; Σω.: Θεός, ὦ Ἀλκιβιάδη, ὅσπερ σοί με οὐκ εἴα πρὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας διαλεχθῆναι· ᾧ καὶ πιστεύων λέγω, ὅτι ἡ ἐπιφάνεια δι' οὐδενὸς ἄλλου σοι ἔσται ἢ δι' ἐμοῦ.*[4] Sed quo facilius hos

---

[1] Locos, qui huic rei documento sunt, cum una cum iis inveniantur, quibus genii Socratis mentio fit, statim proferam.

[2] Kvíčala in disput. laud. p. 5.

[3] Quod hoc loco Socrates sua verba tamquam excusat addens *μετὰ τοῦ θεοῦ μέντοι*, scriptorem aliquanto post morum Socratis meminisse putaverim.

[4] Huc non pertinent loci p. 127 E et 135 D, ubi scriptum legimus *ἂν (ἐάν)*

Alcibiadis locos interpretemur et num a Platone scripti sint, diiudicemus, ceteros Platonis ipsius locos, quibus genius Socratis commemoratur, proferamus ad pervestigandum, quibus ii in rebus consentiant, quibus discrepent. Sunt autem loci hi:[1] Apol. 31 D: . . *ἐμοὶ δὲ τοῦτ' ἐστὶν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον φωνή τις γιγνομένη, ἣ ὅταν γένηται, ἀεὶ ἀποτρέπει με τούτου, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε·* . . . Perspicue Plato hoc loco dicit Socratem genio suo vetitum esse quidquam facere, non iussum. Idem ceteris locis Platonicis comprobatur: Apol. 40 A seq.: *ἐμοὶ δὲ οὔτε ἐξιόντι ἕωθεν οἴκοθεν ἠναντιώθη τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, οὔτε ἡνίκα ἀνέβαινον ἐνταυθοῖ ἐπὶ τὸ δικαστήριον, οὔτ' ἐν τῷ λόγῳ οὐδαμοῦ μέλλοντί τι ἐρεῖν· καίτοι ἐν ἄλλοις λόγοις πολλαχοῦ δή με ἐπέσχε λέγοντα μεταξύ· νυνὶ δὲ οὐδαμοῦ περὶ ταύτην τὴν πρᾶξιν οὔτ' ἐν ἔργῳ οὐδενὶ οὔτ' ἐν λόγῳ ἠναντίωταί μοι. τί οὖν αἴτιον εἶναι ὑπολαμβάνω; ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ· κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι . . . μέγα μοι τεκμήριον τούτου γέγονεν· οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον, εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν.* Theaet. 151 A: . . *ἐνίοις μὲν τὸ γιγνόμενόν μοι δαιμόνιον ἀποκωλύει ξυνεῖναι, ἐνίοις δὲ ἐᾷ καὶ πάλιν αὐτοὶ ἐπιδιδόασι.* Phaedr. 242 B seq.: . . *τὸ δαιμόνιόν τε καὶ [τὸ] εἰωθὸς σημεῖόν μοι γίγνεσθαι ἐγένετο — ἀεὶ δέ με ἐπίσχει, ὃ ἂν μέλλω πράττειν — καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι, ἥ με οὐκ ἐᾷ ἀπιέναι πρὶν ἂν ἀφοσιώσωμαι, ὥς τι ἡμαρτηκότα εἰς τὸ θεῖον.* Euthyd. 272 E: . . *ἀνισταμένου δέ μου ἐγένετο τὸ εἰωθὸς σημεῖον τὸ δαιμόνιον. πάλιν αὖ ἐκαθεζόμην.* Reip. l. VI 496 C: . . *τὸ δ' ἡμέτερον οὐκ ἄξιον λέγειν, τὸ δαιμόνιον σημεῖον· ἢ γάρ πού τινι ἄλλῳ ἢ οὐδενὶ τῶν ἔμπροσθεν γέγονε.* Euthyphr. 3 B: *Μανθάνω, ὦ Σώκρατες· ὅτι δὴ σὺ τὸ δαιμόνιον φῂς σαυτῷ ἑκάστοτε γίγνεσθαι.* Locis allatis, quid inter genuinum Platonem et Alcibiadis sciptorem intersit, iam dilucidum esse censemus. Ac primum quidem cum in Platonis libris genius Socratis nihil sit nisi vox vel signum quoddam — dicitur enim *φωνή, τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, τὸ δαιμόνιον, τὸ δαιμόνιον σημεῖον, τὸ δαιμόνιόν τε καὶ τὸ εἰωθὸς σημεῖον, τὸ εἰωθὸς σημεῖον τὸ δαιμόνιον* —, imitator ille sine dubio hunc Socratis genium falso intellectum deum ipsum interpretatus est: daemonium in personae notionem abiit (omnibus enim praeter p. 103 A locis *θεός*, atque adeo p. 124 C tutor Socratis appellatur), id quod postea antiquitate exeunte certe a plurimis credebatur.[2] Sed Platonem imitator ille optime videtur observavisse, quod nusquam Socratem a genio suo incitatum esse dicit, ut cum Alcibiade colloqueretur, sed omnibus locis

---

θεὸς ἐθέλῃ, quod nihil est nisi nostrum „So Gott will", quod apud Platonem saepius invenitur.

[1] Conf. Zeller, Phil. Graec. (ed. III) II 1 p. 73 seq.

[2] Cuius rei testimonia collegit Zeller, Phil. Graec. (ed. III) II 1 p. 70 adn. 1.

Socratem non prius sibi licuisse cum Alcibiade congredi confirmantem inducit.[1]

Deinde Platonis esse non potest, quod Alcibiadis scriptor totiens daemonium commemorat, cum Plato ipse in iis libris, quos modo attulimus, semel eius mentionem faciat, in una Apologia bis. Ceterum iam id, quod Socrates in Alcibiade tribus locis (p. 105D, E, 124C) iisdem verbis (τὸν θεὸν οὐκ ἐᾶν διαλέγεσθαι) dicit se impeditum esse a deo, quominus ad Alcibiadem accederet, satis documento est Platonem non fuisse auctorem huius sermonis. Restat, ut breviter perstringamus, quae partes genio Socratis tribuantur: primum quidem manifestum est Alcibiadem, qui Socratem contemnit (conf. initium) et hominem sibi molestum, quod se sequatur, verbis castigaturus est, daemonii vi et potentia commotum Socrati se erudiendum dare; tum genius vim quandam habet, quam Alcibiades postea intellecturus sit (p. 103B), sine qua adulescens, quae sibi proposuerit, perficere nequeat, qua denique Socrates apud Alcibiadem plus valeat quam ipsius propinqui et consanguinei. Reputantes igitur, quomodo in Alcibiade genius Socratis tractetur et depingatur, certe dialogum superstitioso — ut ita dicam — viro posterioris aetatis ascribemus; facile enim fieri potuit, ut daemonium a Platonis, Xenophontis, aliorum Socraticorum discipulis falso intellegeretur et in maius augeretur. A tali quodam viro etiam Theages, qui ut Alcibiades in Thrasylli demum librorum Platonicorum tetralogiis Platoni tribuebatur, conscriptus est; in quo libro similia nobis occurrunt; copiose enim narrantur, quae in aliis daemonium Socratis effecerit, sed nondum deus ut in Alcibiadis dialogo, sed vox quaedam ut in genuinis Platonis scriptis esse fingitur. Ceterum Theagis auctor iisdem fere verbis quattuor locos, quibus verus Plato daemonii mentionem facit, in dialogum suum intrusit.[2] — Sed iam sat de Socratis moribus; persuasum enim habemus Platonem plane aliter magistrum suum depicturum fuisse.

Non minus quam Socratis mores Alcibiadis, quales in hac disputatione nobis occurrunt, animos nostros offendunt. Nam cum eum Plato pulcherrimam et gravissimam orationem, qua Socratem usque ad caelum tollit, habentem fingat,[3] apud Xenophontem[4] Periclem eloquentia

[1] Hac in re Plato a Xenophonte differt, qui in Memor. I 1, 4 narret Socratem a genio etiam aliquid facere iussum esse.

[2] Theag. 128D et Apol. 31D; Th. 128E et Apol. 40B; Th. 129B et Euthyd. 272E; Th. 129E seqq., Theaet. 151A. Praeterea scriptor ille etiam aliis dialogorum Platonicorum locis usus est velut Apol., Conviv., Gorg., Rei publ.; neque Alcibiades prior ei ignotus fuit.

[3] in Plat. Symp. p. 215 seqq.

[4] in Mem. I 2, 40 seqq.

et ingenio in disputatione de legibus aequiperet atque adeo maximis eum angustiis circumcludat, idem adulescens, qui permultum sophistis usus[1] certe ex eorum disciplina multa commoda traxerat, qui una cum Critia plurimum temporis consumpsit collocutus cum viris, qui rem publicam administrabant,[2] idem adulescens in hoc sermone inducitur homo stultus et ineptus, qui — ut iam Schleiermacher recte vidit — ne artem quidem, qua citharizando instituamur, invenire possit et diis demum huius artis, Musis, commemoratis artem musicam esse dicat.[3] An cum Stallbaumio hanc Alcibiadis irrisionem esse statuamus? Certe non opus erat „disserendi subtilitate", ut Alcibiades artem musicam cognitam haberet, quam sine dubio nemo Atheniensium viginti fere annorum ignorabat. Nos quidem ex hoc loco certissime imitatorem intellegi posse existimamus; nam materiam talem ita distrahere certe non Platonis est, qui verbum musicae item a Musis ortum esse dicit, sed quanto lepidius conf. Phaedr. 259 B: . . . *γενομένων δὲ Μουσῶν καὶ φανείσης ᾠδῆς*. Eodem modo p. 124 E seqq. Alcibiades operam dat, ut efficiat, quam artem optimi viri (*καλοὶ κἀγαθοί*) maxime colere debeant.[4] Neque est dubium — ut supra demonstravimus —, quin iam puer maxima cura et summo studio iis, quae tum discebant, institutus sit eiusque ingenium semper admirationi fuerit. Accedit, quod earum rerum, quas vir ad rem publicam aggrediens optime compertas habere debet, imperitissimus fingitur. Immo a Socrate non aliter tractatur ac puer a paedagogo.[5] Hos Alcibiadis illius superbi et gloriae cupidissimi mores esse quis est, qui credat?

Accedit, quod, si Plato re vera Alcibiadem conscripsisset, maxima difficultas exsisteret atque controversia, quae sine dubio discipulos eius et ipsum quoque non fugisset. In initio enim sermonis Alcibiadi plurimos fuisse amatores narratur, qui pulchritudine corporis allecti ei insidiarentur neque ulla re nisi intolerabili eius superbia[6] deterriti ab eo discessissent. P. 131 C seqq. autem ita depingitur, tamquam species corporis iam deflorescat vel defloruerit. Quae res cum iis, quae in Convivio narrantur, nequaquam concinunt. „Nam Socratis cum Alcibiade colloquium, quod in Alcibiade primo proponitur, aliquanto prius factum esse necesse est quam ea acciderint, quae in Symposio nar-

---

1 Alc. I 106 B.

2 Conf. Xen. Mem. I 2, 39.

3 Alcib. I p. 108 C seq.

4 Zeller, Zeitschrift für das Altertumswesen 1851 p. 260.

5 Conf. cum alia, tum 108 E seq.

6 Conf. 103 B seqq.

rantur[1] (217); primum enim, si scriptori fides habenda, Alcibiades Socratis consuetudinem aspernatus est; tum mutata animi sententia ipse Socratis amicitiam expetiit. Qui igitur putemus fieri potuisse, ut illo tempore Alcibiades iam deflorescceret, hoc iuventutis flore mirum in modum superbiret?“[2] Hoc Platonem sibi permissurum fuisse negamus. Quare iam dilucidum esse putamus mores Socratis, quales in hoc dialogo depinguntur, et Alcibiadis, quo Plato in suis dialogis plane aliter utitur, nullo modo a maximo illo philosopho proficisci potuisse.

Iam ad mores illorum virorum, qui ad rem publicam accesserunt, tractandos transeamus. In hac quidem re scriptor Platonem, nisi fallimur, rectissime intellexit. Nam Plato ipse iam apud antiquos gravissimus illorum obiurgator fuisse putabatur.[3] Maxime enim indignatus erat illis viris, qui communi illa virtute praediti, quae nihil perenne, nihil constans in se continet, „*θεία μοίρᾳ*“ i. e. forte quadam in hominibus inest, se civitatem regere posse opinabantur, cum vera virtus in scientia ipsa posita, qua sola homines ad alios edocendos et instituendos apti fierent, eos fugisset.[4] Itaque multis locis perniciosam eorum artem gravissimis verbis vituperavit.[5] Qua in re is, qui Alcibiadem conscripsit, magistrum secutus est. In quorum numero etiam Pericles habetur;[6] sed maximae culpae ei datur, quod non solum Alcibiadis pupilli educationi nullam operam navaverit, sed ne unum quidem Atheniensium meliorem reddiderit. Qui locus, cum totus ex Gorgia pendeat, iam hic adferendus est:

Gorg. 515 A: *ἔστιν ὅστις πρότερον πονηρὸς ὤν, ἄδικός τε καὶ ἀκόλαστος, καὶ ἄφρων, διὰ Καλλικλέα καλός τε κἀγαθὸς γέγονεν, ἢ ξένος ἢ ἀστὸς ἢ δοῦλος ἢ ἐλεύθερος; . . . τίνα φήσεις βελτίω πεποιηκέναι ἄνθρωπον τῇ συνουσίᾳ τῇ σῇ;*

Alc. 119 A: *Ἀλλὰ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων ἢ τῶν ξένων δοῦλον ἢ ἐλεύθερον εἰπέ, ὅστις αἰτίαν ἔχει διὰ τὴν Περικλέους συνουσίαν σοφώτερος γεγονέναι.*

---

[1] Alcibiades adulescens mirum quantum pulchritudine glorians putandus est; conf. 217 A: *ἐφρόνουν γὰρ δὴ ἐπὶ τῇ ὥρᾳ θαυμάσιον ὅσον.*

[2] Kvíčala in commentatione laudata p. 8.

[3] Conf. Zeller, Phil. Graec. (ed. III) II 1 p. 371 seqq.

[4] Zeller, Phil. Graec. (ed. III) II 1 p. 496 seqq.

[5] Polit. 302 A: *πολλαὶ* (sc. *πόλεις*) *μὴν ἐνίοτε καὶ καθάπερ πλοῖα καταδυόμεναι διόλλυνται καὶ διολώλασι καὶ ἔτι διολοῦνται διὰ τὴν τῶν κυβερνητῶν καὶ ναυτῶν μοχθηρίαν τῶν περὶ τὰ μέγιστα μεγίστην ἄγνοιαν εἰληφότων, οἵπερ τὰ πολιτικὰ κατ' οὐδὲν γιγνώσκοντες ἡγοῦνται κατὰ πάντα σαφέστατα πασῶν ἐπιστημῶν ταύτην εἰληφέναι.* Conf. etiam Apol. 21 C seq., Meno 99 B seqq., imprimis Gorg. 503 B, 515 D.

[6] Alc. 118 B seqq. Gorg. 515 D, 519 A.

Sed ne quis dicat Platonem hoc Gorgiae loco de Callicle uno verba facere; loquitur quidem de Callicle, sed Periclem et alios viros ob oculos ei versatos esse ex iis, quae sequuntur, elucet.

Qua de causa non habemus, cur scriptorem reprehendamus, cum a Platone ipso Periclem eosque viros, qui rem publicam gesserunt, haud aliter depictos esse manifestum sit. Restat, ut de Periclis filiis et Clinia, Alcibiadis fratre, quomodo inducantur, paucis disputemus. Et primum quidem Protagorae locum adferemus, quem scriptor sine dubio imitatus est.

Protag. 319 D: *μὴ τοίνυν ὅτι τὸ κοινὸν τῆς πόλεως οὕτως ἔχει, ἀλλὰ ἰδίᾳ ἡμῖν οἱ σοφώτατοι καὶ ἄριστοι τῶν πολιτῶν ταύτην τὴν ἀρετὴν ἣν ἔχουσιν οὐχ οἷοί τε ἄλλοις παραδιδόναι· ἐπεὶ Περικλῆς, ὁ τουτωνὶ τῶν νεανίσκων πατήρ, τούτους ἃ μὲν διδασκάλων εἴχετο καλῶς καὶ εὖ ἐπαίδευσεν, ἃ δὲ αὐτὸς σοφός ἐστιν οὔτε αὐτὸς παιδεύει οὔτε τῳ ἄλλῳ παραδίδωσιν, ἀλλ᾽ αὐτοὶ περιιόντες νέμονται ὥσπερ ἄφετοι, ἐάν που αὐτόματοι περιτύχωσι τῇ ἀρετῇ. εἰ δὲ βούλει, Κλεινίαν, τὸν Ἀλκιβιάδου τουτουὶ νεώτερον ἀδελφόν, ἐπιτροπεύων ὁ αὐτὸς οὗτος ἀνὴρ Περικλῆς, δεδιὼς περὶ αὐτοῦ, μὴ διαφθαρῇ δὴ ὑπ᾽ Ἀλκιβιάδου, ἀποσπάσας ἀπὸ τούτου, καταθέμενος ἐν Ἀρίφρονος ἐπαίδευε· καὶ πρὶν ἓξ μῆνας γεγονέναι, ἀπέδωκε τούτῳ οὐκ ἔχων ὅτι χρήσαιτο αὐτῷ.*

Alc. 118 D: *Σω.: Καλὸν γὰρ δήπου τεκμήριον τοῦτο τῶν ἐπισταμένων ὁτιοῦν ὅτι ἐπίστανται, ἐπειδὰν καὶ ἄλλον οἷοί τ᾽ ὦσιν ἀποδεῖξαι ἐπιστάμενον. Ἀλ.: Ἔμοιγε δοκεῖ. Σω.: Τί οὖν; ἔχεις εἰπεῖν, Περικλῆς τίνα ἐποίησεν σοφόν, ἀπὸ τῶν υἱέων ἀρξάμενος;*

Ἀλ.: Τί δ᾽, εἰ τὼ Περικλέους υἱέε ἠλιθίω ἐγενέσθην, ὦ Σώκρατες;

Σω.: Ἀλλὰ Κλεινίαν τὸν σὸν ἀδελφόν.

Ἀλ.: Τί δ᾽ αὖ Κλεινίαν λέγεις, μαινόμενον ἄνθρωπον;

Quis est, quin ex tenore utriusque loci videat alterum ex altero pendere? Ex quo loco quam facile fuerit Periclis filios stultitiae incusare, Cliniam hominem dicere insanientem optime cognoscimus simulque „quid inter hominem urbanum et venustum et elegantem intersit et protervum conviciatorem“.[1]

Ex iis, quae diximus, iam non dubitari posse putamus, quin Alcibiades dialogus a Platonis nomine alienus sit. Nunquam enim Plato Socratem et Alcibiadem sic depinxit, nusquam de Paralo et Xanthippo, Periclis filiis, neque usquam de Clinia sic locutus est. Neque ideo est mirum, quod non solum nos his rebus offendimur; iam antiqui valde indignabantur moribus illorum virorum depictis. Nam praeter Aristidem[2] et Athenaeum[3] plures fuisse puto, qui Platonem ob eam

---

[1] Cobetus in comment., quam supra laud., p. 370.

[2] Conf. supra p. 5 adnot. 3.

[3] l. XI 506 C: *τὰ μὲν οὖν κατὰ Ἀλκιβιάδου λεχθέντα σιωπῶ· ὅτι δὲ τὸν*

causam maxime vituperarent, quorum libri ad hanc aetatem non pervenerunt. Quare certe mirandum est neminem iam tum hunc Alcibiadem a Platone abiudicasse.

C. De materiae ipsius tractatione.

Supra longiorem illam orationem de Persarum et Lacedaemoniorum regibus, quae omnibus fere, qui Alcibiadem spurium dialogum esse censuerunt, maximae offensioni erat, recte se habere contendimus, cum ipse Plato tales orationes dialogis suis inseruerit. Hoc autem loco, quid de argumento dicendum sit, expediemus. Primum quidem Kvíčala [1] „si usquam, hic certe non Platonis, sed vani declamatoris“ manum vidit, quod nihil conferat ad finem, quem Socrates sibi proposuerit, ut Alcibiades sibi ipsi operam esse navandam intellegeret. Sed hunc locum doctus ille vir non satis recte intellexisse videtur. Qua oratione Socrates efficere vult, ut Alcibiades ultimis illis rebus, quibus superbia adfici possit, bonis corporis et generis nobilitate et divitiis, privetur, ut se non eum esse cognoscat, qui rei publicae praesit. Neque illi viro adsentiri possumus, cum dicit mollem atque delicatum Persarum cultum — vestitum, unguenta — inepte commemorari (p. 122 B), quo homines effeminentur potius quam ad virtutem excitentur. Cuius sine dubio propterea mentio fit, quo magis Persarum divitiae (nam nisi divitiis talem cultum corporis nulla alia re sibi comparare possunt) Alcibiadis mediocri rei familiari opponantur. Ceterum quem Socrates finem sibi proposuit, adsequitur: nam cum p. 119 B Alcibiades glorietur: *ἐγὼ γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι τούτων τῇ γε φύσει πάνυ πολὺ περιέσομαι*, oratione finita et superbia fracta ex Socrate quaerit p. 124 B: *Τίν' οὖν χρὴ τὴν ἐπιμέλειαν, ὦ Σώκρατες ποιεῖσθαι; ἔχεις ἐξηγήσασθαι; παντὸς γὰρ μᾶλλον ἔοικας ἀληθῆ εἰρηκότι.* Quod Kvíčala dicit scriptorem sibi non constare, cum, quamquam dilucide dixit Alcibiadem divitiis minime superbire (p. 104 B) [2], tamen divitias Persarum commemoraverit, equidem putaverim Alcibiadem omnium quidem rerum divitiis *ἥκιστα μέγα φρονεῖν*, sed tamen aliquid, et hoc loco sine dubio id agitur, ut Alcibiadi ne una quidem res remaneat, qua etsi paulum superbire possit; cui rei testimonio esse

Ἀθηναίων δῆμον εἰκαῖον εἴρηκε κριτὴν [ἔτι τε πρόκωπον] Λακεδαιμονίους δὲ ἐπαινῶν ἐπαινεῖ καὶ τοὺς πάντων Ἑλλήνων ἐχθροὺς Πέρσας καὶ τὸν ἀδελφὸν δὲ τοῦ Ἀλκιβιάδου Κλεινίαν μαινόμενόν τε ἀποφαίνει καὶ τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ἠλιθίους Μειδίαν τε ὀρτυγοκόπον καὶ τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον εὐπρόσωπον μὲν εἶναι, δεῖν δ' αὐτὸν ἀποδύσαντας θεωρεῖν.

[1] in comment. supra laud. p. 6.

[2] 104 B seq.: *προσθήσω δὲ καὶ ὅτι τῶν πλουσίων· δοκεῖς δέ μοι ἐπὶ τούτῳ ἥκιστα μέγα φρονεῖν.*

videtur, quod scriptor p. 107B tecte et urbane Alcibiadem fortunis suis superbire dicit: *εἰδότος γάρ, οἶμαι, περὶ ἑκάστου ἡ συμβουλὴ καὶ οὐ πλουτοῦντος.*[1] Iam Astius contra Schleiermacherum hanc orationem recte se habere contendit. Quod vero ille vir doctus laudem Persarum cum iis, quae in Legg l. III p. 694C commemorantur, pugnare dicit, non multum huic argumento tribuendum esse iam Kvíčala recte animadvertit: „Quidni enim, dixerit quispiam, Plato adolescens aliam de Persarum imperio institutisque opinionem habere potuerit atque postea provecta aetate, quum omnia ad severiorem normam exigeret?“

Hic paululum subsistamus quaesituri, utrum is, qui Alcibiadem priorem confecit, narrationem de Persarum moribus et institutis ex scriptore quodam prioris aetatis hauserit necne. Maxime est dolendum, quod ex libris eorum scriptorum, qui ante Herodotum fuerunt, imprimis Hecataei et Dionysi Milesiorum, Charonis Lampsaceni nihil fere servatum est, neque ex Hellanici, aequalis Herodoti, fragmentis quidquam discimus, quod huc pertineat. Herodotus demum primus de ratione, qua Persae pueros educaverint, nonnulla memoriae tradit: I 136: *παιδεύουσι δὲ (οἱ Πέρσαι) τοὺς παῖδας, ἀπὸ πενταέτεος ἀρξάμενοι μέχρι εἰκοσαέτεος, τρία μοῦνα, ἱππεύειν καὶ τοξεύειν καὶ ἀληθίζεσθαι. πρὶν δὲ ἢ πενταέτης γένηται, οὐκ ἀπικνέεται ἐς ὄψιν τῷ πατρί, ἀλλὰ παρὰ τῇσι γυναιξὶ δίαιταν ἔχει.* Sed hic locus Alcibiadis scriptoris exemplum esse non potuit: neque enim sunt, quae communia habeant hi loci: hic pueri a quinto usque ad vicesimum aetatis annum tribus rebus instituuntur, illic plane aliter res se habet. Tempore proximus Thucydides est, quem, cum nihil de educatione Persarum quod huc spectet, inseruerit, scriptor imitari non potuit. Sed praeter nonnullos viros recentiores iam antiqui scholiastae Alcibiadis scriptorem Xenophonte usum esse dicunt, quamquam nemo eorum adhuc, quid imitatus esset, demonstravit. Quos viros manifestum est adductos esse ad eam sententiam verbis p. 123B: *ἐπεί ποτ᾽ ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρὸς ἀξιοπίστου τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα,* quod nisi Xenophontem neminem ad regem Persarum profectum esse noverant rati idem esse *παρὰ βασιλέα ἀναβαίνειν* et *ἐπὶ βασιλέα.* Recte autem mihi Cobetus[2] observavisse et commemoravisse videtur differre inter se *παρὰ βασιλέα* et *ἐπὶ βασιλέα;* nam illud aut de legatis ad regem missis poni, aut si quis alius privatim regis conveniendi causa Susa profectus esset. Xenophon semper se una cum Cyro *ἐπὶ βασιλέα* profectum esse dicit. Iam hac una re Xenophontis libris in institutis

[1] Non video, cur Schanzius verba *καὶ οὐ πλουτοῦντος* contra fidem codicum deleverit. Nobis quidem recte ab ipso scriptore addita esse videntur.

[2] l. l. p. 380.

Persarum tractandis eum, qui Alcibiadem conscripsit, non esse usum mihi probatur.

Sed quaeramus, num ea, quae a scriptore huius dialogi de institutis Persarum narrantur, cum iis congruant, quae Xenophon in libris suis memoriae tradit. Iam institutio regum plane aliter depingitur. Xenophon enim de educatione Persarum haec dicit: Persarum pueri, in quibus — usque ad XII. aetatis annum[1] — etiam Cyrus, qui rex est futurus, a magistris educantur et compluribus artibus instituuntur. Ab aetatis anno XVI. vel XVII. in ephebis numerantur, inter quos decem annos esse debent, quibus peractis in numerum virorum recipiuntur; cum plus quinquaginta annos nati sunt — nam viginti quinque fere annos viri remanent — in senioribus numerantur.[2] De quibus rebus nihil apud Alcibiadis scriptorem invenias;[3] ubi regis filii a prima adulescentia ab eunuchis quam optimis privatim, non cum ceteris Persis educantur, a septimo usque ad quartum decimum aetatis annum equitando et venando instituuntur. Ab hoc anno a paedagogis, qui regii dicuntur, quattuor illis Platonicis, ut ita dicam, virtutibus erudiuntur. Quae p. 123B narrantur (*παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθήν, ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδόν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός. εἶναι δὲ καὶ ἄλλην ἣν αὖ καλεῖσθαι καλύπτραν, καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καλοὺς κἀγαθοὺς εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν τῆς γυναικός, καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων*) neque ex Cyri vita et educatione neque ex Anabasi hausta sunt, cum nihil tale ibi inveniatur.

Sed, dixerit quispiam, unum tamen cum Xenophonte congruit: pueros a magistris, non mulieribus, educari,[4] quod utrumque scriptorem maxime premere. Num autem Xenophon mulieres educantes inducere potuit? Minime. Nam viri solum pueros educare possunt in civitate, quam perfectissimam Xenophon mente sibi finxit. Eadem de causa in Alcibiade Persarum reges a viris educantur. Neque fortasse illum Antisthenis dialogum[5] exemplum huius narrationis fuisse concedemus; nobis enim persuasimus hanc ipsam partem scriptoris propriam esse, qua maxime gloriabatur. Hic enim occasio ei oblata erat ea, quae ipse mente sibi finxerat, expediendi, cum a nemine refutari posset, quod sine dubio varia de Persis narrabantur. Quam narrationem mente excogitatam esse quis est, quin videat?

---

[1] Conf. Cyri vit. et educat. I 3, 1: *Κῦρος γὰρ μέχρι μὲν δώδεκα ἐτῶν ἢ ὀλίγῳ πλεῖον ταύτῃ τῇ παιδείᾳ ἐπαιδεύθη.*

[2] De his rebus conf. eiusdem libri: I 2, 6 seqq.

[3] p. 121D seqq.

[4] Conf. Alc. p. 121D et Xen. Cyri vit. et educat. I 2, 5 seqq.

[5] *Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας* conf. Diog. L. l. VI 16.

Sed iam ad rem nobis propositam revertamur, ut inquiramus, utrum ii, qui scriptorem, quod materiam male tractaverit, reprehendunt, recte fecerint necne. Si igitur Kvíčala[1] — quod iam Schleiermacher fecit — locum p. 112E—113C, ubi disceptatur, uter sententiam dicat, qui interroget an qui respondeat, ineptissimum esse et scriptorem vanas argutias proferendi undecumque occasionem adripere neque quidquam hac disputatione effici dicit, iure mihi iam Stallbaumius hanc sententiam videtur refutavisse, quamquam ei non concesserim locum facetum et venustum esse. Sed tales quaestiones non minus sunt Socraticae atque imprimis in minoribus dialogis occurrunt. Eadem de causa haud dixerim disputationem p. 112E: *τὰ δύο τοῦ ἑνὸς ἑνὶ πλείω* Socrate indignam esse. Quam si quis aegre fert, conferat Charm. p. 168C et Theaet. p. 204B, ubi similia, quae per se ipsa intelleguntur, tractantur.

Neque sententiae eiusdem viri docti[2] adsentiri possumus, qui „circulum, quem dicunt, argumentationis“ invenit p. 120C, ubi „Alcibiades a Socrate interrogatus, num eodem, quo esset, statu manere an se ipsum curare vellet, respondit (p. 119B) cura non esse opus; esse enim eos, qui rem publicam administrarent, plerumque rudes; neque quum Socrates exposuisset debere eum ita se comparare, ut cum Persarum et Lacedaemoniorum regibus certamen posset subire, cura opus esse concessit, quod eos quoque, quippe qui a ceteris hominibus non multum differre viderentur, ipsa natura; nullo accedente studio, nulla opera, facile posset superare (p. 120C). Quid vero Socrates? *Πρῶτον μὲν ποτέρως ἂν οἴει σαυτοῦ μᾶλλον ἐπιμεληθῆναι, φοβούμενός τε καὶ οἰόμενος δεινοὺς αὐτοὺς εἶναι ἢ μή;*“ Quod ineptissimum esse Kvíčala dicit, cum Socrates oblitus sit id ipsum, i. e. cura sibi opus esse, ab Alcibiade negari. Sed Socrates non ignorat hoc ab Alcibiade non concedi, cum adulescens a p. 119B usque ad p. 120C nunquam destiterit dicere curam sibi non esse adhibendam. Quae res interrogatione p. 120C: *Σω.: Ἀλλ', ὦ ἄριστε, τὴν οἴησιν ταύτην σκόπει οἵαν ἔχεις* et iis, quae sequuntur, comprobatur, quibus Alcibiadi indirecte, ut ita dicam, demonstratur maxime necessariam esse curam sui ipsius. Nam sententia huius argumentationis sine dubio haec est: ‘Socr.: Mecum igitur reputa, quid tu sentias. Nonne tibi tutius esse putas, si hostes pertimescas? Alc.: Sane. Socr.: Si igitur hostes timens curam tui geres providens, ut ipse bonus sis, num tibi damnum adferes? Alc.: Minime, sed maximam utilitatem capiam.’ Quid? Hunc circulum argumentationis esse dicemus? Argumentatio, quantum videmus, rectissime procedit. Iam hac sententia

---

[1] p. 10 seq.

[2] p. 2.

Alcibiades convictus se curare sibi tutissimum esse concedit. Sed Socrates longiore illa oratione Alcibiadis superbiam plane frangit, ut Alcibiades oratione finita ex Socrate quaerat, quomodo curam sui gerat p. 124 B. Itaque Kvíčalae sententiam refutasse nobis videmur.

Neque adsentiri possumus iis, quae Cobetus (in Mnemos. N. S. II p. 385) protulit; dicit enim: „Difficile est non subridere in Alcib. p. 121 B ad haec: *(τῶν Λακεδαιμονίων βασιλέων) αἱ γυναῖκες δημοσίᾳ φυλάττονται ὑπὸ τῶν ἐφόρων, ὅπως εἰς δύναμιν μὴ λάθῃ ἐξ ἄλλου γενόμενος ὁ βασιλεὺς ἢ ἐξ Ἡρακλειδῶν.* Ephori, credo, rerum suarum sat agebant et in nota Lacaenarum licentia non poterant impotentium matronarum mores regere aut pudicitiam tueri, etiam si nihil aliud agerent.“ Quod neminem melius scire potuisse quam Alcibiadem, ex quo Timaea regina peperisset testibus Plut. Alcib. c. 23, Ages. 3, Athen. XII 535 B. Sed iam propter ipsam „Lacaenarum licentiam“ verisimile videtur nobis esse publice ephoros custodivisse, ne regina ex alio atque ex rege conciperet; praeterea hoc ephororum officium fuisse ipsis litteris probari potest.[1] Libenter autem concedimus posterioribus temporibus ingratum illud ephororum negotium in irritum cecidisse.

Tum intellegere non possumus, cur Schleiermacher[2] maxime reprehendat et molestissime ferat, quod Alcibiades Socrati dicit p. 132 B: *ἀλλὰ πειρῶ ἐξηγεῖσθαι, ὅντιν' ἂν τρόπον ἐπιμεληθεῖμεν ἡμῶν αὐτῶν,* cum colloquentem dedecere putet magistrum suum his verbis adhortari, tamquam parum ei confidat; praeterea apud Platonem tale quid inveniri negat excepto loco Philebi p. 51 D, ubi Protarchus Socrati dicit: *πειράθητι δὲ καὶ σὺ σαφέστερον ἔτι λέγειν,* quod Schleiermachero aliter usurpatum esse videtur atque illud *πειρῶ* in Alcibiade. Sed investigantibus nobis sex loci oblati sunt, quibus Socrates a colloquente hoc verbo admonetur: Phaed. 77 E: *καὶ ὁ Κέβης ἐπιγελάσας Ὡς δεδιότων, ἔφη, ὦ Σώκρατες, πειρῶ ἀναπείθειν.* Reip. l. V 450 C: *πειρῶ οὖν εἰπεῖν, τίνα τρόπον δεῖ γίγνεσθαι αὐτήν. Οὐ ῥᾴδιον, ὦ εὔδαιμον, ἦν δ' ἐγώ, διελθεῖν.* l. V 474 B: *ὡς ἔχων τοιοῦτον βοηθὸν πειρῶ τοῖς ἀπιστοῦσιν ἐνδείξασθαι ὅτι ἔχει ᾗ σὺ λέγεις. Πειρατέον, ἦν δ' ἐγώ,* . . l. VIII 544 B: . . *τὸ αὐτὸ ἐμοῦ ἐρομένου πειρῶ εἰπεῖν, ἅπερ τότε ἔμελλες λέγειν. Ἐάνπερ, ἦν δ' ἐγώ, δύνωμαι.* In Convivio Diotima Socrati dicit p. 210 A: *πειρῶ δὲ ἕπεσθαι, ἂν οἷός τε ᾖς* et E: *πειρῶ δέ μοι, ἔφη, τὸν νοῦν προσέχειν ὡς οἷόν τε μάλιστα;* quibus locis Socrates sane partes discipuli habet. Ceterum etsi hi loci praesto non essent — dixerit etiam quispiam hos locos nihil valere, cum Socrates ipse narrans inducatur — tamen scriptorem defen-

[1] Conf. Herod. V 39 seqq., Plut. Agis 11. Conf. Iwan Müller, Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft IV 1 p. 87.

[2] Adnot. ad Alc. p. 132 B.

dendum esse censemus; *πειρῶ* enim non significat „conare", sed „aggredere"; qua de causa ex hoc verbo colligi non potest discipulum Socrati parum confidere. Contra tota sententia, cum in tantas angustias Alcibiades adductus sit, suo loco posita est: adulescens enim superiore Socratis oratione commotus et vi veritatis perculsus a Socrate tamquam auxilium petit, quod iam Stallbaumius recte mihi observasse videtur.

Denique alteram Cobeti (ibid. p. 384) sententiam commemoremus; qui, quod iam Astius fecit, ex temporum rationibus argumentum quaesivit, quo Platoni Alcibiades dialogus abrogaretur; dicit enim: „Quamquam dialogi auctor in caeteris rationem temporum diligenter servavit, erravit tamen in eo quod scripsit pag. 118 C: *λέγεται . . . (ὁ Περικλῆς) οὐκ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου σοφὸς γεγονέναι ἀλλὰ πολλοῖς καὶ σοφοῖς συγγεγονέναι καὶ Πυθοκλείδῃ καὶ Ἀναξαγόρᾳ· καὶ νῦν ἔτι τηλικοῦτος ὢν Δάμωνι ξύνεστιν αὐτοῦ τούτου ἕνεκα.* Primum compositionis labem corrige reponendo: *ἀλλ' (ἄλλοις τε) πολλοῖς καὶ σοφοῖς συγγεγονέναι καὶ Πυθοκλείδῃ καὶ Ἀναξαγόρᾳ.* Fallitur autem quod putat Periclem anno 430, uno anno ante mortem, Damonis consuetudine usum esse. Diu ante Damon in exsilium ierat. Plutarchus in Pericle cap. IV: *ὁ Δάμων — ὡς μεγαλοπράγμων καὶ φιλοτύραννος ἐξωστρακίσθη,* et constans erat fama Periclem non aetate provectum sed iuvenem Damonis praeceptis esse institutum." Eodem pertinet, quod Agis, Archidami filius, p. 124 A rex dicitur, quamquam post mortem demum Periclis dux exstitit[1] et haec disputatio Pericle adhuc vivente habita esse fingitur. Nemo sanus negabit haec inter se non convenire. Sed num his causis permoti dialogum spurium esse contendemus? Nonne etiam in aliis Platonis ipsius libris tales errores inveniuntur? Quod saepius fieri neque viri Platonis periti ignorant[2] neque ipsum Cobetum fugit, cum in eiusdem Mnemos. voluminis p. 115 ad Gorgiam adnotet: „Diserte (Plato) definivit annum, quo haec a Socrate disputata finguntur p. 473 E: *καὶ πέρυσι βουλεύειν λαχὼν ἐπειδὴ ἡ ἐμὴ φυλὴ ἐπρυτάνευε καὶ ἔδει με ἐπιψηφίζειν γέλωτα παρεῖχον.* Ex hoc loco colligas anno 405 hos sermones haberi, sed p. 503 C commemorat *Περικλέα τουτονὶ τὸν νεωστὶ τετελευτηκότα.*" Mortuum esse Periclem, Cobetus pergit, viginti quattuor annis ante. Tum p. 472 A commemorari Niciam verbis: *μαρτυρήσουσί σοι Νικίας ὁ Νικηράτου καὶ οἱ ἀδελφοί.* Perisse autem Niciam ante octo annos in Sicilia. Deinde mentionem fieri Alcibiadis p. 519 A: *ἐπιλήψονται . . τοῦ ἐμοῦ ἑταίρου Ἀλκιβιάδου.* Anno 405 Alcibiadem exsulavisse. Quibus expositis, finem imponit verbis: „Haec igitur inter se aptare et componere velle

---

[1] Thucyd. III 89.

[2] De anachronismis, qui inveniuntur in Plat. dialogis conf. Zeller: Über die Anachronismen in den Platonischen Gesprächen. Abhandl. d. Berl. Akad. 1873.

dementia est. Insigniora etiam his Plato in Symposio et in Menexeno designavit." Manifestum igitur esse putamus hanc ob causam dialogum a Platone abrogari non posse.

Sed iam sat; illi vero, quae Platoni ignoscunt, ei, qui Alcibiadem conscripsit, vitio dant. Perspicuum est hos viros falsa hac ratione duci: si dialogus Platonis non est, scriptor omni modo vituperandus ac reprehendendus est, etiam in iis, quae ipse Plato vix aliter scripsisset.

Deinceps ea expediamus, quae a Platone profecta esse non videntur. Primum quidem *σωφροσύνη* varie definitur; cum p. 122 A[1] temperantiam vel moderationem significet, velut in Conv. 196 C, Rei publ. l. IV 430 E, Gorg. 491 D, paulo post p. 131 B *σωφροσύνη* se ipsum noscere est. Quae res per se non mira esset, nisi scriptor in hac disputatione efficere vellet modestiam esse sui cognitionem. Plato ipse nusquam, quantum sciam, in uno dialogo virtutem quandam varie definivit; cum in minoribus dialogis de virtute quadam disseritur variaeque definitiones proferuntur, scriptor, priusquam ad aliam definitionem accedat, priorem refutat[2] et in conclusione, quid ea virtus sit, in medio relinquit. Sed hoc loco Alcibiadis scriptor ex Platonis Republica illam modestiae definitionem p. 122 A sumpsit, id, quod eum fecisse postea demonstrabimus, at sibi demonstrandum esse, se noscere esse modestiam, non cogitavit. Hoc non Platonis, sed imitatoris est.

Neque Platone dignum esse putamus, quomodo scriptor illam sententiam, quam supra ex Legg. l. XII 959 A sumptam esse diximus, hominem esse animum, demonstrare studuerit. Conferas quaeso Platonem, ut brevibus quidem, sed gravissimis verbis illam sententiam proferat, cum is, qui Alcibiadem scripsit, p. 129 C seqq. primum argumentis comprobet eum, qui aliquid faciat, diversum esse a re, qua id faciat: ita sutorem (animum) diversum esse a scalpro (homine). Nobis quidem hic locus Platonis illo lepore carere videtur; neque hunc in tam gravi re tali exemplo usurum fuisse opinamur. Sed quoniam locum novimus, ex quo Alcibiadis scriptor hausit, facile nobis videre licet, quid intersit inter Platonis illam elegantiam et manum imitatoris, qui, quodcumque potuit, in dialogum intrusit.

Sed unum mihi omnes, qui hunc dialogum tractaverunt, omisisse et neglexisse videntur: illam de summo bono doctrinam diversam esse

---

[1] *ὁ δὲ σωφρονέστατος μηδ' ὑπὸ μιᾶς ἄρχεσθαι τῶν ἡδονῶν, ἵν' ἐλεύθερος εἶναι ἐθίζηται καὶ ὄντως βασιλεύς, ἄρχων πρῶτον τῶν ἐν αὑτῷ, ἀλλὰ μὴ δουλεύων.*

[2] Ita etiam in Charmide, ubi de modestia verba fiunt et quattuor definitiones reiciuntur; sed quartam, modestiam esse se ipsum noscere, Socrati maxime placere facile et manifesto cerni potest.

in Platonis libris et in Alcibiade. Plato quidem summum bonum virtutem esse dicit, sed praeter virtutem etiam corporis commoda in bonis refert.[1] Is autem, qui Alcibiadem contexuit, postquam antea omnibus corporis virtutibus et bonis, velut pulchritudine et genere et ceteris, meliores nos fieri non posse, itaque in bonis ea non habenda esse demonstravit,[2] unum solum bonum esse concedit, virtutem; quam cum civibus communicandam esse, ut civitas beata exsistat. Non igitur opus esse portubus neque moenibus ceterisque rebus, quae vulgo bona habeantur, sed una virtute.[3] Cui sententiae minime repugnat locus Gorgiae p. 517 C, 519 A, unde illum Alcibiadis locum ductum esse quis est, quin videat? Sed sententia totius loci aliquantum differt. Verus enim Plato viros, qui rem publicam administravissent, peccavisse dicit, quod bonis quidem, quae ad vitam communem utilia essent, sed nulla virtute civitatem imbuissent.[4] Plato praeter portus, naves, alia, etiam virtutem in civitate inesse voluit. Alcibiadis autem scriptor nisi virtutem nihil aliud civitatem iuvare posse dicit. Ex iis, quae protulimus, concludere posse nobis videmur scriptorem academicum quendam fuisse, qui sua de summo bono doctrina Platonem tamquam superare voluit; quod non mirabimur, cum iam oratione illa de Persarum institutis talis nobis evaserit, qui omnia numeris suis absoluta ac perfecta esse vellet. Itaque hoc quoque loco unum et summum bonum virtutem esse dicit neglectis iis, quae Plato in bonis refert.

Denique exitum dialogi commemoremus, ut, quomodo scriptor res inter se confuderit, dilucidum fiat. Ac primum quidem Kvíčala recte observavit non intellegi, quomodo scriptor dicere possit p. 134 A: *Σω.: Οὐκ ἄρα οἷόν τε, ἐὰν μή τις σώφρων καὶ ἀγαθὸς ᾖ, εὐδαίμονα εἶναι.* Ex iis enim, quae antecesserunt, dicere non potuit nisi: *ἐὰν μή τις σώφρων ᾖ,* quia de una modestia verba fecit. Neque scriptor demonstrandum sibi esse putat civitatibus opus esse virtute. „Nam ex iis, quae p. 134 B dicuntur: *οὐκ ἄρα οὐδ' ὁ πλουτήσας ἀθλιότητος ἀπαλλάττεται, ἀλλ' ὁ σωφρονήσας* certe non sequitur: *οὐκ ἄρα τειχῶν οὐδὲ τριήρων οὐδὲ νεωρίων δέονται αἱ πόλεις . . . ἄνευ ἀρετῆς. Σωφροσύνη* enim est *ἀρετή τις,* ut Platonis more loquar, non *ἀρετή.*"[5] Tum recte mirari se dicit idem vir doctus,

---

[1] Enumerantur duo bonorum genera: Legg. l. I 631 B, tria: Legg. l. III 697 B, Gorg. 451 E: *ὑγιαίνειν, καλὸν γενέσθαι, πλουτεῖν,* quattuor: Legg. l. I 631 C (II 661 A).

[2] Sed in ipso Gorgia (p. 451 E) divitiae et species corporis in bonis ducuntur.

[3] Alc. 134 B.

[4] Gorg. 519 A: *ἄνευ γὰρ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, λιμένων καὶ νεωρίων καὶ τειχῶν καὶ φόρων καὶ τοιούτων φλυαριῶν ἐμπεπλήκασι τὴν πόλιν.*

[5] Kvíčala p. 16.

quo iure iustitiae nomen intrudatur p. 134 C: *οὐκ ἄρα ἐξουσίαν σοι οὐδ' ἀρχὴν παρασκευαστέον σαυτῷ ποιεῖν ὅτι ἂν βούλῃ, οὐδὲ τῇ πόλει, ἀλλὰ δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην.* Nobis quidem scriptor crebra Platonis librorum lectione, cum persaepe nomina iustitiae et modestiae una invenirentur,[1] memoria tenuisse neque in hoc loco conscribendo, num apte ponerentur, consideravisse videtur. Sed hunc locum postea accuratius tractabimus.

Quoniam igitur omnes partes quaestionis, num Alcibiades dialogus a Platone profectus sit, tractavimus atque etiam, utrum viri docti, imprimis ii, qui dialogum spurium esse dixerunt, recte scriptorem vituperaverint necne, perpendimus, quae adsecuti sumus, brevibus comprehendere nobis liceat. Ne in una quidem ex tribus illis partibus, quibus de ea quaestione egimus, verus Plato nobis se ostendit. Imprimis autem nos offenderunt mores cum Socratis, tum Alcibiadis, quibus maxime commoti, licet cetera scriptori condonemus, dialogum a Platone abrogandum esse censemus.

De particulis quaestio.

Novissimo inquirendi et pervestigandi temporis, quo singuli Platonis dialogi scripti sint, genere, quod quidem particularum usu diligentissime observato continetur, Guilelmus Dittenberger[2] primus usus est. Quamquam exspectandum erat eos, qui de Platonis dialogorum temporibus inquirerent, statim iis, quae Dittenberger adsecutus erat, usuros esse, tamen Peipers, qui duobus annis post „Ontologiam Platonicam“ edidit, in p. 606: „quia tam diversis,“ inquit, „ab illius (Dittenbergeri) rationibus utebar, consulto in ordine dialogorum constituendo non respexi, nisi quod illius de Theaeteti tempore sententiam recordatus eo minus dubitavi eum dialogum provectiori philosophi aetati adscribere.“ Deinde Christius in Stud. Plat. p. 54 (506) subtiles et argutas quidem esse Dittenbergeri quaestiones concedit, sed certis de causis minime iis se usum esse profitetur.[3] Quibus viris ignoscendum esse putamus, quoniam usu venit, ut novum aliquod genus quaerendi primo tempore caute ac timide accipiatur. Illo enim tempore nisi de paucis particulis quaestiones nihil in publicum prodierat; praeterea uni quaestioni fides haberi non potest, sed quaestiones magis magisque auctae invicem se corrigent. Nos speramus una cum aliis argumentis

---

[1] velut: Meno 73 B, Phaed. 82 B, Protag. 323 A, Gorg. 504 D, 519 A, confer infra.

[2] in Hermae vol. XVI p. 321 seqq.

[3] Hos locos attulit M. Schanzius in quaestione, quam de particulis in Hermae t. XXI p. 439 seqq. instituit.

hac ratione quaestionem Platonicam fore, ut aliquando dirimatur.[1] Nam ordo dialogorum, quem complures viri constituere aggressi sunt, semper ab aliis alia ratione ductis immutatus est neque unquam contigit, ut duobus viris eadem esset sententia de gravissima illa quaestione. Itaque Dittenberger de hac re optime meruit et ordinem dialogorum constituit, quem in universum rectum esse ea re probatur, quod ea, quae suis investigationibus profecit, cum observationibus aliorum virorum, qui eandem viam ingressi sunt, mirum quantum congruunt. Tempore Dittenbergero proximus est M. Schanzius,[2] qui Dittenbergeri rationes recognovit, defendit, novis observationibus auxit. Deinde Constantinus Ritter[3] observationes sermonis varii generis ad dialogos Platonis constituendos adhibuit. Quos secutus est Joannes de Arnim,[4] qui omnes omnium dialogorum genuinorum adfirmationes indagavit. Hac igitur via videamus, num in dialogorum spuriorum quaestione aliquid proficere possimus, quam rationem iam Schanzius Clitophontem examinans in Herm. t. XXI p. 455 expertus est et Ritter, qui eam adhibuit in iis dialogis, qui iam ab antiquis spurii habebantur.

Primum igitur Dittenbergeri, deinde Schanzii, tum Ritteri, denique Joannis de Arnim observationes cum iis conferamus, quae in Alcibiade inveniuntur.

Quae Dittenberger[5] de particulae *μήν* vario usu observavit, haec sunt:

		καὶ μήν	*ἀλλὰ μήν*	*τί μήν;*	*γε μήν*	*ἀλλὰ . . . μήν*	Summa *μήν*
I	*Κρίτων* . . .	.	.	.	.	.	.
I	*Εὐθύφρων* .	1	1	.	.	.	2
I	*Πρωταγόρας* .	2	3	.	.	.	5
I	*Χαρμίδης* . .	2	2	.	.	.	7

[1] Confer etiam Th. Gomperzii Griechische Denker II p. 231 seqq.

[2] „Zur Entwicklung des Platonischen Stils“ in Hermae tom. XXI p. 439 seqq.

[3] „Untersuchungen über Plato. Die Echtheit und Chronologie der Platonischen Schriften.“ Stuttgart 1888.

[4] De Platonis dialogis quaestiones chronologicae in Schol. Rostoch. 1896/7. Conf. eiusdem orationem academicam: „Die Verwertbarkeit der sprachstatistischen Methode zu chronologischen Schlüssen“, quae publicata est in annalibus, qui inscribuntur „Zeitschrift f. d. österr. Gymnas.“ LI (1900) 481 seqq.

[5] Quae vir doctus errore omisit, iam in his tabulis emendavimus unum *τί μήν;* in Lyside et Re publica; unum *γε μήν* in Sophista, unum *τί μήν* in Phaedro conf. Ritter p. 15.

		καὶ μὴν	ἀλλὰ μὴν	τί μήν;	γε μὴν	ἀλλὰ . . . μὴν	Summa μὴν
I	Λάχης . . .	3	2	.	.	.	7
	Ἱππίας . . .	2	3	.	.	.	5
	Εὐθύδημος .	4	5	.	.	.	12
	Μένων . . .	5	5	.	.	.	10
	Γοργίας . .	9	11	.	.	.	24
	Κρατύλος . .	9	9	.	.	.	18
	Φαίδων . . .	7	10	.	.	.	20
II a	Συμπόσιον . .	9	2	.	1	2	15
	Λύσις . . .	2	2	1	.	4	11
	Φαῖδρος . .	3	4	12	1	1	24
	Πολιτεία . .	44	44	35	2	11	158
	Θεαίτητος . .	11	6	13	1	1	38
II b	Παρμενίδης .	25	25	6	5	2	81
	Φίληβος . . .	20	7	26	7	2	78
	Σοφιστής . .	24	10	12	6	2	72
	Πολιτικός . .	24	7	20	8	3	75
	Νόμοι . . .	36	8	48	24	2	166
	Ἀλκιβιάδης .	1[1]	8[2]	5[3]	.	1[4]	19[5]

Numeris singulorum Platonis dialogorum et Alcibiadis allatis videamus, quid inde concludere possimus. Cum particula *καὶ μὴν* nisi semel non inveniatur, dialogus — si Platonis est — in illis ponendus est, qui primo tempore scripti sunt. Sed si ad *ἀλλὰ μὴν* progredimur, iam scriptorem a Platonis consuetudine abhorrere videmus, cum numerus particularum et *καὶ μὴν* et *ἀλλὰ μὴν* aequaliter fere crescat exceptis dialogis posterioris aetatis; in Alcibiade autem unum *καὶ μὴν* invenitur, sed octies *ἀλλὰ μήν*. Quarum particularum ratio (1 : 8), cum nusquam apud Platonem inveniatur, perspicuum est dialogum a Platonis

[1] 130 A.
[2] 106 E, 108 A, 109 B, 110 A, D, 130 A, 134 D, E.
[3] 126 D, 129 C, 130 A, 132 C, 133 E.
[4] 119 C.
[5] Accedunt illa *μὴν* in p. 107 A, B, 122 E, 124 D.

scribendi genere discrepare. *Τί μήν;* autem et *ἀλλὰ ... μὴν* si respicimus, dialogus posteriori aetati tribuendus est. Ac si quis dixerit dialogum in universum ad eos libros pertinere, qui postrema aetate scripti sunt, quaestione de pugna particularum *ὥσπερ* et *καθάπερ* repellitur. In omnibus enim libris praeter Leges, Soph., Polit. Phileb. Timaeum, Critiam, in quibus *καθάπερ* saepius exstat, *ὥσπερ* multo crebrius est, cum *καθάπερ* aut raro aut non inveniatur.[1] Hic autem dialogus vicies[2] particulam *ὥσπερ,* nullo loco *καθάπερ* ostendit. Unde intellegitur dialogum extremae aetati adscribi non posse. Iam his Dittenbergeri observationibus in Alcibiade adhibitis suspicio oritur, sermonem, cum nulli philosophi aetati apte tribuere possimus, ab alio auctore confectum esse.

Sed videamus, quid Schanzii[3] quaestionibus proficiamus, qui (Herm. XXI 439 seqq.) particulas *τῷ ὄντι* et *ὄντως, ἀληθῶς, ὡς ἀληθῶς, ἀληθείᾳ, τῇ ἀληθείᾳ* examinavit:

	τῷ ὄντι	ὄντως	ἀληθῶς	ὡς ἀληθῶς	ἀληθείᾳ	τῇ ἀληθείᾳ
Apologia . .	5	.	1	2	.	3
Euthyphro . .	1	.	1	1	.	.
Gorgias . . .	9	.	.	7	.	6
Laches . . .	2	.	.	7	.	.
Lysis	6	.	.	2	.	.
Protagoras . .	2	.	1	2	3	1
Symposium . .	5	.	.	3	.	1
Phaedo . . .	17	.	2	11	.	.
Phaedrus . .	8	6	1	7	.	2
Cratylus . . .	1	1	.	3	.	4
Euthydemus .	4	1	1	2	.	2

[1] Conf. Dittenbergeri comment. laud. p. 337 seq.

[2] Qui loci sunt hi: 104E, 105D, 108B, D, E, 110D, 111C, 114B, C, 115C, 117C, 118C, 119A, 121A, 125C, D, 126A, 129C, 132D, 133A.

[3] Quae Schanzius errore omisit, ex Ritteri libro p. 15 adn. emendavi et substitui: in Phaed. accedunt tres *τῷ ὄντι;* in Conviv. unum *τῇ ἀληθείᾳ;* sed Schanzius suo iure pro *οὕτως* in codicibus BT *ὄντως* substituisse videtur (in Euthyd. 306A).

	τῷ ὄντι	ὄντως	ἀληθῶς	ὡς ἀληθῶς	ἀληθείᾳ	τῇ ἀληθείᾳ
Theaetetus . .	6	1	1	8	.	2
Respublica . .	41	9	8	28	.	15
Sophistes . .	1	21	6	3	.	.
Philebus . . .	.	15	7	.	1	.
Politicus . . .	.	11	4	.	.	1
Timaeus . . .	.	8	3	.	1	1
Leges	.	50	6	.	3	3
Alcibiades . .	2[1]	1[2]	.	1[3]	.	.

Iam primo conspectu apparet Alcibiadi dialogo, si Platonis est, nec inter primae nec inter postremae aetatis dialogos locum esse, sed in media potissimum dialogorum serie ponendum esse. Quamquam Alcibiades prior hac ratione adhibita tamquam sibi constat et Platonis speciem prae se fert, tamen satis profecisse nobis videmur, cum adhuc omnes viri docti, qui dialogum genuinum esse voluerunt, nisi primae aetati eum tribui non posse iudicaverint.

Deinde nos ad eas observationes sermonis in Alcibiade adhibendas accingamus, quibus Ritter, ut quaestionem Platonicam dirimeret, usus est. Ex cuius libello ea solum adferemus, quae huic quaestioni usui erunt quaeque ab aliis viris doctis nondum prolata sunt; itaque quae iam Dittenberger et Schanzius, postea Joannes de Arnim publici iuris fecerunt, hoc loco omittemus. Per se intellegitur nos neque hic ordinem dialogorum immutare neque eos dialogos, quos ille vir spurios vel dubios esse censuit, ordini inserere; praeterea etiam hic ea maxime valent, quae tamquam condiciones talis quaestionis commentationibus suis singuli viri praemiserunt.

[1] 114D, 119E.
[2] 122A.
[3] 119D.

	δῆλον ὡς	σχεδόν τι vel σχ... τι	σχεδόν	εἰς vel κατὰ δύναμιν
Laches	.	7	.	.
Charmides	.	3	1	.
Protagoras	.	3	.	.
Euthydemus	.	2	.	.
Cratylus	.	2	.	1
Apologia	.	.	2	.
Crito	.	2	1	.
Euthyphro	.	1	.	.
Gorgias	.	2	3	.
Phaedo	.	6	2	.
Meno	.	1	.	.
Symposium	.	3	.	.
Theaetetus	.	1	.	.
Phaedrus	3	.	4	1
Respublica	2	12	7	6
Sophistes	8	.	26	3
Politicus	2	.	13	11
Philebus	5	.	14	4
Timaeus	4	1	9	10
Critias	1	.	4	1
Leges	14	2	122	63
Alcibiades[1]	1[2]	2[3]	1[4]	1[5]

[1] Eas particulas, quibus nihil probatur, praetermisimus; sed expediemus, quoties in Alcibiade inveniantur: *δῆλον ὅτι:* 104 A, 114 C, 117 A (bis), 118 A, 120 D, E, 124 E (bis), 132 E; *ἔλεγον* in enuntiatis relativis 134 D et *εἶπον* 111 C, 130 E; *πότερον* ante vocalem: 107 A, 117 C, 119 A, 120 D; *πότερ'* 115 C; *μῶν* 113 A, 120 D,

εἴρηται	ἐῤῥήθη	πότερα ante conson.	καὶ πῶς;	ἢ οὔ;	— ἢ οὔ;	πῶς;
in enuntiatis relativis						
.	.	1	.	.	.	.
.	.	.	.	6	1	.
.	.	.	.	2	2	.
.	.	2	.	1	6	1
.	.	.	.	3	5	1
.	.	1	.	.	3	.
.	.	.	.	1	7	.
.	.	.	.	2	.	.
.	.	1	.	7	18	.
.	.	.	.	8	6	1
.	.	.	.	5	.	.
.	.	1	.	1	6	.
1	1	1	2	1	2	4
1	.	1	.	.	.	2
.	1	3	6	8	3	32
1	1	2	6	.	.	20
2	6	3	1	.	.	17
.	1	6	6	.	.	18
3	1	.	.	.	.	1
.	2	.	.	.	.	.
11	8	7	11	.	.	14
.	1[6]	.	1[7]	4[8]	2[9]	3 (1 πῶς;[10] 2 πῶς δή;[11])

125 E; ἴσως 104 C, 105 C, 110 D, 118 C, 123 C, 124 D, 127 A, 130 B, D, 133 D; τάχα (= ἴσως) 129 A, B; τὰ νυνδή 125 D.

[2] 114 A. [3] 106 E, 111 C. [4] 103 B. [5] 121 C.

[6] 130 D. [7] 134 C. [8] 109 C, 111 B, C, 115 B. [9] 116 C, 135 C. [10] 135 D. [11] 112 E, 120 D.

Nolumus multa verba facere. Unusquisque Alcibiadem non prima scribendi aetate litteris mandari potuisse — inveniuntur enim *δῆλον ὡς, ἐῤῥήθη, καὶ πῶς, πῶς (δή)* ter — concedet, sed iterum media fere aetate, si res sane levioris momenti neglegimus, quibus sermonem ne hic quidem apte poni posse demonstratur.

Sed maxime a Platonis scribendi genere imitator ille differt, si ea, quae Joannes de Arnim de Platonis dicendi usu atque consuetudine observavit, comparamus cum iis, quae in Alcibiade inveniuntur. Vir enim ille doctus ex omnibus Platonis dialogis adfirmationum varia genera, ut supra diximus, diligentissime collegit et quinque generibus comprehendit: „1. primum quod fit per adverbia, quae augendi vim habent (*πάνυ, μάλα, σφόδρα, παντάπασιν, ναί, πάντως, παντελῶς, ὑπερφυῶς, κομιδῇ*), quae cum particulis plerumque coniunguntur; in hac classe longe frequentissima sunt: *ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν;* 2. alterum, quod fit per enuntiatum, quo interrogantem vera, veri similia, necessaria, bene, pulchre, recte, dixisse statuitur (velut *ἀληθῆ λέγεις, ὀρθῶς λέγεις, ἔστι ταῦτα, οὕτως ἔχει, ἀληθῆ, ἀνάγκη, δῆλον*); 3. tertium, quod fit per adverbia *οὕτως, ὀρθῶς, καλῶς, ὀρθότατα, σαφέστατα,* ortum ex altero per ellipsin; nam partim *ἔστιν* vel *ἔχει,* partim *λέγεις* supplendum est; 4. quartum, quod fit per verba *φαίνεσθαι, δοκεῖν* (velut *φαίνεται, ἔμοιγε δοκεῖ, ἀληθῆ μοι δοκεῖς λέγειν*) *οἴεσθαι* (velut *οἶμαι ἔγωγε*), *εἰκός, ἔοικεν,* quo etiam adverbia *ἴσως, τάχ' ἄν, σχεδόν* mihi referre liceat; 5. quintum, quod fit per interrogationem rhetoricam (velut *πῶς δ' οὔ; πῶς γὰρ οὔ; τί μήν; τί δ' οὔ; τί γὰρ οὔ;*). Haec fere sunt genera affirmationum, non tam ad severam logicam vel grammaticam rationem exacta, quam quae dialogos perlustranti sponte se offerunt.“ Inquiramus igitur, quid nobis occurrat hanc rationem in Alcibiade sermone adhibentibus. Quod quo facilius fiat, tabulam numeris repletam addemus.

	I	II		III	IV
	summa adfirmationum	ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν		πάνυ γε (πάνυ μὲν οὖν)	δῆλον
Apologia	5	. . .		3 (0)	.
Crito	14	.		.	.
Euthyphro	44	21	B	13 (3)	.
Protagoras	40	16	B	3 (3)	.
Charmides	67	27	B	16 (0)	.
Laches	49	19	B	10 (6)	.
Hippias minor	58	32	A	3 (0)	.
Euthydemus	68	35	A	21 (4)	.
Meno	130	71	A	27 (5)	.
Gorgias	239	121	A	46 (8)	.
Cratylus	176	91	A	38 (15)	.
Phaedo	131	57	B	23 (21)	.
Symposium	27	11	B	7 (1)	.
Lysis	93	33	B	18 (1)	.
Phaedrus	62	11	C	1 (3)	1
Rei publicae l. I	100	36	B	17 (6)	.
II	70	14	C	4 (9)	.
III	103	16	C	3 (5)	1
IV	95	22	C	2 (8)	.
V	121	25	C	6 (7)	2
VI	74	7	C	0 (5)	1
VII	84	10	C	1 (5)	1
VIII	109	20	C	1 (10)	5
IX	95	14	C	3 (4)	3
X	74	24	D	2 (8) (22/61)	1
Theaetetus	198	58	D	5 (16)	1
Parmenides	298	97	D	28 (16)	1
Philebus	257	52	C	9 (23)	1
Sophistes	240	71	D	10 (14)	.
Politicus	210	54	D	7 (17)	4
Legum l. I	56	16	D	2 (5)	.
II	53	9	C	1 (3)	.
III	68	12	C	0 (12)	3
IV	31	6	C	0 (5)	.
VI	28	4	C	0 (4)	.
VII	62	13	C	1 (9)	.
VIII	16	1	C	0 (1)	.
IX	25	1	C	0 (1)	.
X	50	11	C	0 (4)	.
XI	2	.	C	.	.
XII	20	3	C	0 (2) (4/46)	.
Timaeus	9	.		2 (0)	.
Alcibiades	215	102		17 (4)	2[1]

[1] 132 C, D.

	IV	IV	IV
	ὀρθῶς λέγεις (ὀρθῶς)	οὕτως	ὀρθῶς et similia
Apologia	.	.	.
Crito	.	.	.
Euthyphro	1 (0)	semel invenitur	.
Protagoras	.	.	.
Charmides	1 (0)	.	.
Laches	.	.	.
Hippias minor	.	.	.
Euthydemus	.	.	.
Meno	.	.	.
Gorgias	.	.	.
Cratylus	.	.	.
Phaedo	.	.	.
Symposium	.	.	.
Lysis	1 (0)	invenitur	.
Phaedrus	1 (0)	„	2
Rei publicae l. I	1 (0)	.	1
II	0 (2)	.	2
III	1 (2)	invenitur	9
IV	1 (0)	.	2
V	2 (8)	invenitur	15
VI	1 (5)	„	10
VII	2 (3)	.	6
VIII	1 (1)	invenitur	4
IX	.	„	3
X	0 (2)	„	6
Theaetetus	3 (2)	„	7
Parmenides	2 (16)	„	18
Philebus	2 (0)	„	19
Sophistes	0 (10)	„	23
Politicus	0 (14)	„	38
Legum l. I	3 (2)	.	4
II	0 (2)	.	7
III	1 (0)	.	4
IV	.	.	1
VI	1 (0)	.	1
VII	2 (3)	.	5
VIII	0 (4)	.	5
IX	1 (1)	.	4
X	1 (2)	.	3
XI	.	.	.
XII	0 (2) (9/16)	invenitur	2
Timaeus	.	.	1
Alcibiades	2[1] (3)[2]	3[3]	3[4]

[1] 129 B, 132 E. [2] 126 B, 130 B, 131 C. [3] 117 C, 131 A, 133 B. [4] 126 B, 130 B, 131 C.

	IV	IV	IV	IV
	οἶμαι (ἐγώ) ξυννοίομαι etc.	interrogationes rhetoricae	*πῶς δ' οὔ;* (*πῶς γὰρ οὔ;*)	interrog. rhet. quae fiunt: *a*) per *τί* *b*) per *πῶς*
Apologia	. .	0 (5)	.	. .
Crito	.	2 (14)	1 (1)	. .
Euthyphro	.	6 (44)	2 (3)	.
Protagoras . . .	.	0 (40)	..	.
Charmides	.	3 (67)	2 (1)	.
Laches	.	4 (49)	0 (4)	..
Hippias minor . .	1	3 (58)	0 (1)	.
Euthydemus . . .	.	1 (68)	0 (1)	.
Meno	1	3 (130)	1 (2)	.
Gorgias	1	16 (239)	0 (16)	.
Cratylus	1	6 (176)	1 (4)	.
Phaedo	.	12 (131)	3 (9)	.
Symposium . . .	.	0 (27)	.	.
Lysis	1	10 (93)	2 (6)	3 (8)
Phaedrus	.	14 (62)	1 (1)	12 (2)
Rei publicae l. I	3	9 (100)	0 (9)	.
II	1	8 (70)	6 (1)	1 (7)
III	.	18 (103)	6 (6)	6 (12)
IV	.	14 (95)	5 (2)	7 (7)
V	1	10 (121)	4 (2)	4 (6)
VI	.	14 (74)	6 (1)	7 (7)
VII	(1) (1)	12 (84)	5 (3)	4 (8)
VIII	2	15 (109)	1 (5)	10 (6)
IX	1	14 (95)	4 (5)	7 (10)
X	2	11 (74)	4 (3)	3 (8)
Theaetetus . . .	.	23 (198)	5 (3)	15 (8)
Parmenides . . .	.	38 (298)	23 (6)	9 (29)
Philebus	.	59 (257)	8 (17)	34 (25)
Sophistes	.	49 (240)	12 (22)	15 (34)
Politicus	.	46 (210)	14 (10)	22 (24)
Legum l. I . . .	.	15 (56)	3 (5)	7 (8)
II . . .	.	13 (53)	1 (4)	8 (5)
III . . .	.	20 (68)	3 (5)	12 (8)
IV . . .	1	8 (31)	0 (5)	5 (5)
VI . . .	.	11 (28)	0 (6)	6 (6)
VII . . .	.	20 (62)	4 (8)	8 (12)
VIII . . .	.	3 (16)	0 (2)	6 (2)
IX . . .	.	5 (25)	1 (2)	1 (4)
X . . .	.	6 (50)	0 (3)	3 (3)
XI . . .	.	0 (2)	.	.
XII . . .	.	4 (20)	0 (2)	2 (2) [58 (55)]
Timaeus	.	0 (9)	.	.
Alcibiades	3[1]	23[2] (215)	6 (11)	6 (17)

[1] 110E, 117A, 127B. [2] *πῶς δ' οὔ;* 108B, 116B, 117E, 127A, 134A, 135C, *πῶς γὰρ οὔ;* 106D, 107B (bis), 111B, 115D, 116B, 117B, 125A, 127C, 129C, 134C, *τί γὰρ κωλύει;* 113E. Accedit Dittenbergeri *τί μήν;* (quinquies).

	V	V	VI		
	μάλιστα et similia	*ἀνάγκη* et similia	a) *ἔμοιγε δοκεῖ* b) *δοκεῖ μοι* etc. c) *ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ*		
Apologia	1	.		.	
Crito	.	1	1 *a*		
Euthyphro	1	2		.	
Protagoras	2	3	1 *a*		
Charmides	2	4	1 *a*		
Laches	.	1	3 *a*	1 *b*	
Hippias minor	4	.	1 *a*		
Euthydemus	2	1	1 *a*		
Meno	3	4	5 *a*	3 *b*	
Gorgias	4	11	4 *a*		
Cratylus	2	2	10 *a*	7 *b*	
Phaedo	1	9	2 *a*	1 *b*	
Symposium	1	1		1 *b*	
Lysis	.	7	3 *a*	2 *b*	
Phaedrus	1	1		.	
Rei publicae l. I	1	5	2 *a*	1 *b*	
II	1	3		3 *b*	
III	1	6	3 *a*	3 *b*	
IV	1	7		3 *b*	
V	4	3		.	
VI	.	5		3 *b*	
VII	2	4			1 *c*
VIII	2	6		1 *b*	1 *c*
IX	.	8			1 *c*
X	.	2		.	
Theaetetus	.	12	4 *a*	1 *b*	1 *c*
Parmenides	.	26	1 *a*		
Philebus	1	6			2 *c*
Sophistes	.	3		.	
Politicus	.	.		.	
Legum l. I	.	.		.	
II	.	1		.	
III	.	.		.	
IV	.	.		.	
VI	.	.		.	
VII	.	1	.	.	
VIII	.	.		.	
IX	.	.		.	
X	.	3		.	
XI	.	.		.	
XII	.	.			1 *c*
Timaeus	.	.		.	
Alcibiades	3[1]	8[2]	9 *a*[3]		1 *c*[4]

[1] 116 B, 128 C, 135 C (*μάλιστά γε*). [2] 106 E, 109 C, 116 C, 120 E, 133 E, 135 B, 127 C (*ἀνάγκη αὖ μοι δοκεῖ εἶναι*), 131 C (*ἀνάγκη φαίνεται ἐκ τοῦ λόγου*). [3] 108 C, 114 E, 116 A, 118 D, 125 E, 128 C, 130 E, 131 C, 133 B. [4] 128 A.

Iam quid ex tabulis superioribus fructus capere possimus, videamus. Universas igitur Platonis dialogorum particulas *ναί*,[1] *πάνυ γε*,[2] *πάνυ μὲν οὖν*[3] comparantes cum numero harum in „Alcibiade“ particularum, certe dialogum ad ordinem B referemus, in quo harum affirmationum summa „plus quam tertiam, sed minus quam dimidiam partem unius omnium summae“ efficit, ubi collocati sunt dialogi Euthyphro, Protagoras, Charmides, Laches, Phaedo, Convivium, Lysis, Rei publicae l. I. Quae particulae praeter Gorgiam in Alcibiade saepissime inveniuntur; cum vero Gorgias, qui paullo plus adfirmationum (239) habet et ter Alcibiadem complectitur, sexaginta septem solum *ναὶ* contineat, Alcibiades hanc particulam undeoctogies habeat, concludere possumus Alcibiadis scriptorem Platone minus sollertem et elegantem esse neque variatione delectari[4]; *ναὶ* enim vocula toties posita animi legentium maxime offenduntur. Comparantes deinde inter se *πάνυ γε* et *πάνυ μὲν οὖν* iam cogimur dialogum priori tempori tribuere, cum 17 *πάνυ γε* et quattuor solum *πάνυ μὲν οὖν* inveniantur.[5] Sub numero IV omnes eas posuimus observationes, quibus dialogum primae aetati adscribi non posse docetur, cum particulis sub numero V subiunctis nihil probetur nisi dialogum a Platone sene removendum esse. Contra si rationes adfirmationum *ἔμοιγε δοκεῖ* et *δοκεῖ μοι* etc. et *ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ* observamus, nobis quidem numeri probant Alcibiadem a Platone scribi

[1] 107B (bis), D (bis), E (bis), 108A, B, 109E, 110A, E, 111B, C, D, 112B, E (bis), 113B, 114B, C (ter), 115A (bis), B (bis), C, 115D_2 (recte), E (bis), 116A, B (ter), C, D, 117E (bis), 118A (bis), C, D, 124C, E (ter), 125A (bis), B (bis), C (bis), 126B, C (bis), D, E, 128B (bis), C (bis), 129B (ter), C (bis), D (ter), E (bis), 130A, B, 134D, E, 135B, C (bis).

[2] 107E, 108A, 109A, 111D, 113B, 114C, 115C, 116E, 117C, 118D, 125A, D, 128C, 129E, 132E, 133C, 134A.

[3] 104D, 115B, 130D, 131B.

[4] Eidem rei documento est saepissime (vicies quater: 106D, 107A, 108C, 109C, 110C, 111B, D, E, 112A, 117B, E, 118A, 124E, 125B (bis), C, D, E, 126E, 127A, 128A, 130D, 133E, 134A) particula *οὐ δῆτα* negari.

[5] Haec observatio magnos nobis fructus praebet, cum optime videre possimus, quem ad modum Plato illis particulis usus sit. Prima enim aetate multo saepius *πάνυ γε*, *πάνυ μὲν οὖν* rarius posuit (in uno Protagora totiens, quotiens *πάνυ γε*); atque adeo in Charmide et Hippia minore neglexit. Posteriore autem aetate — Rei publicae l. I huc non pertinet — contraria ratione usus est (in uno Timaeo bis *πάνυ γε* invenitur). Parmenides autem ex hoc ordine removendus est, cum 28 *πάνυ γε*, 16 *πάνυ μὲν οὖν* contineat. Qui dialogus, siquidem Platonis est (nonnulli viri docti velut Socher, Schaarschmidtius, Ueberwegius Parmenidem a Platone abiudicant, alii, quantas praebeat difficultates, concedunt), inter primos illos libros ponendus est, quod Apeltus fecit in „Untersuchungen über den Parmenides des Platon“ 1879 et Phil. Anz. 1887 p. 27. Confer etiam Gomperzii Griech. Denker II p. 436 seqq. et adnotationem, quae huc pertinet p. 591 seq.

omnino non potuisse, nullo autem modo fieri potest, ut priori tribuatur aetati. Quae ad ceteras affirmationes attinent, maximam partem in dubio relinquimur, quare hic adferre supervacaneum esse censuimus.

Quoniam ea, quae illi viri docti quaestionibus de particulis, adfirmationibus, interrogationibus adsecuti sunt, in Alcibiade adhibuimus, iam quae profecerimus paucis verbis comprehendamus. Facile intellegitur nihil nos antiquius habuisse quam ut Alcibiadem ad primam Platonis aetatem non pertinere demonstraremus, ut etiam ii viri docti, qui Alcibiadem illi aetati tribuebant, refellerentur. Sane etiam particulis confirmatum est Alcibiadi omnino in Platonis ipsius dialogis locum non esse, cum scriptor promiscue locutionibus quibusdam utatur, quas Plato certa quadam aetate non usurpabat. In nonnullis quidem rebus dialogus etiam cum libris Platonicis prima aetate conscriptis concinit; sed ex aliis particulis et interrogationibus manifesto elucet dialogum, si Platonis est, certe ad posteriorem pertinere aetatem. Quae cum ita sint, iam quae nobis proposuimus, adsecuti sumus. Omnes enim viri, qui Alcibiadem dialogum Platonis genuinum esse voluerunt, prima aetate eum conscriptum esse consentiunt; nemo adhuc exstitit, qui posteriori aetati Alcibiadem adscriberet. Cum vero particulae et interrogationes quaedam adhibeantur, quae in primae aetatis dialogis non leguntur, quaestio iam ad finem perducta est: ex sententia illorum virorum, qui argumentum maxime spectabant, Alcibiades ad primam aetatem referendus est, propter illa sermonis indicia primae aetati tribui non potest: restat, ut a Platone alienus sit. Quam sententiam etiam ea confirmant, quae supra a Platonis consuetudine abhorrere diximus.[1]

---

[1] Praeter quaestiones horum virorum doctorum etiam alias de particulis quaestiones adhibuimus; sed cum inde nihil fere novi efficiatur, hoc loco praetermisimus. Ad hanc de usu loquendi quaestionem paululum adnotaverimus. Adhuc enim omnes, qui huic rei dabant operam, numeros particularum attulerunt neglecto maxime variorum dialogorum vario genere, neglectis personis. Nos quidem dialogorum sermonem etiam hoc modo observandum atque inquirendum esse censemus, quomodo eaedem personae in variis dialogis interrogantes vel respondentes inducantur. Compertum enim habemus Platonem Sophronis mimos maxime sibi adamasse atque eum nonnihil ex iis didicisse censuerimus. Tum videmus Platonem Agathoni tragoedo in Conviv. optime Gorgiae sermonem mutuatum esse et Phaedrum verum Lysiae discipulum induxisse. Itaque fieri posse putamus, ut, qua Plato erat diligentia in compositione, eaedem personae in variis dialogis iisdem moribus praediti sint eodemque sermone loquantur ut Hippias in Hipp. min. et Prot., Theaetetus in Theaet. et Soph., Crito in Crit. et Euthyd., Phaedrus in Phaedr. et Conviv. etc. Nescimus, an futurum sit, ut ex talibus inquisitionibus quaestio de particulis et de usu loquendi aliquid commodi capiat vel corrigatur.

IV. Quibus locis scriptor in Alcibiade conficiendo usus vel quos imitatus sit.

Difficillimum est inquirere, ex quibus dialogorum Platonis et Xenophontis locis scriptor Alcibiadis sententias suas deprompserit. Facile sane imitator agnoscitur, si in eadem re iisdem verbis usus est. Multo difficilior est quaestio, si sola sententia eadem est, verba differunt, quod nonnunquam in Alcibiade factum esse videbimus. Nostra quidem sententia est imitatorem non sine diligentia atque attentione Platonis libros legisse, multas sententias memoria tenuisse atque in suum librum ita transtulisse, ut singulae quidem sententiae congruerent, ea vero, quae antecedunt et sequuntur, iis, quae in exemplo inveniuntur, nonnunquam dissimillima essent. Itaque scriptorem partim scientem, partim inscium Platonis sententias libro suo inseruisse arbitramur.

Ac primum quidem nonnullos locos adferemus, quibus scriptorem ductum mores Socratis et Alcibiadis depinxisse per totum dialogum manifesto apparet. Qui loci sunt hi: Xenoph. Mem. I 2, 64: *(Σωκράτης) φανερὸς ἦν τῶν συνόντων τοὺς πονηρὰς ἐπιθυμίας ἔχοντας τούτων μὲν παύων, τῆς δὲ καλλίστης καὶ μεγαλοπρεπεστάτης ἀρετῆς, ᾗ πόλεις τε καὶ οἶκοι εὖ οἰκοῦσι, προτρέπων ἐπιθυμεῖν.* Sed scriptori etiam nota fuisse videtur sententia eiusdem libri I 2, 17: *Ἴσως οὖν εἴποι τις ἂν πρὸς ταῦτα ὅτι ἐχρῆν τὸν Σωκράτην μὴ πρότερον τὰ πολιτικὰ διδάσκειν τοὺς συνόντας ἢ σωφρονεῖν,* quo loco Xenophon de ipso Alcibiade et Critia verba facit. Hunc locum scriptori ob oculos versatum esse propterea veri simile est, quod diligentissime id vitat, quod Socrati vitio tribuebatur: itaque scriptor Socratem malas Alcibiadis cupiditates eximentem, atque priusquam iis, quae ad rem publicam capessendam necessaria sint, eum instituat, ad *σωφροσύνην* eum hortantem inducit. Sed ob hanc causam neminem fore putamus, qui dicat hanc esse summam totius dialogi. Supra enim diximus non esse veri simile dialogum ad Socratem defendendum conscriptum esse.

His locis Xenophonteis accedit unus locus Platonis Convivii p. 216 A, quem iam Astius (p. 436) attulit,[1] ubi Alcibiades ipse de Socrate dicit: *ἀναγκάζει γάρ με ὁμολογεῖν, ὅτι πολλοῦ ἐνδεὴς ὢν αὐτὸς ἔτι ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω.* Recte; nam Alcibiades in dialogo cogitur cum Socrate colloqui eique persuadetur, ut sibi primum consulat, deinde Atheniensium res gerat. Praeterea non est dubitandum, quin scriptor totum dialogum ad rationem illam Socraticam conformaverit in Plat. Apol. 36 B seq.: . . *ἐνταῦθα μὲν οὐκ ᾖα, οἷ ἐλθὼν μήτε*

[1] Confer etiam adnotationem Arnoldi Hug ad hunc Convivii locum.

ὑμῖν μήτε ἐμαυτῷ ἔμελλον μηδὲν ὄφελος εἶναι, ἐπὶ δὲ τὸ ἰδίᾳ ἕκαστον ἰὼν εὐεργετεῖν τὴν μεγίστην εὐεργεσίαν, ὥς ἐγώ φημι, ἐπιχειρῶν ἕκαστον ὑμῶν πείθειν μὴ πρότερον μήτε τῶν ἑαυτοῦ μηδενὸς ἐπιμελεῖσθαι, πρὶν ἑαυτοῦ ἐπιμεληθείη, ὅπως ὡς βέλτιστος καὶ φρονιμώτατος ἔσοιτο, μήτε τῶν τῆς πόλεως, πρὶν αὐτῆς τῆς πόλεως, τῶν τε ἄλλων οὕτω κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπιμελεῖσθαι. Imprimis dialogi finis documento est has sententias scriptori non ignotas fuisse.

Iam ad ipsos locos tractandos veniamus, quos is, qui Alcibiadem sermonem conscripsit, imitatus est. Gravissimus quidem est ille locus Legum 959 A seq., quem supra attulimus. Nobis quidem persuasimus singularem illam sententiam, quae nusquam invenitur: hominem esse animum, nisi ex illo loco falso intellecto explicari non posse; atque adeo scriptorem sibi conscium fuisse se illum locum non recte intellexisse opinamur; nam quamquam p. 130 C dixerat hominem esse animum, tamen paulo post (D) dicit: *οὐ γάρ που κυριώτερόν γε οὐδὲν ἂν ἡμῶν αὐτῶν φήσαιμεν ἢ τὴν ψυχήν*, quod ex sententia idem est, quod in Legibus dicitur. Praeterea eadem conclusionis verba mutato verbo *εἶναι* in *συμβαίνειν* magno argumento esse iam diximus. Quae omnia si consideraverimus, dubitari non posse putamus, quin scriptor Alcibiadis illo loco usus sit. Cum vero Leges ultimum opus fuisse neque a Platone expolitas esse constet et Alcibiadis scriptor, qui Leges iam noverat, necessario post Leges sive post Platonis mortem dialogum conscripserit, iam alios librorum Platonis locos adferre possumus, quibus imitator ille usus est.

Scriptorem etiam Platonis Rem publicam cognitam habuisse ex compluribus rebus cognoscitur. Ac primum quidem quattuor illae praecipuae virtutes, quibus in Alcibiade reges Persarum instituuntur (p. 121 seq.), una coniunctae primum in illis libris nobis occurrunt. Sane Plato antea in singulis dialogis singulas virtutes tractaverat, sed in Re publica demum quattuor illas virtutes comprehendit. In Protagora enim (p. 330 E seqq.) accedit quinta pietas (*ὁσιότης*), quae in Euthyphrone per se tractatur; eodem modo res se habet in Lach. p. 199 D et in Gorg. p. 507 C, ubi in modestia etiam sapientia inesse videtur. Xenophon in Memor. IV 6 pietatem, iustitiam, sapientiam, fortitudinem commemorat, sapientiam autem et modestiam non differre dicit (Mem. III 9, 4). In Rei publ. l. III 402 C et Theaet. 176 B Plato non id agit, ut omnes virtutes cardinales, ut ita dicam, enumeret.[1] Itaque cum apud Platonem quattuor illae virtutes nisi in Rei publ. l. IV nusquam inveniantur, necessario sequitur, ut scriptor ex hoc ipso libro virtutes illas deprom-

[1] Conf. Zeller, Philos. Graec. (ed. III) II 1 p. 748 adnot. 2.

pserit. Quae sententia vel ea re confirmatur, quod et in Alcib. p. 122 A et in Rei publ. l. IV p. 430 E *σωφροσύνη* temperantia esse dicitur. Quod per se non mirum est; nam aliis quoque locis sic definitur, sed id maxime offendit, quod scriptor in Alcibiade, quamquam *σωφροσύνην* esse se ipsum noscere demonstrare voluit (imprimis p. 131 B), tamen Rem publicam secutus est. Hac re sine dubio scriptorem illo Rei publicae loco usum et, cum in suo libro has virtutes tractaret, plane oblitum esse se modestiam aliter explicare velle demonstratur.

Praeterea ex Re publica sumptus est locus quidam, quo de locutionibus *φρόνιμος* et *ἀγαθός* agitur. Quamquam ea, quae antecedunt et sequuntur, differunt, tamen iisdem verbis alterum locum ex altero pendere satis efficitur:

Rei publ. l. I 349 E: *Οὐκοῦν καὶ ἅπερ φρόνιμον, ἀγαθόν, ἃ δὲ ἄφρονα, κακόν; Ναί.*	Alc. 125 A: *Σω.: Καλοὺς δὲ κἀγαθοὺς λέγεις τοὺς φρονίμους ἢ τοὺς ἄφρονας; Ἀλ.: Τοὺς φρονίμους. Σω.: Οὐκοῦν ὁ ἕκαστος φρόνιμος, τοῦτ᾽ ἀγαθός; Ἀλ.: Ναί. Σω.: Ὁ δὲ ἄφρων πονηρός; Ἀλ.: Πῶς γὰρ οὔ;*

Quem locum ex Re publica sumptum esse testari nobis videntur ea, quae et in Alcibiade et in Re publica non statim, sed paulo post sequuntur. Sed scriptorum ipsorum verba audiamus:

Rei publ. l. I 351 C seq.: *δοκεῖς ἂν ἢ πόλιν ἢ στρατόπεδον . . . πρᾶξαι ἄν τι δύνασθαι, εἰ ἀδικοῖεν ἀλλήλους; Οὐ δῆτα, ἦ δ᾽ ὅς. Τί δ᾽ εἰ μὴ ἀδικοῖεν; οὐ μᾶλλον; Πάνυ γε. Στάσεις γάρ που . . . ἥ γε ἀδικία καὶ μίση καὶ μάχας ἐν ἀλλήλοις παρέχει, ἡ δὲ δικαιοσύνη ὁμόνοιαν καὶ φιλίαν.*	Alc. 126 B seq.: *Τί δὲ δὴ πόλις; τίνος παραγιγνομένου καὶ ἀπογιγνομένου βελτίων τε γίγνεται καὶ ἄμεινον θεραπεύεται καὶ διοικεῖται; Ἀλ.: Ἐμοὶ μὲν δοκεῖ, . . ., ὅταν φιλία μὲν αὐτοῖς γίγνηται πρὸς ἀλλήλους, τὸ μισεῖν δὲ καὶ στασιάζειν ἀπογίγνηται. — Ἆρ᾽ οὖν φιλίαν λέγεις ὁμόνοιαν ἢ διχόνοιαν; Ἀλ.: Ὁμόνοιαν.*

Sine dubio Plato hoc loco de iustitia et iniuria verba facit, quod in Alcibiade primo conspectu non intellegitur; sed iustitiam scriptori iam ob oculos esse versatam nemo negabit, si ea quae sequuntur perlegerit. Paulo enim post (p. 127 C) iustitiae nomen apparet.

Ceterum primus Rei publicae liber locis abundat, quibus Alcibiadis scriptorem usum esse putamus; confer:

Rei publ. l. I 341 E: *Ὥσπερ, ἔφην ἐγώ, εἴ με ἔροιο, εἰ ἐξαρκεῖ σώματι εἶναι σώματι ἢ προσδεῖταί τινος, εἴποιμ᾽ ἄν, ὅτι παντάπασι μὲν οὖν προσδεῖται. διὰ ταῦτα καὶ ἡ τέχνη ἐστὶν ἡ ἰατρικὴ νῦν εὑρημένη, ὅτι σῶμά ἐστι πονηρὸν καὶ οὐκ ἐξαρκεῖ αὐτῷ τοιούτῳ εἶναι. . . .*	Alc. 126 A: *ὥσπερ ἂν εἰ σύ με ἔροιο· ἄμεινον διοικεῖται σῶμα καὶ σῴζεται τίνος παραγιγνομένου ἢ ἀπογιγνομένου; εἴποιμ᾽ ἂν ὅτι ὑγιείας μὲν παραγιγνομένης, νόσου δ᾽ ἀπογιγνομένης.*

Hoc loco optime ostenditur, qua ratione compilator ille usus sit. Nam cum partim iisdem quibus Plato verbis uteretur, tamen sententiam ipsam, ne iisdem verbis exprimeret, cavit.

In eodem Rei publicae libro sententiam corpus male administrari, si propria oculorum et aurium virtus desit, invenimus, quae etiam in Alcibiade occurrit; confer:

Rei publ. l. I 353B seq.: *Ἆρ' ἄν ποτε ὄμματα τὸ αὑτῶν ἔργον καλῶς ἀπεργάσαιντο μὴ ἔχοντα τὴν αὑτῶν οἰκείαν ἀρετήν, ἀλλ' ἀντὶ τῆς ἀρετῆς κακίαν; Καὶ πῶς ἄν; ἔφη· τυφλότητα γὰρ ἴσως λέγεις ἀντὶ τῆς ὄψεως. ... Οὐκοῦν καὶ ὦτα στερόμενα τῆς αὑτῶν ἀρετῆς κακῶς τὸ αὑτῶν ἔργον ἀπεργάσεται; Πάνυ γε.*	Alc. 126B: *τίνος δὲ (παραγιγνομένου ἢ ἀπογιγνομένου) ἄμεινον ὄμματα (διοικεῖται καὶ σῴζεται); ὡσαύτως εἴποιμ' ἂν ὅτι ὄψεως μὲν παραγιγνομένης, τυφλότητος δὲ ἀπογιγνομένης. καὶ ὦτα δὲ κωφότητος μὲν ἀπογιγνομένης, ἀκοῆς δὲ ἐγγιγνομένης βελτίω τε γίγνεται καὶ ἄμεινον θεραπεύεται.*

Mirum sane esset, si duo scriptores eodem sententiarum conexu, iisdem exemplis atque adeo iisdem fere verbis uterentur. Tum in Re publica (353D seqq.) haec fere sententia sequitur: 'Ut oculi et aures propriam virtutem habent, ita etiam animus, cuius virtus iustitia est.' Haec sententia in Alcibiade (133B seqq.) non tam manifesto elucet, cum totus locus ex variis sententiis compilatus sit, neque, cum verba non congruant, dici poterit alterum ex altero pendere. Sed hoc tantum dicere voluimus totum colorem horum locorum simillimum esse.

Mirum in modum dissentiunt loci Rei publ. l. IV 441D seqq. et Alcib. 126B seqq. Illo enim Rei publicae loco Plato eum iustum esse dicit, qui, quae sua sint, faciat.[1] Quam definitionem is, qui Alcibiadem composuit, iam cognitam habuit. Sed cum in Re publica demum haec definitio inveniatur, perspicuum esse putamus scriptorem inde hausisse. At mirum est Alcibiadis scriptori hanc definitionem displicuisse; nam varia virorum et mulierum studia adfert, ut — sophistis talis argumentatio digna fuit — contrarium evincat, quamquam, quid significet *τὰ αὑτοῦ πράττειν*, Plato locupletissime et clarissime in ipsa Re publica[2]

---

[1] Ceterum *τὰ αὑτοῦ πράττειν* apud Platonem saepius invenitur: quibus verbis modo *σωφροσύνη* definitur, velut in Tim. 72A et in Charm. 161B seqq., ubi quae in hac definitione non satis placeant, Socrates ostendit, modo philosophus *τὰ αὑτοῦ πράττει* (Gorg. 526C). Compluribus autem Rei publicae locis (IV 433A, 435B, 441D seq., IX 586E) *τὰ αὑτοῦ πράττειν* ad iustitiam pertinet. Nisi inde iustitiae definitionem depromere scriptor non potuit.

[2] l. V 452E seqq.: *Ἆρ' οὖν οὐ πρῶτον μὲν τοῦτο περὶ αὐτῶν ἀνομολογητέον, εἰ δυνατὰ ἢ οὔ, καὶ δοτέον ἀμφισβήτησιν εἴτε τις φιλοπαίσμων εἴτε σπουδαστικὸς ἐθέλει ἀμφισβητῆσαι, πότερον δυνατὴ φύσις ἡ ἀνθρωπίνη ἡ θήλεια τῇ τοῦ ἄῤῥενος γένους κοινωνῆσαι εἰς ἅπαντα τὰ ἔργα, ἢ οὐδ' εἰς ἕν, ἢ εἰς τὰ μὲν οἷά τε, εἰς δὲ τὰ οὔ, καὶ τοῦτο δὴ τὸ περὶ τὸν πόλεμον ποτέρων ἐστίν; ... αὐτοὶ*

explicavit: hanc locutionem non ad verbum esse intellegendam. Scriptori igitur, postquam argumentationem ad finem perduxit, contrarium evenit atque in Re publica:

Rei publ. l. IV 441 D: . . . *ἐκείνη γε (πόλις) τῷ τὸ ἑαυτοῦ ἕκαστον ἐν αὐτῇ πράττειν τριῶν ὄντων γενῶν δικαία ἦν. . . . . καὶ ἡμῶν ἕκαστος, ὅτου ἂν τὰ αὑτοῦ ἕκαστον τῶν ἐν αὐτῷ πράττῃ, οὗτος δίκαιός τε ἔσται καὶ τὰ αὑτοῦ πράττων.*	Alc. 127 C: *Δίκαια δὲ πράττουσιν ἢ ἄδικα, ὅταν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι πράττωσιν; Ἀλ.: Δίκαια· πῶς γὰρ οὔ; Σω.: Τὰ δίκαια οὖν πραττόντων ἐν τῇ πόλει τῶν πολιτῶν φιλία οὐκ ἐγγίγνεται πρὸς ἀλλήλους; Ἀλ.: Ἀνάγκη αὖ μοι δοκεῖ εἶναι . .*

Imprimis definitione iustitiae adducti sumus, ut hos locos alterum ex altero pendere statueremus. Sed operae pretium est inquirere, unde scriptor argumenta refutandi sumpserit. Quae in Charmide p. 161 E seqq. invenisse nobis videmur, ubi varia virorum et mulierum studia tractantur:[1] *Τί οὖν, ἦν δ' ἐγώ, δοκεῖ ἂν σοι πόλις εὖ οἰκεῖσθαι ὑπὸ τούτου τοῦ νόμου τοῦ κελεύοντος τὸ ἑαυτοῦ ἱμάτιον ἕκαστον ὑφαίνειν καὶ πλύνειν, καὶ ὑποδήματα σκυτοτομεῖν, καὶ λήκυθον, καὶ στλεγγίδα, καὶ τἆλλα πάντα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, τῶν μὲν ἀλλοτρίων μὴ ἅπτεσθαι, τὰ δὲ ἑαυτοῦ ἕκαστον ἐργάζεσθαί τε καὶ πράττειν; Οὐκ ἔμοιγε δοκεῖ, ἦ δ' ὅς.* Quem locum re vera scriptori ob oculos esse versatum verba quidem, cum differant, non testantur, sed ex eo intellegitur, quod utroque loco in Alcibiade et in Charmide hac disputatione finita variis verbis eadem sententia proponitur:

Charm. 162 D seq.: *Ἀλλ', ὦ βέλτιστε, ἔφην ἐγώ, Κριτία, τοῦτον μὲν οὐδὲν θαυμαστὸν ἀγνοεῖν, τηλικοῦτον ὄντα· σὲ δέ που εἰκὸς εἰδέναι καὶ ἡλικίας ἕνεκα καὶ ἐπιμελείας.*	Alc. 128 D seq.: *Σω.: Ἀλλὰ χρὴ θαῤῥεῖν. εἰ μὲν γὰρ αὐτὸ ᾔσθου πεπονθὼς πεντηκονταετής, χαλεπὸν ἂν ἦν σοι ἐπιμεληθῆναι σαυτοῦ· νῦν δ' ἣν ἔχεις ἡλικίαν, αὕτη ἐστὶν ἐν ᾗ δεῖ αὐτὸ αἰσθέσθαι.*

Dubium esse non potest, quin scriptor hunc Charmidis locum imitatus sit. Hic enim Socrates Charmidem, qui adulescentulus nondum omnium rerum peritus est, excusat, sed Critias reprehenditur, qui ea

---

γὰρ ἐν ἀρχῇ τῆς κατοικίσεως, ἣν ᾠκίζετε πόλιν, ὡμολογεῖτε δεῖν κατὰ φύσιν ἕκαστον ἕνα ἓν τὸ αὑτοῦ πράττειν. Ὡμολογήσαμεν, οἶμαι· πῶς γὰρ οὔ; Ἔστιν οὖν ὅπως οὐ πάμπολυ διαφέρει γυνὴ ἀνδρὸς τὴν φύσιν; Πῶς δ' οὐ διαφέρει; Οὐκοῦν ἄλλο καὶ ἔργον ἑκατέρῳ προσήκει προστάττειν τὸ κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν; Τί μήν; Πῶς οὖν οὐχ ἁμαρτάνετε νῦν καὶ τἀναντία ὑμῖν αὐτοῖς λέγετε, φάσκοντες αὖ τοὺς ἄνδρας καὶ τὰς γυναῖκας δεῖν τὰ αὐτὰ πράττειν, πλεῖστον κεχωρισμένην φύσιν ἔχοντας;

[1] Sed nos non fugit ea, quae hoc Charmidis loco tractantur, non plane eadem esse atque in Alcibiade (126 E seqq.). Illic enim Socrates *τὰ αὑτοῦ πράττειν* sic intellegit, ut quisque, quae ad se pertineant, ipse sibi comparet, ergo vir texat, lavet, calceos conficiat; labores non inter virum et mulierem divisi sunt. In Alcibiade autem viri et mulieris officia distinguuntur: mulier texit, vir pugnat; de quibus rebus sane consentire non possunt, cum quisque, quae sua sint, facere debeat. Conf. disputationem Th. Beckeri, Platos Charmides, Halle 1879 p. 35 seq.

propter aetatem iam scire debet. Eodem modo res se habet in Alcibiade priore: Alcibiades ne desperet, sed qua sit aetate det operam, ut, quae necessaria sint, addiscat, cum nondum quinquaginta annos natus sit, qua aetate addiscere vix possit. Similitudinem horum locorum elucere putamus.

Iam ea, quae ex Rei publicae libris sumpta esse videbantur, attulimus atque ex gravibus illis argumentis scriptorem iam Re publica usum esse probavimus.

Quoniam scriptorem Alcibiadis ex Charmidis dialogo hausisse demonstravimus, iam inquiramus, num etiam alios locos adhibuerit. Primum quidem sententia in Alcib. p. 132 A comparata est ad locum Charm. 154 D; utroque enim loco iisdem fere verbis eadem dicuntur, hic de Charmide, illic de Atheniensibus, ubi scriptor se etiam „doctum" esse praebuit pro Atheniensibus posito „magnanimo populo Erechthei":[1]

Charm. 154 D: *Καὶ ὁ Χαιρεφῶν καλέσας με, Τί σοι φαίνεται ὁ νεανίσκος, ἔφη, ὦ Σώκρατες; οὐκ εὐπρόσωπος; Ὑπερφυῶς, ἦν δ' ἐγώ. Οὗτος μέντοι, ἔφη, εἰ ἐθέλοι ἀποδῦναι, δόξει σοι ἀπρόσωπος εἶναι· οὕτως τὸ εἶδος πάγκαλός ἐστιν.* . . . E: *Τί οὖν, ἔφην, οὐκ ἀπεδύσαμεν αὐτοῦ αὐτὸ τοῦτο, καὶ ἐθεασάμεθα πρότερον τοῦ εἴδους;*

Alc. 132 A: . . *εὐπρόσωπος γὰρ ὁ τοῦ μεγαλήτορος δῆμος Ἐρεχθέως· ἀλλ' ἀποδύντα χρὴ αὐτὸν θεάσασθαι·*

Tum quis est, qui neget ex Charm. p. 171 D seq. Alc. p. 117 C seqq. pendere?

Charm. p. 171 D seq.: *εἰ μὲν γάρ, ὃ ἐξ ἀρχῆς ὑπετιθέμεθα, ᾔδειν ὁ σώφρων, ἅ τε ᾔδει καὶ ἃ μὴ ᾔδει, τὰ μὲν ὅτι οἶδεν, τὰ δ' ὅτι οὐκ οἶδεν, καὶ ἄλλον ταὐτὸν τοῦτο πεπονθότα ἐπισκέψασθαι οἷός τ' ἦν, μεγαλωστὶ ἂν ἡμῖν, φαμέν, ὠφέλιμον ἦν σώφροσιν εἶναι. ἀναμάρτητοι γὰρ ἂν τὸν βίον ἐζῶμεν αὐτοί τε [καὶ] οἱ τὴν σωφροσύνην ἔχοντες, καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ὅσοι ὑφ' ἡμῶν ἤρχοντο. οὔτε γὰρ ἂν αὐτοὶ ἐπεχειροῦμεν πράττειν ἃ μὴ ἠπιστάμεθα, ἀλλ' ἐξευρίσκοντες τοὺς ἐπισταμένους, ἐκείνοις ἂν παρεδίδομεν, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἐπετρέπομεν, ὧν ἤρχομεν, ἄλλο τι πράττειν ἢ ὅτι πράττοντες ὀρθῶς ἔμελλον πράξειν·*

Alc. 117 C seqq.: . . *Πότερον οὖν αὐτὸς περὶ ταῦτα δοξάζεις, ὅπως χρὴ σκευάζειν, καὶ πλανᾷ, ἢ τῷ ἐπισταμένῳ ἐπιτρέπεις; Ἀλ.: Οὕτως.* Gubernatori igitur navis committenda est. *Σω.: Οὐκ ἄρα περὶ ἃ μὴ οἶσθα πλανᾷ, ἄνπερ εἰδῇς ὅτι οὐκ οἶσθα; Ἀλ.: Οὐκ ἔοικα. Σω.: Ἐννοεῖς οὖν, ὅτι καὶ τὰ ἁμαρτήματα ἐν τῇ πράξει διὰ ταύτην τὴν ἄγνοιάν ἐστι, τὴν τοῦ μὴ εἰδότα οἴεσθαι εἰδέναι; Ἀλ.: Πῶς αὖ λέγεις τοῦτο; Σω.: Τότε που ἐπιχειροῦμεν πράττειν, ὅταν οἰώμεθα εἰδέναι ὅτι πράττομεν; Ἀλ.: Ναί. Σω.: Ὅταν δέ γέ πού τινες μὴ οἴωνται εἰδέναι, ἄλλοις παραδιδόασι; Ἀλ.: Πῶς δ' οὔ; Σω.: Οὐκοῦν οἱ τοιοῦτοι τῶν μὴ εἰδότων ἀναμάρτητοι ζῶσιν διὰ τὸ ἄλλοις περὶ αὐτῶν ἐπιτρέπειν; Ἀλ.: Ναί.*

[1] Hom. Il. II v. 547.

Haec sententia per se non tam singularis ex Charmide sumpta est; cui rei favet primum, quod scriptor iisdem quibus Plato verbis utitur, tum utriusque loci tenor: et hic et illic sermo est de iis hominibus, qui, cum sciant se nonnullarum rerum imperitos esse, tamen eas aggrediuntur; hanc summam esse stultitiam, cum, quae ipsi nesciamus, aliis permittenda sint.

Denique non dissimiles sunt conclusiones utriusque libri: et Alcibiades et Charmides magistro suo se erudiendum dat atque ab hoc ipso die se Socratem secuturum esse pollicetur; neminem usquam terrarum a magistro se removere posse. Quae sententia, cum saepius occurrat atque etiam a scriptore ipso inveniri potuerit, haud dixerimus conclusionem Alcibiadis dialogi ex Charmide pendere, sed eam propter similitudinem attulimus.

Restat, ut de illo *σωφρόνει* disputemus, quod in Alcibiade idem esse dicitur ac: Nosce te ipsum. *Σωφροσύνη* apud Platonem non solum temperantiam atque continentiam significat, sed etiam se ipsum nosse, velut in Phil. 19 C et in Tim. 72 A;[1] eodem modo explicatur in Charmide, ex quo Alcibiadis locum fluxisse putaverimus:

Charm.	Alcib.
Charm. 164 D seq.: *σχεδὸν γάρ τι ἔγωγε αὐτὸ τοῦτό φημι εἶναι σωφροσύνην, τὸ γιγνώσκειν ἑαυτόν, καὶ ξυμφέρομαι τῷ ἐν Δελφοῖς ἀναθέντι τὸ τοιοῦτον γράμμα. καὶ γὰρ τοῦτο οὕτω μοι δοκεῖ τὸ γράμμα ἀνακεῖσθαι, ὡς δὴ πρόσρησις οὖσα τοῦ θεοῦ τῶν εἰςιόντων ἀντὶ τοῦ χαῖρε, ὡς τούτου μὲν οὐκ ὀρθοῦ ὄντος τοῦ προςρήματος [τὸ χαίρειν] οὐδὲ δεῖν τοῦτο παρακελεύεσθαι ἀλλήλοις, ἀλλὰ σωφρονεῖν. οὕτω μὲν δὴ ὁ θεὸς προςαγορεύει τοὺς εἰσιόντας εἰς τὸ ἱερόν, διαφέρον τι ἢ οἱ ἄνθρωποι, ὡς διανοούμενος ἀνέθηκεν ὁ ἀναθείς, ὥς μοι δοκεῖ· καὶ λέγει πρὸς τὸν ἀεὶ εἰσιόντα, οὐκ ἄλλο τι ἢ σωφρόνει, φησίν. αἰνιγματωδέστερον δὲ δή, ὡς μάντις, λέγει. τὸ γὰρ Γνῶθι σαυτὸν καὶ τὸ Σωφρόνει, ἔστιν μὲν ταὐτόν, ὡς τὰ γράμματά φησιν καὶ ἐγώ.*	129 A: . . *καί τις ἦν φαῦλος ὁ τοῦτ' ἀναθεὶς εἰς τὸν Πυθοῖ νεών* .... 133 C: *Τὸ δὲ γιγνώσκειν αὑτὸν ὡμολογοῦμεν σωφροσύνην εἶναι; Πάνυ γε.* 124 A seq.: *πειθόμενος ἐμοί τε καὶ τῷ ἐν Δελφοῖς γράμματι, Γνῶθι σαυτόν.*

[1] Hos locos etiam Astius in lexico suo neglexit et, cum Charmidem spurium esse censeat, *σωφροσύνην* sic explicari a Platone alienum esse putat. Ceterum vel Schanzius et Schaarschmidtius Charmidem a Platone profectum esse negant. Quorum argumenta hic retractare nolumus, sed hoc tantum dicimus Charmidem nobis genuinum Platonis librum videri. Neque est verisimile scriptorem Charmide, si spurius esset, fonte dialogi sui usurum fuisse.

Sane Alcibiadis scriptor non omnes huius Charmidis loci sententias in dialogum suum recepit. Attamen ex iis, quas attulit, cognoscere possumus alterum locum ex altero pendere. Nusquam enim, quantum scimus, tam aperte illud *γνῶθι σαυτὸν* templo Delphico inscriptum idem esse dicitur ac *σωφρόνει* quam his locis.[1] Accedit, quod utroque loco illa virtute praeditos cognoscere nos posse dicitur, quid bonum, quid malum sit:

Charm. 174 D: *Οὐχ αὕτη δέ γε, ὡς ἔοικεν, ἐστὶν ἡ σωφροσύνη, ἧς ἔργον ἐστὶν τὸ ὠφελεῖν ἡμᾶς. οὐ γὰρ ἐπιστημῶν τε καὶ ἀνεπιστημοσυνῶν ἡ ἐπιστήμη ἐστίν, ἀλλὰ ἀγαθοῦ τε καὶ κακοῦ.*	Alc. 133 C: *Ἆρ' οὖν μὴ γιγνώσκοντες ἡμᾶς αὐτοὺς μηδὲ σώφρονες ὄντες δυναίμεθ' ἂν εἰδέναι τὰ ἡμέτερα αὐτῶν κακά τε καὶ ἀγαθά; Ἀλ.: Καὶ πῶς ἂν τοῦτο γένοιτο . .;*

Haec ex Charmide scriptor nobis lucratus esse videtur. Ad Gorgiam igitur adeamus, ex quo supra, ubi de moribus Periclis disputavimus, locum attulimus. Sed aliis quoque huius dialogi locis scriptor usus esse videtur. Ac primum quidem maxime est mirum, quod *σωφροσύνη*, ut supra monuimus, non *ἀρετή τις*, sed *ἀρετή* est (134 B: . . . *ἄνευ ἀρετῆς;* ex iis, quae antecesserunt, nisi *σωφροσύνη* alia virtus cogitari non potest), fons tamquam ceterarum virtutum. Talis sententia nisi ex Platonis Gorgia (507 C) vix aliunde hauriri potuit: . . *πολλὴ ἀνάγκη, ὦ Καλλίκλεις, τὸν σώφρονα, ὥσπερ διήλθομεν, δίκαιον ὄντα καὶ ἀνδρεῖον καὶ ὅσιον ἀγαθὸν ἄνδρα εἶναι τελέως* h. e.: modestus, cum iustus et fortis et pius sit, bonus vir est. Quem locum sic intellegendum esse iis docemur, quae antecedunt. Modestiam igitur matrem ceterarum virtutum esse ex hoc loco efficitur. Eadem sententia in Alcibiade occurrit; itaque illa verba huius loci exemplum fuisse putamus. Re vera scriptori illum locum ob oculos esse versatum inde intellegitur, quod eo adhibito conclusionem illam in Alcibiade, quam supra non aptam esse admonuimus, explicari posse nobis persuasimus. In Alcib. enim p. 134 A scriptum legimus: *Οὐκ ἄρα οἷόν τε, ἐὰν μή τις σώφρων καὶ ἀγαθὸς ᾖ, εὐδαίμονα εἶναι,* quamquam ex iis, quae antecedunt, nihil efficitur nisi: *ἐὰν μή τις σώφρων ᾖ.* In Gorgia autem haec dicuntur: 507 C: . . *πολλὴ ἀνάγκη, . . . τὸν δὲ ἀγαθὸν εὖ τε καὶ καλῶς πράττειν ἃ ἂν πράττῃ, τὸν δ' εὖ πράττοντα μακάριόν τε καὶ εὐδαίμονα εἶναι,* paulo post D: *εἰ δὲ ἔστιν ἀληθῆ,*

[1] Illis Philebi et Timaei locis *Γνῶθι σαυτὸν* non ad illud templo Delphico inscriptum refertur, sed in universum dicitur. Neque locus Xenophontis Mem. IV 2, 24 seq. quidquam probat, cum non dicatur se noscere idem esse ac *σωφρονεῖν*. Cetera, quae huic Xenophontis disputationi et Alcibiadi communia sunt (neque Euthydemus neque Alcibiades unquam ad se ipsos inquirendos aggressi sunt, quibus Socrates imprimis illo *Γνῶθι σαυτὸν* persuadet eos nihil scire, tum Socrati se erudiendos dant), ad Alcibiadem dialogum nihil pertinere putamus.

τὸν βουλόμενον, ὡς ἔοικεν, εὐδαίμονα εἶναι σωφροσύνην μὲν διωκτέον καὶ ἀσκητέον ... Hos duos locos is, qui Alcibiadem scripsit, in unum compilavit, sed, cum in Gorgia *ἀγαθός* recte positum sit (nam *ἀγαθός* idem est ac *σώφρων*), in Alcibiade moleste fertur. Quos locos hunc in modum compilatos esse putamus:

Gorg.: .. *τὸν δὲ ἀγαθὸν [εὖ τε καὶ καλῶς πράττειν ἃ ἂν πράττῃ, τὸν δ' εὖ πράττοντα μακάριόν τε καὶ] εὐδαίμονα εἶναι.*	Alc.: *Οὐκ ἄρα οἷόν τε, ἐὰν μή τις [σώφρων καὶ] ἀγαθὸς ᾖ, εὐδαίμονα εἶναι.*
... *τὸν βουλόμενον, ὡς ἔοικεν, εὐδαίμονα εἶναι σωφροσύνην μὲν διωκτέον καὶ ἀσκητέον.*	*Οὐκ ἄρα οἷόν τε, ἐὰν μή τις σώφρων [καὶ ἀγαθὸς] ᾖ, εὐδαίμονα εἶναι.*

Iam duae hae sententiae in unam confluunt. Praeterea scriptor ambiguam locutionem *εὖ* et *κακῶς πράττειν,* quae eodem Gorgiae loco invenitur, in Alcibiadem intrusit et iterum eodem loco posuit, ita ut dicere possimus totum illum sententiarum conexum ex Gorgia sumptum esse. Prior quidem pars (*εὖ πράττειν*) non satis concinit, sed altera ad verbum fere exscripta est:

Gorg. 507 C: ... *τὸν δὲ ἀγαθὸν εὖ τε καὶ καλῶς πράττειν ἃ ἂν πράττῃ, τὸν δ' εὖ πράττοντα μακάριόν τε καὶ εὐδαίμονα εἶναι, τὸν δὲ πονηρὸν καὶ κακῶς πράττοντα ἄθλιον.*	Alc. 134 D seq.: .. *Οὐκοῦν ὀρθῶς τε καὶ εὖ πράξετε; Ἀλ.: Ναί. Σω.: Ἀλλὰ μὴν οὕτω γε πράττοντας ὑμᾶς ἐθέλω ἐγγυήσασθαι ἢ μὴν εὐδαιμονήσειν.* 134 A seq.: .. *Κακῶς δὲ πράττων οὐκ ἄθλιος; Ἀλ.: Σφόδρα γε. ... Σω.: Οἱ ἄρα κακοὶ τῶν ἀνθρώπων ἄθλιοι; Ἀλ.: Σφόδρα γε.*[1]

Neque solum haec, sed alia etiam ex Gorgia pendere videntur:

Gorg. 517 C: *ναῦς δὲ καὶ τείχη καὶ νεώρια καὶ ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα καὶ ἐγώ σοι ὁμολογῶ δεινοτέρους εἶναι ἐκείνους* (viros) *τούτων ἐκποριζειν* ... 519 A: *ἄνευ γὰρ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης λιμένων καὶ νεωρίων καὶ τειχῶν καὶ φόρων καὶ τοιούτων φλυαριῶν ἐμπεπλήκασι τὴν πόλιν.*	Alc. 134 B: *Οὐκ ἄρα τειχῶν οὐδὲ τριήρων οὐδὲ νεωρίων δέονται αἱ πόλεις ... εἰ μέλλουσιν εὐδαιμονήσειν, οὐδὲ πλήθους οὐδὲ μεγέθους ἄνευ ἀρετῆς.* ... C: *Οὐκ ἄρα ἐξουσίαν σοι οὐδ' ἀρχὴν παρασκευαστέον σαυτῷ ποιεῖν ὅτι ἂν βούλῃ, οὐδὲ τῇ πόλει, ἀλλὰ δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην.*

Ex iis, quae antecesserunt is, qui Alcibiadem confecit, certe dicere non potuit *δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην;* si autem Gorgiam huius loci fontem fuisse ponimus, facillime haec res explicatur. Accedit, quod

[1] Talis sententia praeterea invenitur: Alc. 116 B, Charm. 172 A, passim; etiam apud Xenophontem.

finis dialogi cum Gorgia consentire videtur. Hic enim tyranni et reges propter licentiam et agendi libertatem in gravissima vitia incidunt. Itaque Socrates Alcibiadi dissuadet, ne magnam potestatem vel tyrannidem appetat; nam cui libertas quidquid faciendi est, maxime peccat, quare neque ipse felix est neque civitas:

Gorg. 525 D: . . . *οἶμαι δὲ καὶ τοὺς πολλοὺς εἶναι [τοὺς] τούτων [τῶν παραδειγμάτων] ἐκ τυράννων καὶ βασιλέων καὶ δυναστῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων πραξάντων γεγονότας· οὗτοι γὰρ διὰ τὴν ἐξουσίαν μέγιστα καὶ ἀνοσιώτατα ἁμαρτήματα ἁμαρτάνουσι.*

Alc. 134 E seqq.: *Ὧι γὰρ ἄν, ὦ φίλε Ἀλκιβιάδη, ἐξουσία μὲν ᾖ ποιεῖν ὃ βούλεται, νοῦν δὲ μὴ ἔχῃ, τί τὸ εἰκὸς συμβαίνειν, ἰδιώτῃ ἢ καὶ πόλει;* infelix erit vel peribit; *Οὐκ ἄρα τυραννίδα χρή . . . παρασκευάζεσθαι οὔθ' αὑτῷ οὔτε τῇ πόλει, εἰ μέλλετε εὐδαιμονεῖν, ἀλλ' ἀρετήν.*

Hoc tyrannorum odium imprimis in Rei publicae libris[1] invenitur, sed nusquam sententiarum conexus talis est, qualis in Gorgia; qua de causa, quamquam verba non semper eadem sunt, scriptorem hoc dialogo fonte usum esse putamus. Qua re totus fere finis Alcibiadis sermonis (a p. 134 A usque ad p. 135 B) ex Gorgiae locis compilatus esse mihi videtur.

Iam videamus, num scriptor etiam Protagora usus sit, ex quo supra unum locum attulimus. Primum quidem illi loci simillimi sunt, quibus de Atheniensium rebus disputatur, quis maxime sit idoneus, qui civibus suis consulat: si, quae fabri cuiusdam sint, agantur, fabro sine dubio Athenienses usuros esse; si de rebus, quae ad civitatem pertineant, consultent, eos unumquemque, qui peritus sit, audituros:

Protag. 319 B: *ὁρῶ οὖν, ὅταν συλλεγῶμεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐπειδὰν μὲν περὶ οἰκοδομίας τι δέῃ πρᾶξαι τὴν πόλιν, τοὺς οἰκοδόμους μεταπεμπομένους συμβούλους περὶ τῶν οἰκοδομημάτων. . . .* D: *ἐπειδὰν δέ τι περὶ τῶν τῆς πόλεως [διοικήσεως] δέῃ βουλεύσασθαι, συμβουλεύει αὐτοῖς ἀνιστάμενος περὶ τούτων ὁμοίως μὲν τέκτων, ὁμοίως δὲ χαλκεύς, σκυτοτόμος, ἔμπορος, ναύκληρος, πλούσιος, πένης, γενναῖος, ἀγεννής.*

Alc. 107 A: *Σω.: Ὅταν οὖν περὶ τίνος βουλεύωνται (τότε ἀναστήσει αὐτοῖς συμβουλεύσων); οὐ γάρ που ὅταν γε περὶ οἰκοδομίας. Ἀλ.: Οὐ δῆτα. Σω.: Οἰκοδόμος γὰρ ταῦτά γε σοῦ βέλτιον συμβουλεύσει. Ἀλ.: Ναί. . . . Ἐάν τέ γε σμικρὸς ᾖ μέγας ᾖ, ἐάν τε καλὸς ᾖ αἰσχρός, ἔτι τε γενναῖος ἢ ἀγεννής. Ἀλ.: Πῶς γὰρ οὔ; Σω.: Εἰδότος γάρ, οἶμαι, περὶ ἑκάστου ἡ συμβουλὴ καὶ οὐ πλουτοῦντος. Ἀλ.: Πῶς γὰρ οὔ; Σω.: Ἀλλ' ἐάν τε πένης ἐάν τε πλούσιος ᾖ ὁ παραινῶν, οὐδὲν διοίσει Ἀθηναίοις, ὅταν περὶ τῶν ἐν τῇ πόλει βουλεύωνται.*

Hic certe dubitari non potest, quin altera sententia ex altera pendeat. Unum locum addamus, quo multitudinem optimam magistram

[1] Ut Rei publ. l. IX 576 C seq.

esse docetur Graeca lingua loquendi, cuius omnes magistri sint, sed certum quendam hominem nominari non posse:

Prot. 327 E: *ὥσπερ ἂν εἰ ζητοῖς, τίς διδάσκαλος τοῦ ἑλληνίζειν, οὐδ' ἂν εἷς φανείη.*

Alc. 111 A: *Οἷον καὶ τὸ ἑλληνίζειν παρὰ τούτων (τῶν πολλῶν) ἔγωγ' ἔμαθον, καὶ οὐκ ἂν ἔχοιμι εἰπεῖν ἐμαυτοῦ διδάσκαλον . . . Σω.: Ἀλλ', ὦ γενναῖε, τούτου μὲν ἀγαθοὶ διδάσκαλοι οἱ πολλοί.*

Utroque loco scriptum legimus eos solum, qui ipsi didicerint, alios instituere posse. Neque hi loci, quamquam pauci sunt, casu quodam in Alcibiade inveniuntur, sed eos scriptor consulto respexit; cui rei vel eadem verba posita argumento esse putamus.

Hic nobis inquirere liceat, unde illa *εὐβουλία* deprompta sit, quae in Alcib. p. 125 E commemoratur. Quod verbum nisi in Protagora et Re publica in genuinis libris non occurrit. Primum Protagorae locum proponamus: p. 318 E: *τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία περὶ τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν.* Sed veri similius esse videtur hanc *εὐβουλίαν* e Rei publicae l. IV 428 B seq. sumptam esse:

Rei p. l. IV 428 B seq.: *. . ἡ εὐβουλία, δῆλον ὅτι ἐπιστήμη τίς ἐστιν· οὐ γάρ που ἀμαθίᾳ γε ἀλλ' ἐπιστήμῃ εὖ βουλεύονται. Δῆλον . . . Τί δέ; . . . ἔστι τις ἐπιστήμη . . ., ᾗ οὐχ ὑπὲρ τῶν ἐν τῇ πόλει τινὸς βουλεύεται, ἀλλ' ὑπὲρ ἑαυτῆς ὅλης, ὅντινα τρόπον αὐτή τε πρὸς τὰς ἄλλας πόλεις ἄριστα ὁμιλοῖ; Ἔστι μέντοι.*

Alc. 125 D seq.: *Ἀλλὰ τί ποτε λέγεις χρωμένων ἀνθρώπων ἀνθρώποις οἷόν τ' εἶναι ἄρχειν; Ἀλ.: Κοινωνούντων ἔγωγε λέγω πολιτείας καὶ συμβαλλόντων πρὸς ἀλλήλους, τούτων ἄρχειν τῶν ἐν τῇ πόλει. . . Σω.: Τί δέ; πολιτείας κοινωνούντων τίνα καλεῖς ἐπιστήμην; Ἀλ.: Εὐβουλίαν ἔγωγε . . . Σω.: Τί δέ; ἣν σὺ λέγεις εὐβουλίαν, εἰς τί ἐστιν; Ἀλ.: Εἰς τὸ ἄμεινον τὴν πόλιν διοικεῖν καὶ σῴζεσθαι.*

Qui loci verbis quidem non plane consentiunt, sed sententia eadem est; quare potius hunc Rei publicae locum exemplum fuisse putamus quam illum Protagorae locum. Hic si recte vidimus, efficitur totum illum sententiarum conexum in Alcib. a p. 125 A usque ad p. 127 C ex Rei publicae libris mutuatum esse.

Neque solum ex his libris scriptor sententias excerpsit, sed etiam Convivio exemplo usus est:

Conviv. 183 D seq.: *πονηρὸς δ' ἐστὶν ἐκεῖνος ὁ ἐραστὴς ὁ πάνδημος, ὁ τοῦ σώματος μᾶλλον ἢ τῆς ψυχῆς ἐρῶν· καὶ γὰρ οὐδὲ μόνιμός ἐστιν, ἅτε οὐ μονίμου ἐρῶν πράγματος. ἅμα γὰρ τῷ τοῦ*

Alc. 131 C seq.: *Σω.: Οὐκοῦν ὁ μὲν τοῦ σώματός σου ἐρῶν, ἐπειδὴ λήγει ἀνθοῦν, ἀπιὼν οἴχεται; Ἀλ.: Φαίνεται. Σω.: Ὁ δέ γε τῆς ψυχῆς ἐρῶν οὐκ ἄπεισιν, ἕως ἂν ἐπὶ τὸ βέλτιον ἴῃ;*

σώματος ἄνθει λήγοντι, οὗπερ ἤρα, οἴχεται ἀποπτάμενος, πολλοὺς λόγους καὶ ὑποσχέσεις καταισχύνας· ὁ δὲ τοῦ ἤθους χρηστοῦ ὄντος ἐραστὴς διὰ βίου μένει, ἅτε μονίμῳ συντακείς.

Ἀλ.: Εἰκός γε. Σω.: Οὐκοῦν ἐγώ εἰμι ὁ οὐκ ἀπιὼν ἀλλὰ παραμένων λήγοντος τοῦ σώματος, τῶν ἄλλων ἀπεληλυθότων. Ἀλ.: . . . καὶ μὴ ἀπέλθοις. . . . Σω.: . . . οὔτ' ἐγένεθ', ὡς ἔοικεν, Ἀλκιβιάδῃ τῷ Κλεινίου ἐραστὴς οὔτ' ἔστιν ἀλλ' ἢ εἷς μόνος; καὶ οὗτος ἀγαπητός, Σωκράτης . . .

Neminem fore putamus, qui horum locorum similitudinem, quam iam Astius animadvertit, neget. Simul ex hoc loco intellegimus, quam male locum Convivii tam venustum imitator tractaverit.

Alterum praeterea locum ex Convivio adferemus:

Conviv. p. 205 A: *Κτήσει γάρ, ἔφη, ἀγαθῶν οἱ εὐδαίμονες εὐδαίμονες.*

Alc. 116 B: . . *Σω.: Οἱ δ' εὖ πράττοντες οὐκ εὐδαίμονες; Ἀλ.: Πῶς γὰρ οὔ; Σω.: Οὐκοῦν εὐδαίμονες δι' ἀγαθῶν κτῆσιν; Ἀλ.: Μάλιστα.*

Sane conexus sententiarum, in quo hi loci occurrunt, alius est; sed cum ad verbum consentiant, non dubitari posse nobis videtur, quin hi loci arte cohaereant.[1]

Eodem fere modo res se habet hoc Menonis loco:

Men. 71 B: *ἢ δοκεῖ σοι οἷόν τε εἶναι, ὅστις Μένωνα μὴ γιγνώσκῃ τὸ παράπαν ὅστις ἐστίν, τοῦτον εἰδέναι, εἴτε καλός, εἴτε πλούσιος, εἴτε καὶ γενναῖός ἐστι, εἴτε καὶ τἀναντία τούτων; δοκεῖ σοι οἷόν τ' εἶναι; Μεν.: Οὐκ ἔμοιγε.*

Alc. 133 D: *Ἀδύνατον ἴσως σοι φαίνεται μὴ γιγνώσκοντα Ἀλκιβιάδην τὰ Ἀλκιβιάδου γιγνώσκειν ὅτι Ἀλκιβιάδου ἐστίν.*

Qui locus, cum alio sententiarum conexu in Menone, alio in Alcibiade inveniatur, difficillimum est probare eum re vera ex Menone depromptum esse. Sed hoc veri simile esse partim verbis iteratis doceor, partim eo, quod verba *ἢ δοκεῖ σοι οἷόν τε εἶναι* in *ἀδύνατον ἴσως σοι φαίνεται* mutata imitatorem prodere videntur.

Probabile esse putamus scriptorem etiam Xenophontis Cyri Institutionis et Vitae l. VII 2, 23 seq. evolvisse, ubi Croesus narrat, quibus causis commotus sit, ut cum Cyro bellum gereret: . . *ὑπεδεξάμην τὴν στρατηγίαν, ὡς ἱκανὸς ὢν μέγιστος γενέσθαι, ἀγνοῶν ἄρα ἐμαυτόν, ὅτι σοὶ ἀντιπολεμεῖν ἱκανὸς ᾤμην εἶναι, πρῶτον μὲν ἐκ θεῶν γεγονότι, ἔπειτα δὲ διὰ βασιλέων πεφυκότι, ἔπειτα δ' ἐκ παιδὸς ἀρετὴν ἀσκοῦντι — τῶν δ' ἐμῶν προγόνων ἀκούω τὸν πρῶτον βασιλεύσαντα ἅμα τε βασιλέα καὶ ἐλεύθερον γενέσθαι.* Iisdem causis in Alcibiade (p. 120 E seqq.) demonstratur reges Persarum longe Alcibiadi praestare: primum a diis originem traxerunt,

[1] De tertio Convivii loco (p. 216 A) supra egimus (in p. 49).

tum omnes eorum maiores ab ipso Iove reges fuerunt, denique a pueris quam optime educantur. Accedit, quod longa illa oratio ad Xenophontis rationem comparata est: utrique enim scriptori cordi est, ut omnia ad summam, quam homo sibi fingere potest, imaginem depingant. Xenophontis autem libros scriptorem Alcibiadis lectitavisse, quis est, qui ambigat? quamquam, ut supra diximus, nihil hausit ex illa Xenophontis narratione, quomodo Persarum reges educarentur. Itaque facile fieri potuisse putamus, ut illas causas in librum suum transferret.

His quidem locis auctorem Alcibiadis sermonis sibi conscium fuisse putamus se Platonis vel Xenophontis libris uti, primum quod plerumque eadem verba usurpavit, tum quod crebro totum sententiarum conexum in libellum suum transtulit, denique quod illi loci maximam partem rari ac singulares sunt.

Nunc veniamus ad eos locos, quos, cum apud Platonem et Xenophontem saepius occurrant, crebra lectione imitatorem memoria tenuisse atque inscium occasione data libro suo inseruisse putamus. Qua in re tractanda non id egimus, ut omnes locos, quibus eadem sententia occurrit, colligeremus; sed gravissimum nobis fuit efficere in horum locorum multitudine dici non posse, ex quo loco certus quidam Alcibiadis locus depromptus esset, praesertim cum eae sententiae omnibus Socraticis et Academicis, in quorum numero etiam scriptor Alcibiadis habendus est, communes essent.

Bonum etiam pulchrum est: in Alc. 116 C: *Ταὐτὸν ἄρα ἐφάνη ἡμῖν πάλιν αὖ καλόν τε καὶ ἀγαθόν.* Plat. Conviv. 201 C: *Εἰ ἄρα ὁ Ἔρως τῶν καλῶν ἐνδεής ἐστι, τὰ δὲ ἀγαθὰ καλά, κἂν τῶν ἀγαθῶν ἐνδεὴς εἴη.* Tim. 87 C: *πᾶν δὴ τὸ ἀγαθὸν καλόν.* 88 C: . . . *εἰ μέλλει δικαίως τις ἅμα μὲν καλός, ἅμα δὲ ἀγαθὸς ὀρθῶς κεκλήσεσθαι.*

Pessimum est et foedissimum putare se aliquid scire, quod re vera nescias: Alc. 117 D: *Σω.: Ἐννοεῖς οὖν, ὅτι καὶ τὰ ἁμαρτήματα ἐν τῇ πράξει διὰ ταύτην τὴν ἄγνοιάν ἐστι, τὴν τοῦ μὴ εἰδότα οἴεσθαι εἰδέναι;* . . . *Σω.: Ἐπειδὴ δ' οὔθ' οἱ εἰδότες οὔθ' οἱ τῶν μὴ εἰδότων εἰδότες ὅτι οὐκ ἴσασιν, ἢ ἄλλοι λείπονται ἢ οἱ μὴ εἰδότες, οἰόμενοι δ' εἰδέναι; Ἀλ.: Οὔκ, ἀλλ' οὗτοι. Σω.: Αὕτη ἄρα ἡ ἄγνοια τῶν κακῶν αἰτία, ἡ ἐπονείδιστος ἀμαθία; Ἀλ.: Ναί.* Cui loco simillimus est locus Plat. Apol. 29 B: *καὶ τοῦτο πῶς οὐκ ἀμαθία ἐστὶν αὕτη ἡ ἐπονείδιστος, ἡ τοῦ οἴεσθαι εἰδέναι, ἃ οὐκ οἶδεν;* Haec sententia praeterea invenitur: in Plat. Apol. 21 D: . . *οὗτος μὲν οἴεταί τι εἰδέναι οὐκ εἰδώς, ἐγὼ δέ, ὥσπερ οὖν οὐκ οἶδα, οὐδὲ οἴομαι· ἔοικα γοῦν τούτου γε σμικρῷ τινι αὐτῷ τούτῳ σοφώτερος εἶναι, ὅτι ἃ μὴ οἶδα, οὐδὲ οἴομαι εἰδέναι.* Plat. Conviv. 204 A, Soph. 229 C, Legg. l. V 732 A, IX 863 C. Xenoph. Memor. III 9, 6: *μανίαν γε μὴν ἐναντίον μὲν ἔφη εἶναι σοφίᾳ, οὐ μέντοι γε τὴν ἀνεπιστημοσύνην μανίαν ἐνόμιζε. τὸ δὲ ἀγνοεῖν*

ἑαυτόν, καὶ ἃ μὴ οἶδε, δοξάζειν τε καὶ οἴεσθαι γιγνώσκειν, ἐγγυτάτω μανίας ἐλογίζετο εἶναι.

Necesse est hominem, ut aliquid sciat, aut ipsum invenisse aut ab aliis didicisse: Alc. 106 D: *Οὐκοῦν ταῦτα μόνον οἶσθα, ἃ παρ' ἄλλων ἔμαθες ἢ αὐτὸς ἐξηῦρες;* . . . 110 D: *εἰ δὲ μήθ' ηὗρες μήτ' ἔμαθες, πῶς οἶσθα καὶ πόθεν;* etiam p. 113 E, 114 A commemoratur. Phaed. 99 C: . . *οὔτ' αὐτὸς εὑρεῖν οὔτε παρ' ἄλλου μαθεῖν οἷός τε ἐγενόμην* . . Lach. 186 E: *οὔτε γὰρ εὑρετὴς οὔτε μαθητὴς οὐδενὸς περὶ τῶν τοιούτων γεγονέναι* et quae sequuntur. Protag. 320 B: . . *οἶμαί τί σε λέγειν διὰ τὸ ἡγεῖσθαί σε πολλῶν μὲν ἔμπειρον γεγονέναι, πολλὰ δὲ μεμαθηκέναι, τὰ δὲ αὐτὸν ἐξευρηκέναι.* Rei publ. l. VI 488 B: . . . *μήτε μαθόντα πώποτε τὴν τέχνην μήτε ἔχοντα ἀποδεῖξαι διδάσκαλον ἑαυτοῦ μηδὲ χρόνον ἐν ᾧ ἐμάνθανε* (conf. Alc. 110 C: *ἐν ποίῳ χρόνῳ ἐξευρών;*) Passim in Menone, ut 81 D, 84 C. Legg. l. XII 968 D: *μετὰ δὲ τοῦτο, ἃ δεῖ μανθάνειν, οὔτε εὑρεῖν ῥᾴδιον οὔτε εὑρηκότος ἄλλου μαθητὴν γενέσθαι.*

Saepius apud Platonem et Xenophontem invenitur ea sententia, quae sine dubio iam apud antiquiores scriptores exstat, qua minores natu vel imperitiores maioribus natu et prudentioribus oboedire iubentur: Alc. 135 B: *Σω.: Πρὶν δέ γε ἀρετὴν ἔχειν, τὸ ἄρχεσθαι ἄμεινον ὑπὸ τοῦ βελτίονος ἢ τὸ ἄρχειν ἀνδρί, οὐ μόνον παιδί. Ἀλ.: Φαίνεται.* Gorg. 483 D: . . *οὕτω τὸ δίκαιον κέκριται, τὸν κρείττω τοῦ ἥττονος ἄρχειν καὶ πλέον ἔχειν.* 490 A: *Πολλάκις ἄρα εἷς φρονῶν μυρίων μὴ φρονούντων κρείττων ἐστὶν κατὰ τὸν σὸν λόγον, καὶ τοῦτον ἄρχειν δεῖ, τοὺς δ' ἄρχεσθαι, καὶ πλέον ἔχειν τὸν ἄρχοντα τῶν ἀρχομένων.* Rei p. l. III 412 C: *Ὅτι μὲν πρεσβυτέρους τοὺς ἄρχοντας δεῖ εἶναι, νεωτέρους δὲ τοὺς ἀρχομένους, δῆλον; Δῆλον. Καὶ ὅτι γε τοὺς ἀρίστους αὐτῶν; Καὶ τοῦτο.* Xenoph. Cyri Inst. VIII 1, 40: *(Κῦρος) ἐνόμιζε χρῆναι τοὺς ἄρχοντας τῶν ἀρχομένων διαφέρειν τῷ βελτίονας αὐτῶν εἶναι.*

Neque solum eaedem atque in Platonis libris sententiae in Alcibiade priore inveniuntur, sed etiam sermo, qui elegans est Atticus,[1] nonnullas praebet locutiones Platonicas, quibus rursus confirmatur scriptorem Platonis peritissimum fuisse; quarum nonnullas enumerabimus.

Saepius apud Platonem coniuncta inveniuntur nomina: *παιδοτρίβης* et *ἰατρός*: velut Gorg. p. 452 A, 504 A, Crit. 47 B. Rei p. ll. III 406 A (*ἡ παιδαγωγική, ἡ ἰατρική*); in Alc. 131 A.

μουσική et *γυμναστική*: Crit. 50 D, saepissime in Rei p. ll., velut l. II 376 E, III 404 B, 412 A, 424 B, V 456 B alibi. Legg l. XII 955 A; in Alcib. 108 B seqq.

λίθος, ξύλον, τοιαῦτα (ὁτιοῦν): Theaet. 156 E, Gorg. 468 A, Parm. (si genuinus est) 129 D, in Alc. 111 B seq.

[1] Conf. Cobeti disputationem in Mnemos. Nov. Ser. Vol. II (1874) p. 371.

Tum apud Platonem legimus: *ὑβριστὴς εἶ*: Meno. 76 A, Conviv. 175E, 215B, in Alc. 114D.

ὦ γενναῖε: Gorg. 494 E, Crat. 432 D, Rei p. l. VII 527 B alibi, in Alc. 135E.

ὦ μακάριε: Protag. 309 C, Phaedr. 241 E, Crat. 414 C, Rei p. l. IV 432D, in Alc. 124A.

ὦ 'γαθέ (ὠγαθέ): Protag. 311A, 314D, 339C, Phaedr. 260D, Gorg. 471D, Soph. 259D, 261C, Phil. 23D, Conviv. 189A, Rei p. l. I 344E, 345A, Legg. l. X 885C, in Alcib. 104E, 114B.

ὡς ἐμαυτὸν πείθω (ὡς ἐγὼ ἐμαυτὸν πείθω): Meno. 76E, Phaed. 92E, Gorg. 453A, in Alc. 105A.

Hoc modo totum dialogum perscrutati sumus: omnino Platonis scribendi genus nobis apparuit.

Iterum igitur quaerimus, fierine potuerit, ut dialogus a Platone profectus sit. Quod fieri non potuisse nobis persuasum est. Nam locus ille falso intellectus, quem ex Legum libro XII. attulimus, documento est scriptorem post Platonis demum mortem Alcibiadem conscripsisse. Si quis autem illum Legum locum non concedat exemplum fuisse, tamen tot locos, quos ex Rei publicae libris congessimus, nemo erit, qui casu in Alcibiade inveniri putet: ex quo efficitur dialogum, si Platonis est, post Rem publicam litteris consignatum esse. Iam quaerimus, num veri simile sit Platonem in libro posterioris aetatis tot sententias ex libris, quos antea conscripserat, adhibuisse? Immo totus fere dialogus ex variis Platonis librorum sententiis compilatus est; nam praeter exordium et longam illam orationem, qua Persarum et Lacedaemoniorum mores et instituta ad caelum tolluntur, vix novam quandam sententiam invenias. Sententiae enim Platonicae maximam partem multis verbis explicantur. Quid? Haec Platonis esse dicamus? Sed dicat quispiam genus scribendi idem esse ac Platonis. Sane. Sed scriptorem, qui sine dubio Academicus fuit, non sine animi attentione libros magistri lectitavisse, multa memoria tenuisse, multos Platonis locos edidicisse supra diximus. Itaque quis mirabitur, si eodem fere quo Plato scribendi genere usus est? Sed unam rem iste imitari non potuit: particulas dico et interrogationes quasdam, de quibus supra egimus.

V. Quo tempore dialogus conscriptus sit.

Haec quaestio artissime coniuncta est cum altera, quid scriptor summam dialogi esse voluerit, quam quaestionem supra tractavimus. Restat, ut quem annum indicaverint viri docti, paucis examinemus. Ac primum quidem eorum virorum sententias adferemus, qui dialogi huius patrocinium susceperunt. Steinhartius quidem Alcibiadem anno 406 a Platone conscriptum esse opinatur, quo anno Socrates Alcibiadem iam a fastigio honoris et auctoritatis iterum delapsurum commonens fingatur, ut ad vitam sapientem et honestam revertatur. Contra C. Fr. Hermannus proximo post illum fortunae casum tempori tribuit, quo Alcibiades Socratis disciplina contempta, quantopere sibi ipse nocuisset, expertus erat; nam inde, quod Spartae magna cum laude commemoratio fit, concludendum esse putat Alcibiadem eo tempore exaratum esse, quo Plato summam in Lacedaemone spem posuerit. Annum igitur 404 indicare videtur, quo exeunte tyranni ob caedem nobilissimi cuiusque in odium atque invidiam inciderunt. Denique haud multo ante Socratis mortem Stallbaumius dialogum ponit, qui eum eo tempore litteris consignatum esse putat, cum iam varie de Socratis et Alcibiadis familiaritate atque usu disputabatur, ut Socrates a calumniis, quibus adulescentes corrupisse dicebatur, defenderetur. Perspicuum est hos viros, qui libellum ceteris libris Platonicis multo deteriorem esse sibi persuaserant, cum dialogum primae aetati tribuerent, id egisse, ut Alcibiadem Platoni servarent. At has sententias supra reiecimus omnibusque quas instituimus quaestionibus Alcibiadem, etsi genuinus esset, primae certe Platonis aetati tribui non posse, edocti sumus. Accedit, quod in Protagora demum virtutem doceri posse Plato exposuit, de qua doctrina ei, qui Alcibiadem conscripsit, iam constitit: conf. Alc. p. 118 C: *Τί οὖν; ἤδη τιν' εἶδες σοφὸν ὁτιοῦν ἀδυνατοῦντα ποιῆσαι ἄλλον σοφὸν ἅπερ αὐτός; ὥσπερ ὅς σε ἐδίδαξεν γράμματα, αὐτός τ' ἦν σοφὸς καὶ σὲ ἐποίησεν τῶν τε ἄλλων ὅντιν' ἐβούλετο· ἦ γάρ; 'Αλ.: Ναί.*

Sed hos viros eorumque opiniones iam praetermittamus, praesertim cum Alcibiadi in genuinorum dialogorum numero locum non esse supra demonstraverimus, atque eorum virorum sententias proponamus, qui sermonem spurium esse contendunt. Christius[1] quidem Platone adhuc vivo dialogum conceptum esse existimat, cum ex p. 105 C et 120 A pacem Antalcidae interpretari posse sibi videatur. At nos, quibus verbis pax, quae Antalcidae vocatur, commemoretur, non detegimus. Ex primo illo loco certe nihil tale colligi potest; ex altero nihil efficitur. Nam

---

[1] Hist. litt. Graec. ed. III p. 450.

Lacedaemonii etiam bello Peloponnesiaco Alcibiade auctore cum Persis consociati Atheniensibus bellum intulerunt. Quod denique vir ille doctissimus dicit ex p. 121 A concludi posse sermonem eo fere tempore conscriptum esse, quo Athenienses et Lacedaemonii contra Thebanos societatem inierunt, nos non intellegere profitemur. Ex iis, quae modo diximus, non putamus esse, cur cum Christio Alcibiadem anno fere 374 ortum esse existimemus.

Contra Rudolphus Hirzel[1] Alcibiadem ab Academico quodam conscriptum esse putat, postquam Aristoxenus, Aristotelis discipulus, in dialogo quodam Socratem irrisit, quod res humanas doceret, priusquam res divinas cognovisset. Quam sententiam supra minus nobis placere diximus.

Cobetus[2] vero difficile esse putat „statuere circa quae tempora huiuscemodi Dialogorum Platonicorum imitationes primum prodierint. Mortuo dudum Platone natae sunt et tamen perveteres necesse est fuisse, quandoquidem nemo Criticorum veterum ullam fraudis suspicionem concepit, ne Aristophanes Byzantinus quidem, quem in digerendis Platonis dialogis operam posuisse accepimus a Diogene Laertio III 61".

Quamquam conclusionem illam Platone dudum mortuo tales dialogos factos esse, aliis causis non allatis non prorsus rectam esse putamus — tales enim dialogi sine dubio, ut exercitationes discipulorum, iam Platone vivo exsistere potuerunt; cum vero postea nomen scriptoris oblivione obrutum esset, omnes *λόγοι Σωκρατικοί* ab Alexandrinis Platoni tamquam principi tribuebantur —, tamen de Alcibiadis aetate Cobeti sententiam sequor proboque. In iis enim, quae antecedunt, aliis de causis saepius diximus persuasum nobis esse libellum post Leges sive post Platonem mortuum in publicum prodisse. Sed praeterea nonnulla habemus, quibus ea sententia confirmetur. Ac primum quidem posteriori tempori Alcibiades tribuitur illis locis, quibus Socrates Alcibiadi in animo esse cum Persis certamen inire (Alc. p. 120 A, 123 D seqq.) dicit. Nusquam in genuinis Platonis libris ea sententia occurrit Graecos in animo agitavisse cum rege Persarum de principatu rem gerere; quam sententiam, quantum litteris eam persequi possumus, Isocrates primus in Panegyrico (§ 133—182) pronuntiavit. Ex quo tempore saepius ac saepius tractatam esse putaverim, de qua Isocrates sub ipsum finem vitae suae in epistula, quam post pugnam ad Chaeroneam commissam ad Philippum regem dedit, admonuit.

Tum dialogum posteriore aetate conscriptum esse honorifica illa

[1] Aristoxenos und Platons erster Alkibiades. Mus. Rhen. XLV p. 419 seqq.

[2] In Mnemos. N. S. vol. II (1874) p. 373.

morum et doctrinae Persarum descriptione probatur, imprimis quod regum pueri arte magica, quae eadem tamquam sapientia esse fingitur, ab eodem magistro instituuntur.[1] Si igitur ars magica, cuius Plato nusquam mentionem facit, in numero quattuor illarum virtutum Platonicarum, ut ita dicam, habetur, scriptor sine dubio eo tempore fuit, quo Graecorum mores ac doctrina et barbarorum tamquam compensabantur et coaequabantur.[2]

Ideo cum certum esse putemus Alcibiadem priorem post Platonis mortem conscriptum esse, altera oritur quaestio multo difficilior, usque ad quam nobis descendendum sit aetatem. Iterum cum Cobeto libellum perveterem esse putamus, cum ne Aristophanes quidem ullam fraudis suspicionem conceperit.

Quamquam temporis indicia, de quibus nemo dubitet, invenire non possumus, tamen unum protulerimus. In Alc. p. 116D enim scriptum legimus: *Εἰ οὖν τις ἀνίσταται συμβουλεύσων εἴτε Ἀθηναίοις εἴτε Πεπαρηθίοις, οἰόμενος γιγνώσκειν τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα, φήσει δ' εἶναι τὰ δίκαια κακὰ ἐνίοτε, ἄλλο τι ἢ καταγελῴης ἂν αὐτοῦ, . . .;* Sane quidem concedendum est fieri posse, ut verba illa *εἴτε Ἀθηναίοις εἴτε Πεπαρηθίοις* pro ignota quadam gente proverbii loco posita sint, quamquam equidem nullum locum cognitum habeo, quo Peparethus sive incolae sic usurpati inveniantur.[3] Accedit, quod scriptor periodum sic conformavit: *Εἰ . . ἀνίσταται* (indic. praes.) *συμβουλεύσων, . . . φήσει* (indic. fut.), *καταγελῴης ἄν;* si periodo illa tamquam exemplo uti voluisset, magis exspectares: *Εἰ . . ἀνίσταιτο συμβουλεύ(σ)ων . .* et *φαίη* sive *φήσειε,* quod Schneider voluit. Ut brevibus verbis, quae dicere volo, complectar, scriptorem certam quandam rem spectavisse puto, quae alio tempore esse non potuit, quam quo Athenienses gravissime premebantur et Peparethiorum insula a Philippo, rege Macedonum, devastata est,[4] propterea quod Peparethi incolae Philippum Halonneso, exigua insula, privaverant. Quod factum est haud multo post tertiam quam dicimus orationem in Philippum a. 341 habitam, i. e. annis fere 340/39. Itaque illa sententia non exemplum solum, sed rem gestam exprimi putamus. Illis enim temporibus cum Peparethii,

---

[1] Conf. Alc. 121 E seq.: Quo loco scriptor de quattuor illis eruditissimis viris dixit, quorum quisque unam ex Platonicis illis virtutibus docet. Is, qui sapientia instituit, etiam *μαγείαν διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου.*

[2] Conf. Hirzeli disputationem, quam laudavi, p. 429 seq.

[3] Peparethi insulae nomen apud Platonem nusquam scriptum video; apud antiquiores scriptores rarissime, interdum propter vinum commemoratur.

[4] Conf. Dem. de cor. 70: *Σέρριον δὲ καὶ Δορίσκον καὶ τὴν Πεπαρήθου πόρθησιν καὶ ὅσ' ἄλλ' ἡ πόλις ἠδικεῖτο, οὐδ' εἰ γέγον' οἶδα.* Conf. etiam Schol. et orat. XII (epist. Phil.) § 12 seqq.

tum Athenienses summis circumventi erant difficultatibus, cum Philippus iam omni vi id ageret, ut libertatem iis eriperet. Quam magna Atheniensium fuerit indignatio, cum Peparethum deletam esse audivissent, ex locis Demosthenis elucet. Non est dubitandum, quin saepius de foedere cum Philippo icto, de aequitate, de iustitia verba facta sint. Itaque scriptor quendam, qui iustum atque iniustum, quid sit, cognitum se habere putat, Atheniensibus vel Peparethiis suadentem fingit, qui certe ab omnibus deridebitur, si iustum nonnunquam malum esse dicet (tale enim solacium miseros nihil iuvat), cum vulgo iustum utile esse existimetur. Haec sententia, si vera est, optime quadrat ad summam totius dialogi.

Iam disputatione nostra ad finem adducta, quae consecuti sumus, paucis verbis comprehendamus. Ac primum quidem inquirentes, quid scriptor sibi proposuerit, diximus quam vehementissime eum vituperare magniloquentiam eorum adulescentium, qui, quamquam nihil didicerint, tamen civitatem regere cupiant. Primum se ipsos noscere necesse esse, quo facto etiam civitatem, quae per levitatem eorum, qui eam administraverint, maxima in calamitate sit, beatam fore. Tum argumento et sermone pervestigato effecimus Alcibiadem dialogum non a Platone, sed ab Academico quodam profectum esse. Denique de tempore nonnulla addere ausi sumus; quod, quamquam haud ita multo post Platonem mortuum libellum litteris mandatum esse nobis persuasimus, tamen utinam gravioribus argumentis ut exquiratur, contingat!

Conspectus capitum.

Loci ab Alcibiadis auctore adhibiti.

II.

De S. Aurelii Augustini praeceptis rhetoricis

scripsit

Iosephus Žůrek.

Cum de s. Augustini vita, doctrina, scriptis tot et tanta volumina a viris doctis sint edita, ut et multitudine et magnitudine ipsius doctoris ecclesiae libros facile superarent, de praeceptis eius rhetoricis — si pauca nonnullorum hominum doctorum verba excipias — altum est silentium. Quod minime mirum est. Theologi enim omne tempus et studium in illis solum libris intellegendis et explicandis consumunt, in quibus sanctus ille vir praecepta morum et doctrinae Christianae exponit atque ab adversariis defendit, philologi autem, quamquam plurimas quaestiones easque difficillimas iam felicissime solverunt, eam provinciam, quam rhetoricam vocamus artem, magna ex parte incultam reliquerunt. Nam ne Ciceronis quidem, cuius eloquentiam omnes omnium temporum homines maximis extulerunt laudibus, cuius orationes, quas in senatu, in contionibus, in foro habuit, iam per tot saecula in scholis leguntur atque interpretantur, artis dicendi praecepta ratione et via exposita sunt[1].

Quare non sine magno timore ad materiam, quam mihi proposui tractandam, aggredior, quippe qui, cum hanc disciplinam primis tantum labris attigerim, laborem suscipere audeam, quem homines docti, qui ex arte rhetorica plurima hauserunt, imperfectum reliquerunt.

Sed detur haec venia admirationi, qua magis magisque adficiebar, quotiescumque s. Augustini scripta legebam, liceatque mihi paucos resecare lapides, qui si ab hominibus doctis ad scientiae aedem construendam apti esse dicentur, iam hoc ipsum praemium mihi erit maximum. Rem autem hoc modo tractaturus sum, ut *primum de fragmento quodam artis rhetoricae, quod sub nomine Augustini circumfertur,* disseram, *tum de Augustini artis dicendi et philosophiae studiis, quae nobis innotuerint,* pauca dicam, *denique fragmenta praeceptorum artis dicendi*, quae per singulos *Augustini* libros dispersa ad hanc aetatem pervenerunt, *colligam atque explicem.* Ita enim facillime, quoad fieri possit, nos intellecturos esse spero, quae Augustinus de arte dicendi senserit.

---

[1] Cf. E. Norden, 'Die antike Kunstprosa' I 212: 'Wenn ich behaupte, daß für eine gerechte Würdigung der Bedeutung Ciceros als Redners und Stilisten heutzutage so gut wie alles fehlt, so weiß ich, daß darin mehrere Männer, deren Urteil mir maßgebend ist, mir beistimmen'.

I.

Priusquam de ceteris rebus sermonem instituamus, de opusculo quodam nobis agere in animo est, ad quod homines docti editione, quam Carolus Halm anno 1863 curavit, attenti facti sunt.

Qui aestimator sagacissimus, cum Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri rhetores Latinos minores ex codicibus maximam partem primum adhibitis ederet, post C. Fortunatiani tres libros artis rhetoricae fragmentum artis dicendi posuit, cui titulum dedit: *Aurelii Augustini de rhetorica, quae supersunt.* Iam vero in praefationis, quam libro praemisit, p. VIII haec de fragmento illo exponit: „In Fortunatiani rhetorica iam priusquam lectiones Parisini n. 7530 et Darmstadtiensis nacti essemus, haud pauca menda ex duobus Monacensibus, altero olim Frisingensi, altero Ratisbonensi Emmeramo correxeramus, in quorum utroque pariter atque in libro Darmstadtiensi particula bonae frugis plena, quae sola ex *Augustini* rhetorica ad aetatem nostram pervenit, *nullo auctoris nomine praescripto*, quasi pars esset ipsius Fortunatiani, adnexa est".

Ex quibus viri docti verbis patet, *in codicibus Frisingensi, Ratisbonensi, Darmstadtiensi fragmentum artis rhetoricae, de quo disputaturi sumus, ad s. Aurelium Augustinum non referri.* Quare non supervacaneum mihi esse videtur inquirere, quibus causis adductus Carolus Halm fragmentum illud Augustino tribuerit.

Sed hac de re Halmius nullo libri sui loco quidquam protulit. Itaque eum non multum in hac quaestione solvenda desudavisse, sed fidem codicis Bernensis atque W. Crecelii sententiam secutum esse in aperto est. Quam ob rem inprimis codicis Bernensis n. 363 atque Crecelii[1] auctoritas nobis examinanda est. Nam ne audiendus quidem est A. Reuter[2], qui iurandum esse in Crecelii verba putat atque huic la-

---

[1] *S. Aurelii Augustini de dialectica liber.* Recensuit et adnotavit *W. Crecelius* (in programmate gymnasii Elberfeldensis a. 1857); cf. quae H. Keil et H. Hagen de hoc libello in Fleckeiseni Annal. phil. vol. LXXIX (1859), p. 154 seqq. et vol. CV (1872), p. 757—780 scripserunt.

[2] 'Zu dem Augustinischen Fragment *de arte rhetorica*'. (Abdruck aus den „Kirchenhistorischen Studien") p. 1.

bori supersedendum. Neque enim vir ille doctus tantis erroribus se implicavisset, si accuratius Crecelii argumenta perscrutatus esset.

Atque codicis Bernensis phototypica editione, quoniam inde ab a. 1897 nobis praesto est, uti non neglleximus; neque ea solum, quae Herm. Hagen in huius editionis praefatione et alibi[1] protulit, sed etiam, quae cum alii, tum Keller[2] et A. Reuter[3] de hoc codice exposuerant, respeximus. Plura de eius aetate, historia, pretio proferre hoc loco post tot virorum doctissimorum studia supervacaneum esse duximus. Sufficiat commemorasse codicem Mediolani in monasterio s. Ambrosii a monacho Scoto post mediam saec. IX. partem exaratum esse eiusque foliis 197 contineri libros maximam partem mutilos scriptorum, qui et aetate et scientia quam maxime inter se differunt. *Qui codex ex omnibus*, quos Halmius adhibuit, *codicibus solus est*, qui auctorem fragmenti, de quo agimus, prodit, cum opusculo haec verba in fol. 160^v (p. 320) praemittit: *Item Aurelii Augustini de rhetorica.*

Itaque nostrum est, ut examinemus, quanti haec verba facienda sint. Nam in eo omnes viri docti consentiunt codicum inscriptionibus saepe parvam vel nullam fidem tribuendam esse, si adsit suspicio eum, qui codicem scripsit, non vetustioris codicis indicem descripsisse, sed ex sententiis, quae libro ipso continerentur, titulum sibi finxisse. Quod in codice Bernensi facillime fieri potuisse opinor.

Quo in libro manuscripto hanc artem rhetoricam fragmentum quoddam dialecticae praecedit, cuius in capite VII[4] haec verba exstant: *Iam vero non secundum se, sed secundum id quod significat verbum movet, quando per aurem accepto signo animus nihil aliud quam rem ipsam intuetur, cuius illud signum est, quod accepit: ut cum Augustino nominato nihil aliud quam ego ipse cogitor ab eo, cui notus sum.*

Cui vero, qui hoc fragmentum dialecticae iis potissimum temporibus, quibus s. Augustini nomen iam toto orbe terrarum magnum fuit, legit et ad verba, quae modo attulimus, attendit, cui, quaeso, non sponte in mentem venit opusculum, quod manibus tereret, ab hoc conscriptum esse? Quid igitur mirum est, quod Mediolanensis monasterii monachus, cui s. Augustini vita, scripta, studia erant notissima, cui ipsa loca, in

[1] In catalogo codicum Bernensium (Bern. 1875), p. 347 seqq. Cf. quae idem praefatus est in huius codicis editione p. II. (*Codices Graeci et Latini photographice depicti* Tom. II., Lugduni Batavorum 1897).

[2] In libro, cui index est: 'Mitteilungen der antiquarischen Gesellschaft in Zürich', VI 88 sq.

[3] In Hermae XXIV 161—184.

[4] ed. Crec. p. 13.

quibus vixit, sanctum illum in memoriam revocabant, qui eum Mediolani disciplinarum libros scribere coepisse atque maximam partem imperfectos reliquisse haud ignorabat, fragmentis illis artis dialecticae atque rhetoricae in Mediolanensi aliquo codice repertis, utrumque fragmentum s. Augustino tribuit?

Sed dixerit quispiam monachum, qui codicem Bernensem descripsit, ex alio codice comperisse Augustinum dialecticae atque artis rhetoricae illius esse auctorem. Quae fieri potuisse minime negaverim. Itaque circumspexi, unde plurimorum Augustini manuscriptorum sumerem notitiam. Sed cum accuratissima illa disputatione Richardi Kukulae de Maurinorum operum s. Augustini editione edoctus essem viros illos doctos multos codices congessisse atque adhibuisse, qui postea omnino perierunt[1], monachos illos de Augustini scriptis optime meritos consulendos esse existimavi. Qui Benedictini sincere fatentur se quinque quidem codices manuscriptos invenisse, in quibus fragmentum dialecticae, quod commemoravimus, Augustino attribueretur, *fragmentum autem illud de arte rhetorica ne in uno quidem codice manuscripto se repperisse.* Quod testimonium testium haud spernendorum[2] eo magis ad labefactandam codicis Bernensis auctoritatem valet, quo melius perspectum habemus, quanta pietate omnibus temporibus s. Augustini scripta culta sint, ita ut non solum summa cum diligentia describerentur atque servarentur, sed etiam non raro flores falso studio ex aliorum hortis decerpti ei supponerentur. Si igitur in tanta codicum multitudine, qui-

[1] Cf. Annales Acad. scient. Vindob. vol. 121. 122. 127. 138; cui disputationi indicem dedit: 'Die Mauriner Ausgabe des Augustinus. Ein Beitrag zur Geschichte der Literatur und der Kirche im Zeitalter Ludwigs XIV'. Vide vol. 138, p. 4: 'Unterliegt es doch nicht dem geringsten Zweifel, daß den Maurinern in der Augustinischen Textkritik besonders französische Handschriften von großem Alter und hoher Güte zur Verfügung standen und daß daher ihre LAA.-Sammlungen schon deshalb nicht unterschätzt werden dürfen, weil ein nicht unbeträchtlicher Teil von Handschriften jener Zeit bald nach Vollendung der *Bibliothèque des Pères* nach allen Richtungen der Windrose zerstreut, von Entlehnern verschleppt, gestohlen, in der Revolutionszeit von flüchtenden Mönchen mitgenommen, verschenkt oder verkauft, durch Schadenfeuer oder plündernde Banden vernichtet wurde . . . . . Je weniger verlockend und erfolgreich also unter gewissen Umständen die Jagd nach verlorenen oder verschollenen Handschriften zu werden verspräche, um so weniger meine ich, können die Wiener Herausgeber des Augustinus auf das Materiale des *App. Benedictinorum* verzichten'.

[2] Quod exstat in appendice ad volumen I 15 et 35. In pag. 15 de dialectica hoc dicitur: „Opusculum istud castigatum est de novo ad M. S. S. quinque, in quibus inscribitur Tractatus de dialectica et Augustino tribuitur. At Chirii Fortunatiani nomine editum est Basileae a. 1558.“ In pag. autem 35. de fragmento artis rhetoricae haec adnotantur: „*Opusculi huius exemplar ullum M. S. non repperimus. Auctor graeca vocabula citra necessitatem usurpat contra morem Augustini.*“

bus Benedictini in scriptis Augustini emendandis usi sunt, nullus inventus est, quo fragmentum, de quo agimus, contineretur, certe inscriptio in codice Bernensi tradita non tanti facienda est, quanti eam Crecelius, Halmius, alii fecerunt.

Atque magni in ea quaestione momenti videtur esse, quod Bernensem librarium in hoc ipso fragmento describendo neglegenter versatum esse iam H. Hagen[1] optime demonstravit. Praeterea eundem in fol. 143r. (p. 285) Chirii Fortunatiani arti rhetoricae falso praemisisse constat verba *'Alcuinus de rhethorica* (sic!) *Casiodori';* nam Alcuini nihil usquam in codice reperitur.

Quam ob rem, si recte de hoc fragmento iudicare volumus, alia ratione et via nobis progrediendum est atque Crecelio et Reutero placuerat. Nam in quacumque disputatione hoc certe est vitium maximum, quae demonstranda sunt, iam demonstrata esse putare.

Itaque de eo fragmento sic exponemus, ut ipsum *incerti auctoris esse* dicamus. *Atque primum quae praecipiat, ostendemus, tum quae de s. Augustini studiis atque praeceptis aliunde innotuerint, inquiremus, ut quid de fragmento iudicandum sit, perspiciamus.*

Sed iam ad materiam ipsam tractandam accedamus.

In opusculo, de quo disputamus, nullum prooemium polite scriptum, quale auctor artis dicendi ad Herennium missae, Cicero, Sulpicius Victor, Martianus Capella, alii libris suis praemiserunt, legimus. Quod minime miramur, cum alias quoque libri partes scriptor quam brevissime absolverit. Nam scriptor Aristotelis more de rhetorica erudite disputare noluit neque eam arte concludere, sed pueros, qui scholam eius frequentabant, popularibus atque usitatis verbis instruebat, qua ratione et via eis progrediendum esset, ut orationem compositam conficerent atque commentarentur.

Atque primis quidem opusculi verbis instruitur eloquentiae adsequendae studiosus, quaenam oratori facienda sint, si bene munere suo fungi velit.

Iam vero primam officii oratoris partem, intellectionem — ut verbo Sulpicii Victoris utar[2] — discentibus commendat. Haec sunt illius scriptoris verba: „Oratoris officium est proposita quaestione civili dumtaxat primum ipsam *intellegere*, generalis sit an specialis, simplex an coniuncta ex pluribus, absoluta an comparativa."

Alteram autem officii partem inventionem esse dicit, de qua hunc in modum exponit: „Deinde (debet orator) cum intellexerit, invenire

---

[1] Cf. Fleckeiseni annal. CV (1875), p. 766 seqq.

[2] Cf. Sulpicii Victoris Institutionum oratoriarum c. 4 (p. 315 Halm).

in eam (quaestionem) congruentes partitioni locos et his morales seu naturales adcommodare sententias."

Tum de iudicio loquitur his verbis: „Exinde iudicare (est officium oratoris) de inventis, repudiare, quae parum commode occurrerint." Verbis autem, quae statim sequuntur: „Tum (debet orator) iis, quae iudicio examinarit, dare ordinem certum", sine dubio eandem oratoris officii partem indicare vult, quam alii artis dicendi magistri dispositionem appellabant. De elocutione, memoria, pronuntiatione ita agere pergit: „Subinde ordinationi rhetor explicationem rerum commodare debebit, quae duabus partibus constat, structurae qualitate et quantitate verborum. Haec omnia memoria suscipiet . . . . . Memoriam pronuntiatio sequetur."

Capite altero et tertio scriptor de fine *oratoris officii*[1] disputat. Mentionem facit vehementium controversiarum, quae in hac quaestione solvenda ortae sint, easque facillime ita componi posse, si dicatur finem oratoris officii esse bene (recte, vere) dicere, finis bene (recte, vere) dicendi persuadere. Alias quoque, quae in hac materia ortae essent *difficultates, optime ab Hermagora sublatas esse*, qui orationis esse officium persuadere, quatenus rerum et personarum condicio pateretur, dumtaxat in civilibus quaestionibus, docuisset.

His rebus absolutis demonstrare studet artem dicendi habere sicuti alias artes propriam, ut ita dicam, et definitam regionem. Neque enim omnes quaestiones tractare posse oratorem, sed quaestiones civiles solas. Atque quaenam quaestiones civiles appellentur, multis verbis explicat.

Insequentibus capitibus 5.—11. universum quaestionum civilium genus in certas species dividit. Primos et quasi generales civilium quaestionum modos dicit esse thesin et hypothesin. Thesin autem esse rem, quae rationalem considerationem sine definitione personae admittat: hypothesin rem, quae admittat rationalem contentionem cum definitione personae. Quam quaestionum civilium divisionem haud ab omnibus artis dicendi magistris recipi scriptor sincere quidem fatetur, *sed diligenter omnia conquirit, quibus hanc Hermagorae divisionem defendat*, adversariorum *inprimis Apollodori sententiam oppugnet.*

Cum de thesi quam paucissimis verbis exposuerit, in hypothesi sive controversia explicanda diutius subsistit. Quid circumstantia rerum sit, sine qua nulla omnino possit esse controversia, docet atque partes circumstantiae enumerat. Tunc quae sint controversiarum species

---

[1] Rectius atque accuratius certe de fine *artis dicendi* disputare debebat. Cf. Ciceronis De inv. I 5, 6, Quintil. II 15, 38.

ostendit. Controversias enim in rationales atque legales quaestiones dividi. Iam vero rationales quaestiones *fieri modis quattuor*, cum in eis quaeratur: an sit, quid sit, quale sit, an induci in iudicium debeat. Quos modos ab artis dicendi magistris varie appellari, immo *a plerisque magistris tres tantum modos distingui, sed, ut Hermagoras demonstraverit, haud recte illos magistros iudicare.*

Atque in legalibus quaestionibus item quattuor species discernit 1. scriptum et voluntatem, 2. contentionem legum contrariarum, 3. ambiguitatem, 4. conlectionem.

Sed potuit quaerere quispiam, quomodo intellegeretur, cui speciei ex his causa aliqua adnumeranda esset. Quod minime auctorem fragmenti fugit; nam in c. 11. pergit ita: „Interim mihi videtur esse dicendum, quibus omnis quaestio articulis et quasi nodis subinde adstricta ad perfectam speciem sui veniat.“ Statim ad quaestionem, quam sibi proposuit, respondet. Illud ex cataphasi et apophasi, sive, ut iisdem, quibus ille ipse, verbis utar, ex intentione verbo facta et abnuentia criminis cognosci. Velut si accusatoris intentio sit „pulsasti“, abnuentiam accusati esse „non pulsavi“. Ex qua cataphasi et apophasi cognosci posse *φάσιν* seu quaestionem esse: „an pulsavit“. Quae est quaestio rationalis, coniecturalis.

Atque a capite 13. aliam scriptor incipit materiam, quam oratorem unumquemque scire debere adfirmat. Considerandum esse dicit, quid sit causa, quid continens, quid de quo contenditur. Itaque ad verba haec explicanda complura exempla proponit.

Iam vero his, de quibus modo locuti sumus, rebus expositis, idem novam proponit doctrinam, *quam quidem apud scriptores optimos et praecipuos*, Ciceronem, auctorem artis dicendi ad Herennium missae, Quintilianum, *frustra quaeres, apud scriptores recentioris aetatis,* Chirium Fortunatianum, Sulpicium Victorem, facile *invenies*, controversias illas dicimus, quas scriptor asystatas vocat. Quarum asystatarum controversiarum quattuor esse genera docet.

Sed primo asystatarum controversiarum generi nullum nomen imponit, alterum ab artis dicendi magistris *κατ' ἰσότητα* appellari tradit, tertium Graecos *καθ' ἑτερομερίαν* vocare, quartum esse caliginosissimum, propterea nominari a Graecis *ἄπορον*. Alterum et quartum harum controversiarum genus exemplis illustrat. Quibus absolutis aliam adfert causarum divisionem [1]. Ea de causa quoque eas distingui, quod varie iam primo auditu animos iudicum adficiant. Sed eum ipsum audiamus [2]: „Pertinere etiam nonnihil ad rem videtur scire figuras controversiarum, quibus invicem

[1] Qua materia absoluta fragmentum omni exspectatione citius finitur.
[2] c. 17, p. 147.

differant, quo magis in evidenti sit, quemadmodum quamque tractemus. Sunt igitur schemata, id est figurae controversiarum, quattuor: ἔνδοξος, quod nos opinionis bonae possumus dicere, ἀμφίδοξος, quod nos opinionis confusae ex utroque, bono ac malo, possumus dicere, παράδοξος, quod nos opinionis malae possumus dicere, ... ἄδοξος . ., quam nos . . . . . nullius opinionis, id est humilem et sordidam, vocamus". Enumeratas figuras exemplis explanat.

Postquam controversiarum figuras enumeravit et exemplis prolatis explanavit, ita pergit (cap. 18): „Dinoscere autem has controversiarum figuras cum ad multa alia convenit, tum vel in primis ad id, ut modum praefandi, id est principia edendi, congruentem qualitati materiae invenire possimus". Hoc quoque loco (c. 19), ut paulo ante vidimus, Hermagorae mentionem facit, sed sententiam eius non sequitur negantis in endoxo genere materiae esse praefandum. Namque haec Hermagorae verbis opponit: „Sed mihi longe aliter videtur et pace tanti viri dixerim; neque enim est semper spectanda auctoritas, utique cum ratione vincatur. Censeo igitur nihil prohibere in endoxo genere materiae quominus praefemur. Nihil enim, opinor, mali benignos iudices benigniores facere praefando, ut, cum offensos adversariis videmus, offensionem illam dicendo augere conemur. Denique auloedos et citharoedos et ceteros huius modi artifices, quamquam non polliceantur orationem, videmus tamen praeloqui. Quia ante actionem et omnino curta et *sine capite oratio est, quae sine principio ab ipsis rebus orditur, utemur etiam principiis in bonae* opinionis controversiis, sed brevioribus et erectioribus paulo et confidentibus et plenis dignitatis, sine iactantia dumtaxat, ne res pariat invidiam".

Quae modo audivimus verba ab scriptore ita proferuntur, ut suam ipsius sententiam defendere videatur. Sed ars rhetorica, quae a Graevenio nuper edita Cornuto tribuitur[1], fontem nobis detegit, ex quo ille et sententiam suam et arma, quibus eam tueretur, sumpserit. Nam in illo libro (p. 21 sq.) legimus haec: *Ἰστέον, ὅτι πολλάκις δεῖ παραιτεῖσθαι τὰ προοίμια· οὐ γὰρ ἀεὶ προοιμιαστέον . . . ὅταν οἰκεῖοι ὦσιν οἱ ἀκούοντες· περιττὸν γὰρ τὸ πειρᾶσθαι εὔνους ἡμῖν ποιεῖν τοὺς ἀκούοντας οἰκείους ὄντας*[2] *. . . Τινὲς δὲ ἔφασαν, ὥσπερ οἱ Ἀπολλοδώρειοι, ἀεὶ δεῖν*

---

[1] Quae ars rhetorica primum Parisiis 1840 a Séguierio ex codice Parisino Gr. 1874 edita est; denuo a Graevenio, qui ei inscripsit: '*Cornuti artis rhetoricae epitome*. Berolini 1890'.

[2] Cf. frag. c. 19: 'Nam si benivolentiae, inquit (Hermagoras), conciliandae gratia praefari solemus, in bonae opinionis themate . . . . benigni sunt ii, apud quos sumus locuturi, nihil autem attinet parare quod paratum est. . . . . . Omnino curta . . . oratio est, quae sine principio . . . orditur.'

χρῆσθαι προοιμίοις, λέγοντες οὕτως τὸν μὲν λόγον ἐκ μερῶν συγκεῖσθαι, τὸν δὲ μὴ ἐκ πάντων συγκείμενον οὔτε ὁλόκληρον εἶναι οὔτε ὑγιῆ· μάλιστα μὲν οὖν φασιν οὐδὲν τῶν τοῦ λόγου μερῶν παραλειπτέον, ἐξαιρέτως δὲ προοίμιον· δόξει γὰρ ἀκέφαλός τις ὁ λόγος εἶναι ὅλος διὰ τὸ ὥσπερ κεφαλὴν τοῦ παντὸς λόγου τὸ προοίμιον εἶναι. Iam fragmenti scriptorem flores discipulis vendentem videmus, quos non in suo hortulo decerpsit, sed ex Apollodoreorum hortis transtulit[1]. Sed attendendum nobis est, cur hoc loco *Apollodori auctoritatem pluris quam Hermagorae faciat.* Quem non in verba magistri iurare dicemus, quoniam paulo ante cum Apollodoro pugnavit et toties se ab Hermagorae partibus stare professus est. *Sed pertinacia Apollodori ei probatur, qui nullam unquam in praeceptis aridissimis exceptionem admittere voluit*[2]. Itaque minutissima atque subtilissima illa praecepta Hermagorae cum pertinacia, ut ita dicam, Apollodori mixta a viris doctis huius aetatis Aurelio Augustino tribuuntur eumque doctrinam, quae iam Quintiliano minus probabatur[3], defendisse atque docuisse pro certo sumitur. Num ingenium Augustini minoris aestimabimus quam Quintiliani?[4]

[1] c. 19 (p. 149 H.): 'Sine capite oratio est, quae sine principio ab ipsis rebus orditur'. Ex eadem arte rhetorica verba illa, quae supra commemoravimus, satis obscura: 'Denique auloedos et citharoedos et ceteros huius modi artifices, quamquam non polliceantur orationem, videmus tamen praeloqui' — lucem accipient. In quarta enim sectione haec narrantur: *Ἰστέον, ὅτι κυρίως προοίμια ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τὰ τῶν κιθαρῳδῶν· οἴμας γὰρ ἐκάλουν οὗτοι τὰς ᾠδάς· τὸ οὖν ἀνάκρουμα τὸ πρὸ τῆς ᾠδῆς τῆς κιθάρας προοίμιον ἐκάλουν· ἀπὸ τούτου καὶ ἐπὶ τὸν ῥητορικὸν μετενήνεκται λόγον τὸ ὄνομα* . . . . Scriptor igitur sic argumentatur: Si aulis et fidibus canentes prooemio utuntur, eo magis atque semper illo debet uti orator.

[2] Cf. Cornuti s. 113: *οἱ μὲν Ἀπολλοδώρειοί φασι ἀεὶ δεῖν διηγεῖσθαι.* Cf. Quint. IV 2, 4.

[3] Conferamus Quintiliani verba, qui, postquam de partibus causarum iudicialium, de quaestione, ratione, iudicatione, continente (materiam illam aridissimam de asystatis prorsus omisit) disputavit, haec addit: „Verum haec adfectata subtilitas circa nomina rerum ambitiose laborat, a nobis in hoc adsumpta solum, ne parum diligenter inquisisse de opere, quod adgressi sumus, videremur; simplicius autem instituenti non est necesse per tam minutas rerum particulas rationem docendi concidere. *Quo vitio multi quidem laboraverunt, praecipue tamen Hermagoras*, vir alioqui subtilis et in plurimis admirandus, tantum diligentiae nimium sollicitae, ut ipsa eius reprehensio laude aliqua non indigna sit" (III 11, 21 sq.).

[4] Atque A. Reuter quidem bene observavit haud digna esse Augustino, quae fragmento continentur. Scribit enim l. l. p. 31: 'Es mag nicht ohne Interesse sein, den großen *doctor ecclesiae* auch einmal als bescheidenen *magister rhetorices* kennen zu lernen. Denn bescheiden ist doch die Stellung dessen, der keinen einzigen eigenen Gedanken haben kann und haben darf, sondern überliefern muß, was ihm überliefert ist.' Sed cur dicendi magister ea sola, quae ei tradita sunt, tradere debeat, non intellego.

Iam, ut ad alteram disputationis partem transeamus, quae de Augustini studiis rhetoricis et de ratione, qua discipulos instruxerit, innotuerint, inquiramus. Ita nos litem de fragmenti auctore facillime diiudicare posse speramus.

II.

Priusquam s. Augustini, viri, ut cum Leibnitzio loquar, magni et ingenii stupendi, vitam exponere incipiam, primum ne a me exspectetur, quaeso, me accurate omnia illius viri doctissimi facta, dicta, scripta, mores illustraturum esse. Desunt enim vires, deest tempus. Neque totam eius vitam percurram, sed illud solum vitae eius spatium, quo in arte dicendi discenda et docenda versatus est, in brevi conspectu ita proponam, ut eius studia et praecepta rhetorica apertiora fiant. Aurelius Augustinus natus est Thagastae in Africa Idibus Novembribus anno post Christum natum 354 patre Patricio, matre Monica. Pater eius, homo nobilis, in civitate decurionis munere fungebatur. Qui magnam adhibuit curam, ut filius iam tenera aetate omnibus bonis artibus imbueretur. Itaque primum ludi magistro traditus est, ut disceret litteras. Deinde in schola grammatici Latini praecipue Vergilii Aeneide totus tenebatur aliosque Latinos poëtas avide legebat[1]. Quominus autem Homeri aliorumque Graecorum poëtarum carmina eodem studio et amore amplecteretur, imprudentia grammatici Graeci impeditus est, qui pueros Graecae linguae ignaros saevis terroribus et poenis ad discendum cogebat[2]. Quo in litterarum genere Aurelius Augustinus primum Thagastae, tum in vicina Madaurensi civitate versatus est. Ibidem iam in grammatici schola declamavit eaque relicta apud rhetorem quendam in dicendo se exercuit.

Anno p. Ch. n. 370 Madauris domum reversus aliquot menses domi commoratus est[3]. Pater enim filium Carthaginem quidem mittere voluit, sed pecunia ad iter et victum necessaria, cum illius opes satis tenues essent, diu conquirebatur. Iam tum Augustinus licentia magna utebatur[4], sed pater vitia eius minime curabat, sed id solum optabat, ut disertus esset et dicendi laude floreret.

Eodem anno Augustinus, sedecim annos natus, Carthaginem venit in scholam rhetoris cuiusdam, qui et in arte rhetorica et in philo-

[1] Confess. I 13.
[2] Confess. I 14.
[3] Confess. II 3.
[4] Ibid. II 1 sqq.

sophia erat versatissimus. Is non solum philosophorum inventa a Cicerone Latinis litteris illustrata, sed etiam Aristotelis praecepta quaedam docuit[1]. Hoc ipso de Augustino optime meritus est, quod huic viam ad philosophiam monstravit[2] eumque veritatis quaerendae studio inflammavit. Sed optimum esse puto hac de re Augustinum ipsum narrantem audire[3]: *Perveneram in librum quendam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita*[4]. *Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam, et vocatur Hortensius . . . . . . Viluit mihi repente omnis vana spes et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili.*

Hoc veritatis cognoscendae desiderium, quod ab illo tempore Augustinum nunquam deseruit, semper ante oculos habere debemus, si ipsum eiusque agendi rationem intellegere volumus. Nam cum per tres annos, quibus Carthagine rhetoris scholam frequentavit, nihil antiquius habuisset, quam ut ad summam eloquentiae perfectionem veniret, *inde ab anno aetatis suae undevicesimo non iam eloquentiam tamquam summum bonum, sed philosophia duce veri-*

---

[1] Confess. IV 16.

[2] Iam vero Augustini magister haud ea de causa discipulos ad philosophorum scripta legenda excitabat, ut discipulos philosophos esse vellet, sed quia ei ex Ciceronis aliorumque libris notum erat dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus fluere. Minime enim eum ignorasse puto, quae Cicero in libro, quem ad Marcum Brutum misit (§ 12), exponat: *Ego autem et me saepe nova videri dicere intellego, cum pervetera dicam, sed inaudita plerisque, et fateor me oratorem, si modo sim aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse.* Quam sententiam rectam esse ex Augustini ipsius verbis perspicitur. In libri enim III. Confessionum cap. 4. haec narrat: *Inter hos* (eversores, cf. c. 3) *ego imbecilla tunc aetate discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanae; et usitato iam discendi ordine perveneram in librum quendam* (*cuiusdam* Knöll) *Ciceronis... Sed liber ille.. vocatur Hortensius.* Verisimillimum est et in schola rhetoris illius et in aliis Carthaginiensium rhetorum scholis hunc usum observatum esse, ut discipulis ex Hortensii libro a magistris quaestiones, de quibus illi disputarent, proponerentur. Conferamus enim Martiani Capellae, qui Augustini aequalis in eadem, qua hic urbe eloquentiae operam dedit, librum de rhetorica (I 5, p. 454 H.): *Infinita illa est quaestio, quae generaliter quaerit, utrum sit aliquid appetendum, ut, an philosophandum sit, in Hortensio.* Sic enim iam Aristoteles adulescentes exercuit (Orator 46).

[3] Confess. III 4.

[4] His verbis aliquam vituperationem contineri haud dixerim. Mihi quidem Augustinus nihil aliud dicere velle videtur, quam Ciceronis quidem eloquentiam omnibus placere, sententias autem eius sapientiae plenas non ab omnibus capi et intellegi. Quam sententiam sanam esse verbis demonstratur, quae paulo post leguntur (III 4): *Non ergo ad acuendam linguam referebam illum librum neque mihi locutionem, sed quod loquebatur persuaserat.*

tatis cognitionem appetebat. Inde iam illa scientiae cupiditas, qua modo his, modo illis litteris se abdere cogitur, modo ut huius, modo ut illius philosophorum sectae disciplinam profiteatur, commovetur[1]. Nam maius erat Augustini ingenium, quam ut specie veri diu deciperetur.

Sed iam brevissime studia et errores Augustini percurramus. Cui, cum Ciceronis libris, qui de philosophia sunt, operam daret, in mentem venit, ut scripturas sacras percipere et comprehendere studeret. Sed ei haud placebant, quia sermone familiari et cotidiano scriptae multum a Ciceronis eleganti, expedita, facile currente oratione et floribus dicendi abhorrebant[2]. Quare sectae se adiunxit Manichaeorum, qui superbe se veritatem omnem perspectam habere et alios docere posse gloriabantur[3]. Qui Augustini animae sitienti doctrinam suam poculis pulcherrimis eloquentiae ministrabant; quo factum est, ut, licet doctrina eorum Augustino haud satis probaretur, tamen illam sectam per novem annos sequeretur[4].

Eodem fere tempore plurimos libros, quibus ars rhetorica et dialectica, mathematica, musica, ceterae artes liberales tractabantur, legit et nullo adiuvante magistro optime intellexit[5]. Iam omnibus civibus eius ingenium ita notum erat, ut ipse ludo aperto plurimos inveniret discipulos, qui se in eius disciplinam traderent[6]. Cum in patria docere coepisset[7], magnam eum laudem adeptum esse inde perspici potest, quod ludis, quibus cum musica tum oratorum certamina instituebantur, iam adulescens victoriam consecutus est[8]. Neque satis habuit litteris leviter tantum imbui, sed omnium vel reconditarum artium exquisitam atque subtilem acquirere voluit scientiam. Itaque libros mathematicorum legit et morte amici, qui Thagastae decesserat, valde adflictus in poëtarum carminibus et philosophorum libris lectis et in disputationibus cum amicis habitis solacium animae vulneratae quaerebat[9]. Atque ut mutatione loci dolori mederetur, relicta patria petivit Carthaginem. In ea urbe libros 'De pulchro et apto' scripsit, quos ad Hierium, Romanae urbis oratorem, misit. Quem virum doctum ex eius libris solum noverat, sed, quod eum et artis dicendi esse peritissimum et philo-

---

[1] Cf. libri De beata vita I 4: *Ego abusque undericesimo anno aetatis meae, postquam in schola rhetoris librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore philosophiae succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer.*

[2] Confess. III 5. — [3] Ibid. III 6. — [4] Ibid. IV 1. — [5] IV 16. — [6] IV 2. [7] IV 4. — [8] IV 3. — [9] IV 3, 7, 8.

sophorum praecepta percepta habere audierat, magna veneratione prosequebatur[1].

Sed quod ei cum alia tum discipulorum licentia Carthagine displicebat, suadentibus amicis Romam ire decrevit. Romae enim legibus statutum erat, ut magistratus publici discipulorum studia et mores moderarentur[2]. At vix eo venerat, cum in morbum gravem incidit. In domo Manichaei cuiusdam decumbens Manichaeorum societate quidem usus est, sed placita eorum respuebat. Maxime vero ei doctrina Academicorum placebat, qui veritatem omnino inveniri posse, cum de omnibus rebus posset dubitari, desperabant[3].

Haud diu magister Romae mansit. Nam ubi convaluit et discipulos congregare coepit, ne hic quidem adulescentes eis moribus esse cognovit, quibus eos esse cupiebat[4]. Itaque cum Mediolanenses ad Symmachum, praefectum urbis, legatos misissent, qui eum rogarent, ut civitati dicendi magister daretur, Augustinus hoc munus ambire statuit. Qua in re cum eum amici Manichaei adiuvissent atque ipse dictione, quam coram Symmacho habuit, ceteros rhetores vicisset, facile ab hoc impetravit, ut Mediolanum dicendi magister mitteretur[5].

Hac in urbe Augustinus omnia ad beatam vitam necessaria habuit. Munere enim rhetoris satis magnas opes sibi comparavit; oratoria autem laude ita floruit, ut brevi fama usque ad imperatoris aures perveniret ipseque, ut coram imperatore orationem haberet, arcesseretur[6]. Horis antemeridianis corona optimorum adulescentium cingebatur, qui ex eius ore velut ex oraculo recte et vere dicendi viam quaerebant[7], horis postmeridianis viris nobilissimis familiariter utebatur, quibuscum de philosophia disputans tempus terebat. Nam nonnulli amici ex Africa eum secuti sunt, velut Alypius, qui cum ex eodem, quo Augustinus ortus municipio, Thagastae et Carthagine huius discipulus fuisset, ab eodem Romae inventus et Mediolanum perductus est[8].

Alter amicus, quo Augustinus familiarissime utebatur, Nebridius, relicta Carthagine Mediolanum venerat, ut cum Augustino viveret flagrantissimo studio veritatis atque sapientiae incensus[9]. Aderat quoque Romanianus, vir ditissimus atque Augustino ab ineunte aetate familiarissimus[10]. Sed inquietus animus Augustini neque divitiis et honoribus neque omnibus, quibus fruebatur, delectationibus neque copia amicorum satiari poterat. Nam haerebat animo dolor, quod

---

[1] Confess. IV 13, 14. — [2] V 8. — [3] V 10. — [4] V 12. — [5] V 13. — [6] VI 6. — [7] VI 11. — [8] VI 7—11. — [9] VI 10. — [10] VI 14.

veritatem, qua ad bene beateque vivendum via monstraretur, tam diu frustra quaereret.

At iam appropinquabat dies, quo Augustinus dubitationibus solutis tranquillitatem animi tam diu exoptatam adepturus erat. Nam cum philosophorum libros, in quibus de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur, adsidue perscrutaretur, libri quoque Platonicorum quorundam ei in manus venerunt, quos Victorinus[1], artis dicendi magister, ex Graeco sermone in Latinum transtulerat. Tum vero Augustinus doctrina, quae illis libris continebatur, et exemplo Victorini illius commotus apostoli Pauli epistulas legere coepit. Iam magis magisque Christianorum doctrina atque praecepta morum ei placuerunt.

Atque cum die quodam Ponticianus, praefectus militum, ad Augustinum venisset ab eoque certior factus esset ipsum sacris scripturis illo tempore maximam curam impendere, ortus est sermo Ponticiano narrante de Antonio, Aegyptio monacho, atque de tribus Ponticiani contubernalibus, qui Antonii exemplum secuti erant.

Vehementem quasi procellam, quae hac Ponticiani narratione in animo eius statim exorta est, in Confessionum libro VIII. capitibus inde ab 7 usque ad 12 tam vivis coloribus depingit, ut facere non possim, quin pauca ex eius verbis[2] repetam: *Abiit ille* (Ponticianus) *et ego ad me. Quae non in me dixi? — Hortulus quidam erat hospitii nostri . . . Illuc me abstulerat tumultus pectoris, ubi nemo impediret ardentem litem, quam mecum aggressus eram. — Flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de divina* (Sess.; *vicina* cett. codd.) *domo cum cantu dicentis et crebro repetentis . . . .*[3]: *'Tolle, lege, tolle, lege'. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare coepi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid, nec occurrebat omnino audisse me uspiam repressoque impetu lacrimarum surrexi nihil aliud*

---

[1] De Victorino illo Augustinus haec refert (Conf. VIII 2, 3): *Simplicianus . . . ut me exhortaretur ad humilitatem Christi sapientibus absconditam et revelatam parvulis, Victorinum ipsum recordatus est, quem, Romae cum esset, familiarissime noverat; deque illo mihi narravit . . . quemadmodum ille doctissimus senex et omnium liberalium doctrinarum peritissimus quique philosophorum tam multa legerat et diiudicaverat, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne praeclari magisterii . . . statuam Romano foro meruerat et acceperat, . . . non erubuerit esse puer Christi . . . subiecto collo ad humilitatis iugum et edomita fronte ad crucis opprobrium.* 5, 10 *imperatoris Iuliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere litteraturam et oratoriam, quam legem ille amplexus loquacem scholam deserere maluit.*

[2] Confess. VIII 7, 18.

[3] VIII 12, 29.

interpretans divinitus mihi iuberi, nisi ut aperirem codicem et legerem, quod primum caput invenissem . . . Arripui, aperui et legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei: 'Non in comisationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et inpudicitiis, non in contentione et aemulatione, sed induite Dominum Iesum Christum et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis' [1]. *Nec ultra volui legere nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiae quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebrae diffugerunt.*

Illo die sine dubio terminus maximi momenti in Augustini vita, ratione discendi, docendi, scribendi, agendi constitutus est.

Restat igitur, ut de eius studiis, quibus brevissimo illo, quod inter illum diem atque Pascha anni 387. intercessit, tempore occupatus erat, pauca addamus.

Atque paucissimi supererant dies ad ferias vindemiales, cum Augustinus taedio artis rhetoricae permotus munere rhetoris se abdicaturus erat[2]. Laetus post intervallum illud viginti fere dierum cum amicis Alypio, Licentio, Romaniani filio, Trygetio, adulescente nobili, aliis in villam Verecundi, civis Mediolanensis familiarissimi, se contulit. Iam vero Alypium aetate provectiorem et philosophia tum plane imbutum fuisse paulo supra audivimus. Licentius autem et Trygetius studiorum causa Augustinum secuti esse videntur; quibus ruri degentibus hic cotidie carmina Vergilii legenda et interpretanda proponebat. Sed certe hi adulescentes iam in artibus liberalibus multum profecerant, quia Augustinus eos summa omnium artium, philosophia, initiare studuit[3].

Atque Hortensio et sine dubio aliis quoque Ciceronis libris, qui ad philosophiam spectant, perlectis Augustinus, ut discipulos exerceret, saepius cum amicis, matre, adulescentibus disputavit. Sic orti sunt in villa Cassiciaca pulcherrimi illi dialogi, qui ad hanc quoque aetatem pervenerunt: libros dico Contra Academicos tres, De beata vita unum, De ordine duos. Sunt certe libri dignissimi, qui legantur, cum Augustini et philosophiae amorem[4] et in Ciceronem Platonemque pietatem pro-

---

[1] Rom. 13, 13 sq.

[2] Confess. IX 2.

[3] Contra Acad. I 1, 4.

[4] His enim verbis, quae libro primo Contra Academicos scripto praemisit Romanianum adhortatur: *Evigila, evigila, oro te; multum, mihi crede, gratulaberis, quod paene nullis prosperitatibus, quibus tenentur incauti, mundi huius tibi dona blandita sunt. Quae me ipsum capere moliebantur cotidie ista cantantem, nisi me pectoris dolor ventosam professionem abicere et in philosophiae gremium confugere*

dant[1]. Disputationes autem illas in libros translatas Augustinus amicis absentibus imprimis Nebridio mittebat[2]. In eadem villa Cassiciaca Augustinus natalem tricesimum tertium egit.

Ineunte autem mense Ianuario a. 387. Augustinus rure relicto Mediolanum revertit cum amicis, ut nomen daret, id est, ut in numerum catechumenorum reciperetur. Ipse quidem neque mensem neque diem indicat, quo rure in urbem redierit, sed res facillime ex eis verbis conici potest, quae in Confessionum libro IX 6, 14 legimus: *Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus.* Certus enim erat dies, quo catechumeni sermone sollemni, ut nomen suum darent, ab episcopo invitabantur. Qui dies festus in ecclesia Mediolanensi, in qua Ambrosius eo tempore episcopus fuit, erat Epiphania Domini (6. dies Ianuarii)[3]. Itaque dubitari nequit, quin Augustinus die Epiphaniorum anni 387. Mediolani nomen suum dederit.

A quo die usque ad Pascha eiusdem anni Augustinus Mediolani mansit atque ad suscipiendum baptisma se praeparabat. Sed ne hoc quidem tempore studia, quae tam adamaverat, intermisit. In Retractationum enim libri primi cap. 5 (6) haec de semet ipso narrat: *Per idem tempus, quo Mediolani fui baptismum percepturus, etiam Disciplinarum libros conatus sum scribere . . . . . per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere.*

---

coegisset. Ipsa me nunc in otio, quod vehementer optavimus, nutrit et fovet; ipsa me penitus ab illa superstitione, in quam te mecum praecipitem dederam, liberavit: ipsa enim docet et vere docet nihil omnino colendum esse totumque contemni oportere, quicquid mortalibus oculis cernitur, quicquid ullus sensus attingit.

[1] Plurimas sententias cum ex aliis Ciceronis libris tum ex Hortensio sumptas esse Desiderius Ohlmann in disputatione, quam de s. Augustini dialogis in Cassiciaco scriptis Argentorati a. 1897 edidit, p. 34 sq. ostendit. Quae Augustinus Platoni vel Platonicis debeat, Storzius in libro, quem inscripsit: 'Die Philosophie des hl. Augustinus' (Friburgi in Brisgovia 1882), edocuit. — Ceterum Augustinus nimium hunc Platonis et Ciceronis philosophiae amorem vituperare videtur in Confessionum l. IX 4, 7.

[2] Cf. Conf. IX 4, 7.

[3] Ambrosii testimonium exstat in Comment. in Luc. IV 1854, 76: *Praeceptor, inquit (Simon), per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo retia. Et ego, Domine, scio, quia nox mihi est, quando non imperas. Nemo adhuc dedit nomen suum, adhuc noctem habeo. Misi iaculum vocis per Epiphania et adhuc nihil cepi; misi per diem. Exspecto, ut iubeas, in verbo tuo laxabo retia.* Cf. Mayer, 'Geschichte des Katechumenates in den ersten sechs Jahrhunderten' Kempten 1868, p. 74.

Quae verba ita intellegenda esse puto, ut hunc omnes disciplinas, quas tum tractavit, colore quodam philosophiae, cui ita deditus erat, tinxisse existimem. Qua vero forma scripti sunt illi Disciplinarum libri?

Atque illis temporibus dialogi formam Augustino maxime placuisse saepius vidimus. Testimonio enim sunt cum illi dialogi, quos ruri eum conscripsisse audivimus, tum Soliloquiorum libri duo, ubi vel inter rationem suam et semet ipsum sermonem instituit. Itaque iam hac ab Augustino adamata scribendi ratione nobis probatur sententia etiam illos, quos Mediolani hieme a. 387. scribere coeperat, Disciplinarum libros, dialogorum formam habuisse. Sed testem vel gravissimum ad eam rem demonstrandam producere possumus, Augustinum ipsum, qui l. l. profitetur: *Disciplinarum libros conatus sum scribere interrogans eos, qui mecum erant atque ab huiusmodi studiis non abhorrebant.* Quare non dubito, quin eodem prorsus modo, quo omnes libros in Cassiciaco scripsit, Disciplinarum libros exarare voluerit[1].

Iam vero sic facillime explicari potest, quomodo factum sit, ut Augustinus, cum de omnibus artibus liberalibus scribere coepisset, ne unum quidem librum ad finem perduceret[2]. Nam etiam in villa Cassiciaca *eodem fere tempore* de Academicorum praeceptis, de vita beata, de ordine disputatum est[3].

---

[1] Quem modum ipse Zenobio sic describit: De ord. I 5: *Ibi disserebamus inter nos, quaecunque videbantur utilia, adhibito sane stilo, quo cuncta exciperentur, quod videbam conducere valetudini meae. Cum enim nonnulla loquendi cura detinerer, nulla inter disputandum irrepebat immoderata contentio. Simul etiam, ut si quid nostrum litteris mandare placuisset, nec aliter dicendi necessitas nec labor recordationis esset.* Quae verba tam aperta sunt, ut haud rectam esse Hirzelii sententiam putem, qui in libro, cui titulus est 'Der Dialog' (II 376—377), sic iudicat: „Die Dialoge sind, wenn auch nicht geradezu historisch, wie man gemeint hat, so doch typisch und fassen eine Reihe wirklicher Gespräche, wie er sie namentlich in Cassiciacum geführt hatte, zu einigen Gesamtbildern zusammen". Cuius iudicium partim refutasse, partim correxisse mihi videtur Ohlmann l. l. p. 8 sq.

[2] Retr. I 5 (6): *Sed earum solum de Grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi, et de Musica sex volumina . . . . sed eosdem sex libros iam baptizatus iamque ex Italia regressus in Africam scripsi, incoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanium Disciplinam. De aliis vero quinque disciplinis illic similiter incoatis, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometrica, de Arithmetica, de Philosophia, sola principia remanserunt, quae tamen etiam ipsa perdidimus.*

[3] Veluti die 12. Novembris Augustinus cum amicis de eo disputavit, quod continetur c. Acad. I 16—25, die 13. Novembris, quod inest in libri De vita beata cc. 7—17, die 16. Novembris, quae exhibet lib. De ordine I 6—27, die 20. Novembris, quae in libris c. Acad. II 10—14 et 14—25, die 23. Novembris, quae in libro De ord. II 1—54 legimus. Accuratissimum autem conspectum argumentorumque seriem, quae, ne longus sim, repetere nolo, in Ohlmanni disputatione legere licet (p. 27 sqq.).

Sed iam hic in vita Augustini exponenda subsistamus. Neque enim, ut hanc materiam porro tractemus, nobis propositum est, cum Augustinus baptismate suscepto totus se rebus divinis dederit neque unquam amplius artibus liberalibus vacaverit[1]. Itaque, ut quaestionem, quam iam initio nobis proposuimus, tandem aliquando solvamus, nobis revertendum est ad *fragmentum artis rhetoricae,* a quo sermo noster aberravit.

Atque recurrendum nobis est ad verba Augustini, quae paulo supra attulimus, quibus ipse de libris Disciplinarum Mediolani hieme anni 387. conscriptis narrat. Nam mirum in modum non solum Crecelius et A. Reuter, sed etiam ii, quibuscum hi vehementer pugnant, Benedictinos s. Mauri dico, in illis verbis argumenta ad sententiam suam comprobandam et quaesiverunt et invenisse se adfirmant. Benedictini enim fragmentis illis librorum Disciplinarum, quae sub Augustini nomine ferebantur, propterea valde offensi sunt, quod neque dialogorum formam gererent neque ad incorporea promoverent animum[2]. Deinde Crecelius contra ea, quae Benedictini protulerunt, haec scripsit[3]: *Quid igitur? In libris de rhetorica et de dialectica quo iure desiderari censemus illum locum, quo a corporalibus ad incorporalia perducere Augustinus sibi proposuerat? Hunc nonne in extremis libris per se intelligitur Augustinum, si libros perfecisset, fuisse additurum? Itaque quid mirandum est, quod non exstat in libris non perfectis?*

Sed rectene haec Crecelius observaverit, ex his, qui ad hanc aetatem pervenerunt, de Musica libris sex cognosci potest. Quos iam inspiciamus! Atque a prooemio admodum ieiuno oratio usque ad subtilem rerum contemplationem surgit magistrumque esse et in philosophia et in dialecticis versatissimum prodit. Socratis enim more hic multa ex disciplulo quaerit eumque, si de definitione aliqua non recte iudicavit, argutiis compungit. Certe nullam ob aliam causam Augustinus *iam initio primi libri* de re ceterum humili et simplici tam copiose et ornate disputat, nisi quod finem, ad quem tendebat, ut *mutabilibus numeris perveniretur ad immutabiles numeros, qui iam in ipsa essent immutabili veritate*[4],

[1] Cf. Conf. X 9, 16: *Sed non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriae meae. Hic sunt et illa omnia, quae de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt.* Atque epistula 118. 5, 34 ad Dioscorum missa, qui Augustino nonnullas quaestiones ex Ciceronis Oratore petitas proposuerat, Augustinus sic respondit: *Oratoris autem librorumque De oratore omnes quaestiones praetermisi . . . res ipsae nunc nostrae professioni minus congruunt.*

[2] Tom. I. App. p. 802.

[3] Programma gymn. Elb. p. 2.

[4] Retract. I 10 (11), 1.

semper ante oculos habebat. Iam ipsum artis rhetoricae fragmentum, de quo disputamus, inspiciendum est.

Quod totum speciem commentariorum ad dictata magistri cuiusdam dicendi scriptorum prae se ferre iam vidimus. Magister ille expedita quidem, sed exili et arida oratione docet, quid ei sciendum atque faciendum sit, qui apud iudicem causam alicuius agere velit.

At quomodo haec praecepta cum veritatis amore et mendacii odio, quo tum impletum fuisse [1] Augustinum paulo supra ostendimus, componi possunt?

Equidem nullo modo virum ullum doctum mente concipere possum, qui, cum philosophi odio rhetoricam persecutus esset, paucis diebus post tritissima illa rhetorum praecepta sua sponte ne minima quidem necessitate coactus coram amicis, quos disciplinis liberalibus atque adeo ipsa philosophia imbutos fuisse cognovimus, non solum nullo verbo vituperaverit, sed etiam iterum atque iterum laudaverit.

Deinde num cogitari potest Augustinum de praeceptis illis minutissimis, velut de asystatis [2], disputavisse, quae iam Cicero adulescens nullius esse utilitatis recte intellexerat et in libris illis De inventione scriptis tractare noluerat? Tum adfirmare non licet Augustinum, quem maxime paenituerat, quod pueros sine dolo docuisset dolos, quibus non contra caput innocentis, sed aliquando pro capite nocentis agerent [3], a. 387. aequo animo hoc scribere potuisse: *Παράδοξον est controversiae genus, ut supra definiebam, in quo utraque inhonesta sunt, tam res quam persona, velut: 'inpudicitiae reus fortiter fecit: petit praemii nomine accusatoris sui mortem'* [4] ... *In paradoxo, id est in malae opinionis themate, ubi et personae et rei dignitas pariter laborabit, longioribus principiis utendum erit et purgandis suspicionibus opera tribuenda et demisse loquendum cum sententiis tum verbis etiam propius blanditiam sitis, et querimonia quasi falsi inlati criminis et falsae infamiae compositae adversus nos per invidiam, summissiore toto corpore conformato ad verecundiam, summisso voltu, oculis terram intuentibus, neque illam acriter, sed, si possumus, etiam rumore dissimulato* [5].

Etenim *quae hoc loco et alibi praecipiuntur, haud philo-*

---

[1] Gravia certe sunt haec Augustini verba (Confess. IX 2, 2): *Et placuit mihi ... subtrahere ministerium linguae meae nundinis loquacitatis, ne ulterius pueri meditantes ... insanias mendaces et bella forensia mercarentur ex ore meo arma furori suo.*

[2] c. 15.

[3] Confess. IV 2, 2.

[4] c. 18.

[5] c. 21.

sopho veritatis amante digna sunt, sed rhetore, qui discipulos non in vera illa sapientia, sed *in astutia iudiciali exerceat.*

Sed redeamus ad Crecelii disputationem! Qui in pagina altera libri, quem paulo ante commemoravimus, sic pergit: *Firmissimum vero Benedictini sententiae suae hoc adferre videntur argumentum, quod in dialogi formam isti libri non sint compositi. Hac enim forma Augustinum, cum libros de artibus et disciplinis conscriberet, fuisse usum, iure ac merito efficere videri possunt ex loco, quem supra attulimus Retractationum . . . . Atque librorum de musica reapse ita ratio comparata est, ut inter magistrum interrogantem ac docentem et respondentem discipulum fiat disputatio. Nec vero infitior ceteros quoque libros, qui cum libris de musica communi quodam societatis vinculo cohaerent, Augustinum, si ad finem perduxisset ac retractasset, dialogi forma compositurum fuisse . . . Quae cum ita sint, sic existimamus Augustinum rhetoricae et dialecticae primas modo lineas litteris mandasse atque in animo habuisse eas copiosius et accuratius, si quando recoleret, explicare, ita, ut sermonibus omnia exponeret. Quod cum in irritum caderet, sola, ut ait Augustinus, principia remanserunt, quae ab amicis eius sunt descripta et divulgata.*

Sed multa contra Crecelium dici possunt. Nam, ut quaestionem illam De dialectica, quae ad me non pertinet, mittam[1], quis credat virum illum doctissimum, qui in rhetorica arte discenda et docenda tam diu versatus esset, tum demum, cum iam rhetoris munere esset abdicaturus, *primas rhetoricae lineas mandavisse litteris?* Nam certe iam pridem in manibus eius commentarii erant ab ipso conscripti, secundum quos pueris artem dicendi tradebat.

Si autem formam ac speciem quandam, ut ita dicam, dialogi, quem de arte rhetorica cum amicis habiturus erat, paucis adumbravisset, certe aliter ei scribendum erat, inprimis aliae res docendae

[1] Haud silentio praetereundus est error A. Reuteri (p. 1) atque Teuffelii (Hist. litt. Lat. II 1133), qui quaestione de dialecticae fragmento soluta etiam esse artis rhetoricae illud fragmentum s. Augustini demonstratum esse putant. Teuffel quidem l. l. sic scribit: 'Die früheren Verdachtsgründe gegen die Echtheit bestanden hauptsächlich in den Abweichungen von der sonstigen Weise des Augustinus (z. B. durch Anwendung vieler griechischer Kunstausdrücke und Nichtanwendung der dialogischen Form), welche bei Schriften, welche sich im ganzen und einzelnen auf fremde Arbeit gründen, von wenig Beweiskraft sind'. Sed unde Teuffel demonstraturus est Augustinum, qui tot annos rhetor fuit, alterius cuiusdam commentariis ita usum esse, ut ne voces quidem Graecas in Latinum verteret? Certe enim Teuffelii argumentum circulo vitioso laborat. Tum, ut de codicum manu scriptorum testimoniis taceamus, usus loquendi artis dialecticae, in qua Graecas voces frustra quaeremus, multum a fragmenti illius artis rhetoricae dicendi usu differt.

neque tritissima illa artis dicendi praecepta erant repetenda[1]. Nonne Ciceronem quoque aliter in libris illis, quos ad Quintum fratrem misit, aliter in Partitionibus oratoriis (quod opusculum post libros illos De oratore scriptum est) cum filio Marco de eadem arte disputasse scimus?

Sed forsitan dixerit quispiam fragmentum illud, quod in manibus habemus, non librorum illorum quidem Disciplinarum esse partem, sed frustulum quoddam institutionis oratoriae, quod Augustinus aliquando ad pueros arte dicendi instruendos ediderit. Atqui huic opinioni id obstat, quod nullo Retractationum libro Augustinus talis scripti meminit. Immo in quarto, quem De doctrina Christiana scripsit libro[2], *se simile quid unquam e manibus misisse omnino negat.* Sed potestne fragmentum, quod sub nomine Augustini fertur, frustulum esse commentariorum, quod discipulus quidam eius ad dictata magistri scripsit? Qua via iam prisca antiquitate discipulos magistris libros surripuisse compertum habemus. Idem Quintiliani discipuli fecerunt[3]. Atque Ciceronis De inventione rhetorica et incerti auctoris De ratione dicendi libros nihil esse aliud quam commentarios ad dictata magistri in schola scriptos Fridericus Marx sagaciter demonstravit[4].

Itaque discipulos Augustini quoque admiratione magistri captos hoc facere potuisse libenter concedimus. Sed ut diiudicare possimus, utrum fragmentum, de quo agimus, revera reliquiae sint commentariorum a discipulis Augustini editorum necne, ad fragmenta praeceptorum artis dicendi, quae in scriptis Augustini dispersa latent, nobis confugiendum est. De quibus tertia disputationis parte disseremus.

III.

Quis est, cui non fiduciae plena videantur haec incerti auctoris ad Herennium verba, quibus magnopere commentarios suos probat[5]: '*Omnes rationes honestandae studiose collegimus elocutionis, in quibus,*

---

[1] Atque subtilis certe et philosopho haud indigna est disputatio, quam Augustinus eodem tempore cum amicis de artibus liberalibus habuit. Quae disputatio libro primo De ordine continetur.

[2] c. 1, 2.

[3] Quint. Inst. I 7.

[4] In Prolegomenis, quae *Incerti auctoris de ratione dicendi ad C. Herennium libris IV.* praemisit p. 75 (De natura et indole librorum ad Her.) sqq., De Ciceronis libris de inv. p. 76 sqq.

[5] IV 56, p. 375—376 edit. Fr. Marxii.

Herenni, si te diligentius exercueris, et gravitatem et dignitatem et suavitatem habere in dicundo poteris, ut oratorie plane loquaris . . . . . Et nobis non diffidimus, propterea quod et aliquantum processimus et alia sunt meliora, quae multo intentius petimus in vita . . In his libris nihil praeteritum est rhetoricae praeceptionis . . Ergo amplius in arte rhetorica nihil est'?

Atque haud dubito, quin aequum sit Friderici Marxii iudicium, qui in prolegomenis (p. 83) ad libros, quos supra laudavimus, sic de librorum scriptore iudicat: *Quibus verbis non utitur rhetor aliquis, sed is, cuius successum magister scholae rhetoricae modo laudarat, qui schola rhetorica modo relicta, cum philosophiae operam dat, illam disciplinam didicit contemnere prae nova et praestantiore . . . . . Quae omnia puerilia et inepta esse nemo non iudicabit*[1].

Haud aliter enim loqui solent hac aetate adulescentes, qui apud ludi magistros ne absolutis quidem studiis arte aliqua poëtica nonnullisque carminibus a magistris instructi se brevi poëtas, si non clarissimos, at tamen haud spernendos fore sperant.

Sed caveamus, ne hac incerti scriptoris nimia fiducia iusto plus offendamur. Teste enim Cicerone[2] multi hoc errore obstricti erant, ut puerilem in arte rhetorica institutionem sufficere putarent, ut quis summa oratoris laude floreret. Neque dubitamus, quin ipsius Ciceronis, cum adulescens duobus libris magistrorum suorum doctrinam exponeret, quam tunc habuit de arte rhetorica, opinio non multum a communi illa sententia abhorruerit[3]. Sed rectius iam de praeceptis illis iudicavit atque eloquentiam *maius esse quiddam, quam homines opinarentur, et pluribus ex artibus studiisque collectum,* docuit in libris illis De oratore, quos ad Quintum fratrem misit.

Quae omnia propterea commemoravimus, ut nobis in animum revocaremus cum alias notiones, tum illam eloquentiae cum ipso homine crescere, aliam in puero, aliam in viro, aliam in rudi homine, aliam esse in philosopho omnis scientiae summam amplexo. Inde dicendi magistrum ad puerorum animos ex sublimi eloquentiae fastigio descendere debere patet; parvos enim parva decent.

---

[1] Proleg. p. 90.

[2] De or. II 1 *Magna nobis pueris . . . opinio fuit L. Crassum non plus attigisse doctrinae quam, quantum prima illa puerili institutione potuisset . . . . erantque multi, qui . . . libenter id . . . praedicarent, ut . . . inanis . . noster esse labor et stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur.*

[3] Cf. De inv. I 5, ubi artificium illud tanti, quanti ingenium et exercitationem, facit atque adeo, cum artificii aridissima praecepta accuratissime exponat, nullo loco eos, qui libros suos legant, ut se in dicendo exerceant, hortatur.

Itaque magnum discrimen esse in aperto est inter puerilem illam in eloquentia institutionem atque eruditorum hominum de eadem re doctrinae plenas disputationes. Quamobrem nos quoque sic de Augustini praeceptis rhetoricis disputaturi sumus, ut primum reliquias dictionum, quas in schola habebat, conquiramus.

Sunt autem, quae ad hanc aetatem pervenerunt, frusta minima et paucissima. Velut in libro primo, quem contra Cresconium grammaticum s. Augustinus scripsit[1], haec eloquentiae definitio occurrit: *Eloquentia facultas dicendi est congruenter explicans, quae sentimus, qua tunc utendum est, cum recta sentimus*[2].

Quod autem sit eloquentiae officium et qui finis, ex quarto De doctrina Christiana libro comperimus[3]: *Nam cum eloquentiae sit universale officium in quocumque istorum trium generum*[4] *dicere apte ad persuasionem, finis autem, id, quod intenderis, persuadere dicendo: in quocumque istorum trium generum dicit quidem eloquens apte ad persuasionem, sed nisi persuadeat, ad finem non pervenit eloquentiae.* Porro s. Augustinus totam dicendi doctrinam in duas videtur distribuisse partes: in inventionem atque elocutionem. Nam in libro primo De doctrina Christiana (I 1) exponit de ea re ita: *Duae sunt res, quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi, quae intellegenda sunt, et modus proferendi, quae intellecta sunt.* In libri autem quarti capite primo eiusdem scripti haec addit: *Quia ergo de inveniendo multa iam diximus, ... de proferendo pauca dicemus.* Quos libros De doctrina Christiana, ut *verbi divini praedicatores eloquentia instruerentur,* conscriptos esse iam primo obtutu patet. Propterea ab Augustino totius dicendi materiae in inventionem et elocutionem divisio, quam tot annorum usu probatam habuit, hoc quoque loco adhibita est.

Quam vero provinciam oratoris facultati attribuerit, nobis solum divinare licet; namque hac de re nullo loco satis aperte loquitur. Sed hoc constat eum discipulos praecipue in genere dicendi iudiciali exercuisse[5]. Sed etiam in suasoriis et laudationibus, in quo eloquentiae

---

[1] Quattuor illi contra Cresconium grammaticum libri scripti sunt a. p. Ch. n. fere 405. De quibus Augustinus in Retractationum libro II c. 52 (26) narrat.

[2] l. I, c. 1, vol. IX 390 (ed. Ben.). Fortasse Augustinus discipulis breviorem hanc definitionem: '*Eloquentia est facultas recte dicendi*' tradebat. Nam musicam similiter definit (De mus. I 2): *Musica est scientia bene modulandi.* Sed animadvertendum est Augustinum rhetoricam non scientiam, sed cum Aristotele facultatem appellare.

[3] De doctr. Chr. IV 25, 55. Quod caput scriptum est a. p. Ch. n. 426.

[4] In genere grandi, submisso, modico.

[5] Cf. Confess. IV 2, 2: *Docebam in illis annis artem rhetoricam .... et eos sine dolo docebam dolos, non quibus contra caput innocentis agerent, sed aliquando pro capite nocentis;* cf. IX 2, 2.

genere eum exercitatum fuisse non ignoramus[1], discipulos exercere haud neglexit.

Atque ex praeceptis illis, quibus discipuli in causis iudicialibus instruebantur in iisque maximam partem omnis rhetorum doctrina versabatur (praecepta illa dico de statibus, principiis, narrationibus, argumentis, locis communibus, perorationibus, alia), una sola particula excepta Augustinus nihil prorsus litteris tradidit.

Quae vero particula ad hanc quaestionem recte tractandam atque solvendam tanti est momenti, ut maximo gaudio adfectus sim, cum Confessionum illos libros legens eam invenissem. Libri enim X. capitibus 8. et 9. Augustinus de magna memoriae suae vi disputat, quae immensa capacitate plurimas res teneat. Immo latere ad id tempus in memoria sua reliquias quasdam de doctrinis liberalibus, quibus tot annos prorsus operam non dederit[2]. Quas ipsas se memoria continere[3], concretarum autem rerum se imagines solas animo tenere[4].

Tum ita pergit: *At vero, cum audio tria genera esse quaestionum: an sit, quid sit, quale sit, sonorum quidem, quibus haec verba confecta sunt, imagines teneo, et eos per auras cum strepitu transisse ac iam non esse scio. Res vero ipsas . . . . in memoria recondidi . . . . Ibi ergo erant et antequam ea didicissem . . . . quare, cum dicerentur, agnovi et dixi: ita est, verum est*[5].

Ex his, quae modo attulimus, Augustini verbis certe efficitur eum in schola rhetoris *tria* esse *quaestionum genera* didicisse et postea ipsum docuisse[6]. Iam vero a dicendi magistris usu receptum erat, ut quae-

---

[1] Revocemus enim in memoriam, quae de eius panegyrico in imperatorem Mediolani habito audivimus.

[2] Confessiones enim anno p. Ch. n. 400. editae sunt. Cf. Retract. II 32 (6).

[3] Quia, ut verbis hominum huius aetatis loquar, notiones abstractae sunt.

[4] Confess. X 9, 16: *Sed non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriae meae. Hic sunt et illa omnia, quae de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt, quasi remota interiore loco, non loco; nec eorum imagines, sed res ipsas gero. Nam quid sit litteratura, quid peritia disputandi, quot genera quaestionum, quidquid horum scio, sic est in memoria mea, ut non retenta imagine rem foris reliquerim aut sonuerit aut praeterierit, sicut vox impressa per aures.*

[5] Verba autem c. 10: *Aut quare, cum dicerentur, agnovi et dixi: ita est, verum est, nisi quia iam erant in memoria, sed tam remota et retrusa quasi in cavis abditioribus, ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem?* Platonis doctrinam sapiunt. Conferamus Soliloquiorum II c. 20: *Tales sunt, qui bene disciplinis liberalibus eruditi: si quidem illas sine dubio in se oblivione obrutas eruunt discendo.* Quam sententiam Augustinus in Retractationum libris respuit (I 4).

[6] Conf. X 10: *Nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi et vera esse adprobari et commendari ei, tamquam reponens, unde proferrem, cum vellem.*

stionum generibus expositis de orationis partibus sermo institueretur. De qua materia Augustinus obiter tantum in quarto De doctrina Christiana libro[1] haec pauca commemorat: *Nam cum per artem rhetoricam et vera suadentur et falsa, quis audeat dicere adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum vel intentum vel docilem prooemio facere; isti non noverint? Illi falsa breviter, aperte, verisimiliter; et[2] isti vera sic narrent, ut audire taedeat, intellegere non pateat, credere postremo non libeat?*

Sed iam in his, quae modo de Augustini praeceptis rhetoricis congessimus, paulisper consistamus. Neque enim nobis pluribus verbis opus est, ut fragmentum illud artis rhetoricae, cuius auctorem investigaturi sumus, ne discipuli quidem Augustini commentariolum esse posse demonstremus. Praecepta enim ab Augustini sententiis prorsus aliena illo fragmento continentur. *Aliter enim Augustinus* quam incertus ille fragmenti scriptor *de officio oratoris* disputabat, *aliter finem eloquentiae* indicabat, *aliter divisisse* videtur totam rhetoricae *materiam.*

Atque rationales, ut verbis fragmenti utar, quaestiones *ab Augustino tres* poni modo audivimus, cum *fragmenti auctor* eas *quattuor* esse *verbis* gravissimis contendat[3].

Earum vero rerum, quas Augustinus in prooemiis faciendis ab oratoribus observari vult, in fragmento ne verbo quidem fit mentio.

Accedit, quod Hermagoras, cum fragmenti auctori maximae sit admirationi, apud Augustinum nullo loco nominatur.

Sed iam fragmento illo, quod ad Augustini praecepta rhetorica investiganda nullius est utilitatis, misso, quid doctor ecclesiae re vera de hac arte praeceperit, inquiramus.

Atque lux aliqua epistula illa adfertur, quam ante annum p. Ch. n. 411.[4] Augustinus ad Dioscorum, Graecum quendam nobilem, miserat. Qui Augustino per epistulam multas quaestiones ex Ciceronis libris cum de eis, quibus philosophorum continentur praecepta, tum de libro, qui inscribitur „Orator", et de libris tribus, qui sunt „De oratore", proposuit solvendas orans, ut mature ad eas responderet. Excusat se neces-

---

[1] l. l. IV 2, 3.

[2] Fortasse particula *et*, quam editiones praebent, delenda est.

[3] Cf. c. 9: *Igitur rationales seu logicae quaestiones fiunt modis quattuor .... De quarta magna contentio est .... Sed inter omnes Hermagorae praecellit auctoritas, qui et quaestionem putat et inprimis necessariam.*

[4] In sectione enim 12, qua haereses varias enumerat, nondum Pelagianos commemorat.

sitate coactum Augustino esse molestum, quod neminem, qui illas quaestiones solveret, invenerit[1]. Augustinus autem, quamquam Dioscorum graviter increpat, quod *episcopum ecclesiasticis curis circumstrepentibus districtum atque distentum repente quasi obsurdescentem ab his omnibus cohibeat atque, ut dialogorum Tullianorum quaestiunculas uni scholastico exponat, postulet,* tamen se multum temporis in libris illis legendis et intellegendis consumpsisse minime negat.

Scribit enim: *Quandoquidem hic, quo ad ea discenda venisti, et Romae expertus es, quam neglegenter habeantur et ob hoc neque doceantur neque discantur; et in Africa usque adeo de his interrogatorem pateris neminem, ut ne te ipsum quis patiatur, invenias eaque inopia episcopis exponenda ea mittere cogaris, quasi vero isti episcopi*[2], *etiamsi adulescentes eodem, quo tu raperis, animi ardore vel potius errore quasi aliquid magnum haec discere curarunt, usque ad canos episcopales et usque ad cathedras ecclesiasticas ea sibi in memoria durare paterentur aut, si ipsi vellent, non illa etiam de invitorum cordibus curae maiores gravioresque secluderent aut, si aliqua ex eis in animis eorum nimia consuetudine remanerent, non etiam ipsa oblivione sepelire mallent recordata quam ineptia respondere quaesita, cum in ipsa etiam scholari levitate et rhetoricis cathedris ita obmutuisse atque obtorpuisse videantur, ut a Carthagine Hipponem, quo exponi possint, mittenda existimentur . . . Christianorum tibi basilica Hipponiensis occurrit, quia in ea nunc sedet episcopus, qui aliquando ista pueris vendidit. Sed nec te volo esse adhuc puerum et me iam esse puerilium rerum sicut non venditorem, ita nec largitorem decet . . . . .*[3]

Ipse igitur testatur *se in discipulis erudiendis Ciceronis libris ad artem rhetoricam spectantibus usum esse* librosque illos se ita intellectos penitusque perceptos habuisse, ut propterea omnibus admirationi esset, neque longinquitate temporis neque gravioribus curis neque studiis ab iis, quibus se adulescens dedisset, prorsus alienis effectum esse, ut Ciceronis illa praecepta e memoria evellerentur.

Pluribus certe causis Augustinus adductus est, ut in praeceptis artis dicendi tradendis *Ciceronis* vestigia premeret. Nonne huius Hortensius ipsum adulescentem ad amorem philosophiae excitaverat? non Ciceronis libri, quibus philosophorum continentur praecepta, studium illud nutriverant atque foverant? Quid igitur mirum, quod Augustino,

---

[1] Ep. 117 (vol. XXXIV. ed. Vind.).

[2] Augustinus atque Alypius, de quo ille in Confessionum libri VI c. 7—12 multa narrat. Qui cum Augustino eodem die baptizatus postea in Africa episcopus factus est.

[3] Ep. 118, 2, 9

cum omnia, quae ex Ciceronis ingenio fluxerunt, tum libri de arte rhetorica maxime probabantur? Quae Ciceronis oratoris aestimatio tanta erat, ut eum semper in illis quoque, quos episcopus scripsit, libris *auctorem Romani eloquii*[1] vel *magnum auctorem eloquentiae* appellaret[2].

Quare adfirmare non dubitamus eum, *qui, quae Cicero in libris ad artem rhetoricam spectantibus praecipiat, perspecta habeat, maximam quoque Augustini rhetoricorum praeceptorum partem cognitam habere*[3].

Maximam partem dico; namque ii, qui tanto, quanto Augustinus, sunt ingenio, certe in nullius, ne eorum quidem, quorum ingenia admirantur, verba iurant, sed omnes sententias suo iudicio subiciunt, corrigunt, nonnulla omittunt, alia addunt. Neque dubium est, quin aliter Augustinus adulescens de arte dicendi iudicaverit, cum sacrae litterae *haud placerent ei, quia sermone familiari et cotidiano scriptae, multum a Ciceronis eleganti, expedita, facile currente oratione et floribus dicendi abhorrerent*[4], aliter cum *'rebus talibus satiatae'* essent aures, cum non ideo meliora visa essent, *'quia melius dicta, nec ideo vera, quia diserta, nec ideo*

[1] De doctr. Chr. IV 17, 34.

[2] De Trinitate XIV 9, 12: *De omnibus tamen quattuor magnus auctor eloquentiae Tullius in Hortensio dialogo disputans: Si nobis, inquit, cum ex hac vita emigraverimus, in beatorum insulis .... degere liceret ...., quid opus esset eloquentia? ..... Ita ille tantus orator.*

[3] Hoc loco Martiani Capellae l. V. de rhetorica silentio haud praetereundus est. Qui vir ex eadem urbe, in qua Augustinus arti rhetoricae vacare coepit, ortus est in eademque urbe, in qua Augustinus artem rhetoricam docuit, causidici munere fungebatur. Eum, cum libros inter annos 410—439 senex scripserit, optimo iure aequalem s. Augustini dicemus. Nonne fieri potuit, ut uterque ab eodem dicendi magistro arte dicendi instrueretur? Communis quidem Augustino cum Martiano est laus et admiratio Ciceronis. Martianus enim rhetoricam sic loquentem inducit: *Inter utrumque .. columen sectatorum praeniteat Tullius meus, qui non solum in foro, senatu rostrisque grandiloquae facultatis maiestate tonuerit, verum etiam ipsius artis praecepta commentus libros quam plures saeculorum usibus consecrarit* (V 436, p. 141 Eyss.). Quamobrem Martianus Capella Ciceronis dicendi praecepta accuratissime exprimit atque repetit. *Atque mira est similitudo, quae inter Martiani Capellae sententias atque Augustini exilium illorum decantatae artis praeceptorum reliquias intercedit.* Quae similitudo certe coniecturae, quam supra fecimus, valde favet. Ceterum haud miramur, quod Cicero orator, quem multi aequales *tumidiorem et Asianum et redundantem* dicebant, in tanto erat honore apud Afros inflatum orationis genus, elationem atque granditatem verborum amantes. Eadem de causa Hermagorae aridissima praecepta, quae Ciceroni minime arridebant (Brut. 263), ferre non poterant. At quoniam, quomodo orator dicere debeat, non ex eius pendet arbitrio, sed verba eius multitudinis auribus sunt accommodanda, exaggeratam Apulei, Martiani Capellae, Tertulliani, Cypriani, ipsius Augustini adulescentis orationem fuisse non miramur.

[4] Confess. III 5, 9.

sapiens anima, quia vultus congruus et decorum eloquium' [1]. Crevit sine dubio cum Augustino et mutabatur in animo eius eloquentiae notio, dominabatur in adulescente ars rhetorica, ut philosophiae cederet.

Iam vero sicut Ciceronis non tritissima illa adulescentis, quae in commentariolis reposuit, praecepta curae nobis sunt, sed libri illi, quos tum demum, cum iam oratoria laude floruit, scripsit, ita Augustini non ea, quae adulescens, sed quae, cum omnium disciplinarum summam amplexus esset, de arte dicendi sensit atque praecepit, audire volumus.

Atque exstant Augustini libri quidam, qui ad pulcherrimos fructus carpendos nos invitant, libros quattuor De doctrina Christiana dico, quos ad oratores Christianos instruendos a. 397. nondum suscepto episcopatu scribere coepit. Sed cum libri tertii partem confecisset, impedire non potuit, quominus quod scripserat in publicum prodiret. Posteriore demum tempore (c. a. 426.) scriptum imperfectum recognovit eique librum quartum, qui est de elocutione, adiecit.

Quibus de libris ita disseremus, ut eos cum Ciceronis libris de arte rhetorica comparemus. Nam si horum librorum praecepta, quorum magnam partem Augustinus in summa senectute conscripsit, cum Ciceronis arte dicendi congruere videbimus, coniecturam, quam modo de Augustino Ciceronis in hac arte imitatore fecimus, probatam esse persuasum habebimus.

Priusquam vero ad materiam, quam nobis proposuimus, tractandam accedamus, nonnulla de Ciceronis, quos De oratore scripsit, libris praemittemus. Hoc imprimis notatu dignum est in libris illis De oratore Crassum et Antonium [2] plurimis locis acerrime in dicendi magistros invehi, quod immodici sint artificii sui aestimatores [3], cum artificium ipsorum imperfectum magisque puerorum mentibus quam aetati provectae et usui forensi sit accommodatum [4]. Attamen Cicero in rhetorum arte laudat, quae laudanda sunt, atque iterum iterumque eam a se prorsus non reici, sed minus esse necessariam ad bene dicendum, ad cognoscendum autem non illiberalem [5] adfirmat. At haec laus rhetoribus minime sufficiebat, qui artificium, quod tradebant, unicuique, qui dicendi studio flagraret, necessario perdiscendum esse persuadebant [6]. Itaque haud mirum est, quod hanc nimiam magistrorum sui opinionem et

---

[1] Confess. V 6, 10.

[2] In quorum hominum disertorum sermonibus Ciceronem suum ipsius de arte dicendi iudicium reposuisse homines docti consentiunt.

[3] De or. I 110.

[4] De or. II 162.

[5] De or. I 145 sq.

[6] Cf. frag. c. 13, p. 144 (H.).

artis a se traditae aestimationem magni discipulorum errores consecuti sunt, ita ut, quod optime paulo ante in incerto illo ad Herennium scriptore vidimus, artificio cognito omnia se fecisse arbitrarentur. Quamobrem Cicero illorum hominum arrogantiam ferre non potuit. Certe neminem nostrum fugit multo facilius esse de arte loqui quam secundum artem dicere. Omnium igitur illorum rhetorum stultitiam, qui praeceptis solis adulescentes Romanos oratores se facturos pollicebantur, Cicero Crassi ore vehementer exagitat[1]. Atque quo magis rhetorum animos reprimat, per Crassum eos commonefacit Menedemum philosophum eorum artificium prorsus inutile esse adfirmavisse ipsosque praecepta illa, quae venditent, non invenisse, sed ex orationibus eloquentium virorum observata collegisse[2].

Item Cicero in illis De oratore libris indicavit, cur adulescentes, qui scholam rhetoris reliquissent, multum etiam a summa oratoris laude abessent. Desiderari enim in iis dicendi consuetudinem. Hoc quidem negari non potest in rhetorum scholis exercitationes quoque institutas esse. Sed haec minime sufficiebant, ut quis in foro causisque civilibus ita diceret, ut probaret, delectaret, flecteret. Sed *educenda* erat *dictio ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem; subeundus usus omnium et periclitandae vires ingenii; et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda*[3]. Orator ostendendus erat adulescenti, quem ante oculos haberet atque imitaretur[4]; multum scribendum[5]. Sic adulescens, quid deceret, videbat; *nam nec semper nec apud omnes nec contra omnes nec pro omnibus nec omnibus eodem modo dicendum* est. *Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem*[6].

His, quae Cicero sibi persuasit, cognitis ad Augustini praecepta redeamus.

Quem in eloquentia comparanda exercitationi atque imitationi potiores quam artificio partes tribuisse atque sententias illis Ciceronis verbis ita similes expressisse videbimus, ut eum ante oculos, cum haec scriberet, *libros Ciceronis De oratore habuisse, existimemus.* Iam Augustini verba[7] au-

[1] De or. III 54.

[2] De or. I 90 et 146.

[3] De or. I 157.

[4] De or. II 90; Quint. X 2, 14.

[5] De or. I 150: *Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus): quam plurimum scribere.*

[6] Or. 123.

[7] De doctr. Chr. IV 3, 4.

diamus: *Sed quaecumque sunt de hac re observationes atque praecepta, quibus cum accedit in verbis plurimis ornamentisque verborum exercitatioris linguae sollertissima consuetudo, fit illa, quae facundia vel eloquentia nominatur, extra istas litteras nostras seposito ad hoc congruo temporis spatio apta et convenienti aetate discenda sunt eis, qui hoc celeriter possunt. Nam et ipsos Romanae principes eloquentiae non piguit dicere, quod hanc artem nisi quis cito possit, nunquam omnino possit perdiscere*[1]. *Quod utrum verum sit, quid opus est quaerere?*[2] *Non enim, etiamsi possint haec a tardioribus tandem aliquando perdisci, nos ea tanti pendimus, ut eis discendis iam maturas vel etiam graves hominum aetates velimus impendi. Satis est, ut adulescentulorum ista sit cura, nec ipsorum omnium, quos utilitati ecclesiasticae cupimus erudiri, sed eorum, quos nondum magis urgens et huic rei sine dubio praeponenda necessitas occuparit. Quoniam si acutum et fervens adsit ingenium, facilius adhaeret eloquentia legentibus et audientibus eloquentes quam eloquentiae praecepta sectantibus. Nec desunt ecclesiasticae litterae etiam praeter canonem in auctoritatis arce salubriter collocatum, quas legendo homo capax, etsi id non agat, sed tantummodo rebus, quae ibi dicuntur, intentus sit, etiam eloquio, quo dicuntur, dum in his versatur, imbuitur, accedente vel maxime exercitatione sive scribendi sive dictandi, postremo etiam dicendi, quae secundum pietatis ac fidei regulam sentit. Si autem tale desit ingenium, nec illa rhetorica praecepta capiuntur, nec si magno labore inculcata quantulacumque ex parte capiantur, aliquid prosunt. Quando quidem etiam ipsi, qui ea didicerunt, et copiose ornateque dicunt, non omnes ut secundum ipsa dicant, possunt ea cogitare, cum dicunt, si non de his disputant: immo vero vix ullos eorum esse existimo, qui utrumque possint, et dicere bene et ad hoc faciendum praecepta illa dicendi cogitare, cum dicunt. Cavendum est enim, ne fugiant ex animo, quae dicenda sunt, dum attenditur, ut arte dicantur. Et tamen in sermonibus atque dictionibus eloquentium impleta reperiuntur praecepta eloquentiae, de quibus illi ut eloquerentur, vel cum eloquerentur, non cogitaverunt, sive illa didicissent, sive ne attigissent quidem. Implent quippe illa, quia eloquentes sunt; non adhibent, ut sint eloquentes. Quapropter cum ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium, cur eloquentes fieri non possint nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo et audiendo et, quantum asse-*

[1] De or. III 89, 146.

[2] Paulo infra saepius Ambrosii et Cypriani eloquentiam laudat atque exemplis illustrat.

qui conceditur, imitando? Quid, quod ita fieri ipsis quoque experimur exemplis? Nam sine praeceptis rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, qui illa didicerunt: sine lectis vero et auditis eloquentium disputationibus vel dictionibus neminem. Nam neque ipsa arte grammatica, qua discitur locutionis integritas, indigerent pueri, si eis inter homines, qui integre loquerentur, crescere daretur et vivere. Nescientes quippe ulla nomina vitiorum, quidquid vitiosum cuiusquam ore[1] *loquentis audirent, sana sua consuetudine reprehenderent et caverent, sicut rusticos urbani reprehendunt, etiam qui litteras nesciunt*[2].

Iam igitur in aperto est Augustinum adulescentes, qui diserti fieri vellent, libentius ad audiendos et imitandos eloquentes[3] quam ad rhetores missurum fuisse.

Et tamquam timeret, ne ii, qui libros suos legerent, horum verborum cito obliviscerentur, paulo post (5, 8) eandem repetit sententiam: *Porro qui non solum sapienter, verum etiam eloquenter vult dicere, quoniam profecto plus proderit, si utrumque potuerit, ad legendos vel audiendos et exercitatione imitandos eloquentes eum mitto libentius, quam magistris artis rhetoricae vacare praecipio: si tamen ii, qui leguntur et audiuntur, non solum eloquenter, sed etiam sapienter dixisse vel dicere veraci praedicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, suaviter, qui sapienter, salubriter audiuntur.*

Non multum igitur Augustinus rhetorum sapientiae confidebat.

Sed iam multo ante eum Cicero rhetoribus inscitiam exprobravit. Primum propterea, quod ad ineptias, quae ad dicendi usum conferre nihil possent, minuta subtilitate descenderent, ita ut iuventus dedisceret ea discendo ingeniaque adulescentium non acuerentur, sed obtunderentur[4], deinde quod ab omni politiore elegantia atque humanitate longissime abessent.

Atque quam copiose et abundanter artis dicendi magistri de inventione imprimis disseruerint et in quantas captiones, praecipue doctrinam de causarum constitutionibus tractantes, se induerint, ex commentariis rhetorum, qui nobis in manus venerunt, satis intellegimus. Videmus enim ipsos ad extremum se suis acuminibus compunxisse et multa quaerendo repperisse non modo ea, quae iam ipsi non possent

[1] An *ex ore* legendum?

[2] De doctr. Chr. IV 3, 5.

[3] Eodem, quo Augustinus, modo Dionem de eloquentia comparanda sensisse, oratio eius testatur, quam de dicendi exercitatione habuit, cf. II p. 250 sqq. (ed. I. de Arnim).

[4] De or. III 93.

dissolvere, sed etiam quibus ante detexta retexerentur ingeniaque eorum, quos instituebant, non docerentur, sed vexarentur.

Acumina autem illa rhetorum, quae a Cicerone in libris De oratore scriptis non sine vituperatione compluribus locis commemorantur[1], ab Augustino quoque contemnuntur, cum ad Dioscorum, qui ea illi solvenda proposuerat, sic scribit[2]: *Illi autem Carthaginienses rhetores, si huic tuo studio defuerunt, non modo a me non reprehenduntur, sed etiam adprobantur, si forte iam recolunt non Romanorum fororum, sed Graecorum gymnasiorum ista solere esse certamina.*

Deinde in altero De doctrina Christiana libro (c. 37) idem vir sanctus sic nos monet: *Absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatae vitae veritatem didicisse, cum ista* (praecepta) *didicerint. Quamquam plerumque accidat, ut facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium praeceptorum nodosissimas et spinosissimas disciplinas. Tamquam si quispiam dare volens praecepta ambulandi moneat non esse levandum posteriorem pedem, nisi cum posueris priorem, deinde minutatim, quemadmodum articulorum et poplitum cardines oporteat movere, describat. Vera enim dicit nec aliter ambulari potest, sed facilius homines haec faciendo ambulant quam animadvertunt, cum faciunt, aut intellegunt, cum audiunt.*

Primum quidem et maximum oratoris officium Cicero esse putat, *ut omnium rerum magnarum atque partium scientiam consequi studeat.* Sine illa enim scientia neminem omni laude cumulatum oratorem esse posse. Iam vero iudicium suum sic probat[3]: *Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio; quae, nisi sint ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem. Neque vero ego hoc tantum oneris imponam nostris praesertim oratoribus in hac tanta occupatione urbis ac vitae, nihil ut eis putem licere nescire; quamquam vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re[4], quaecumque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur.*

Eodem, quo Cicero animi iudicio ductus, Augustinus oratoribus Christianis, ut sapientiam ante omnia acquirere studeant, praecipit.

Itaque imprimis sacrarum scripturarum studium commendat, sed, ne veterum litteras artesque neglegant, etiam etiamque admonet. Nam,

---

[1] Velut I 73; II 41, 76 sq., 108, 117.

[2] Ep. 118, 2, 9.

[3] De orat. I 20 sq.

[4] Conferamus Aristotelis definitionem: *ἔστω δὴ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν* (Rhet. I 1355 b).

ut eius verbis utamur[1], *sicut Aegyptii non solum idola habebant et onera gravia, quae populus Israël detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto sibi potius tamquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed praecepto Dei . . . . ., sic doctrinae omnes gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta . . . . . ., quae unusquisque nostrum . . . debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima continent. . . . Nonne aspicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graeci?*

Porro sicut Cicero nulla alia arte oratorem tantopere adiuvari, quantopere philosophia fatetur[2], ita etiam Augustinus philosophiae studium valde esse oratori utile persuasum habet[3].

Sed quoniam de Ciceronis et Augustini philosophiae amore disputavimus, facere non possumus, quin inimicitiarum mentionem faciamus, quae iam inde a Platonis temporibus inter philosophos et oratores exarserant.

De philosophorum enim odio in oratores cum in plurimis variorum scriptorum libris, tum a Cicerone in libris illis De oratore multa narrantur. Velut in I 46: *Multi erant clari in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una paene voce repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia ac tantum in iudicia et contiunculas tamquam in aliquod pistrinum detrudi et compingi videbam.* Quas philosophorum et oratorum inimicitias Cicero eo aegrius tulit, quod ipse et philosophus et orator et haberi et esse semper voluit. Itaque non dubitamus, quin maximo flagraverit desiderio, ut duo haec hominum inimicissima genera in gratiam reconciliaret. Neque enim primus hoc consilium cepit. Nam multis iam annis ante Ciceronis aetatem Aristoteles eloquentiam a Platonis calumniis defenderat[4]. Atque Ciceronis aetate ipse eius magister Aristotelis pressit vestigia, Philo ille, cuius sententias a Cicerone in Latinum versas nos laudare, cum libros illos De oratore admiramur, Ioannes de Arnim exposuit[5].

---

[1] De doctr. Chr. II 40, 60.
[2] De or. II 67 al.
[3] De doctr. Chr. II 40, 60.
[4] Conferamus enim Aristotelis Rhet. I 1355 a, b.
[5] In libro, qui inscribitur 'Leben und Werke des Dio von Prusa mit einer Ein-

Quam cum magistri mei disputationem legerem, saepe et multum mecum cogitavi, a partibusne Aristotelis et Philonis an Platonis Augustinus steterit. Itaque peropportune mihi evenit, ut in huius scriptis locum invenirem, quo aperte de certamine illo philosophorum cum dicendi magistris disputat quidque ipse de hac re sentiat exponit. Continetur autem locus ille libro, quem contra Cresconium grammaticum scripsit primo. Cuius libri capite altero sic Cresconium vituperat: *Sed credo, cum me videres a nonnullis putari eloquentem, ut a me lectoris auditorisve studium deterreres, accusandam existimasti eloquentiam .... Vide ergo, ne hoc, quod fecisti, sit artis illius malae, quam sicut de Platone commemorasti, nonnulli recte iudicaverunt de civitate ac de humani generis societate pellendam. Haec non est eloquentia, quae utinam mihi ad explicanda ea, quae sentio, pro desiderio provenisset: sed quaedam sophistica et maligna professio, quae sibi proponit non ex animo, sed ex contentione vel commodo pro omnibus et contra omnia dicere ..... Nimirum itaque tibi haec animi subrepsit affectio, quod contradicendi studio ... perhibuisti nos eloquentes et vituperasti eloquentiam. Nam quomodo te hoc ex animo fecisse credam, cum sciam, quemadmodum praedicare soleatis eloquentiam Donati, Parmeniani aliorumque vestrorum: qua quid esset utilius, si tam largo flumine pro pace Christi, pro unitate, veritate, caritate proflueret? Sed quid de aliis loquar? Tu de te ipso nonne aperuisti, quam non ex animo, sed ex contentione vituperator fueris eloquentiae, cum et cetera, quae scripsisti, per eloquentiam suadere et eandem ipsam eloquentiam eloquenter accusare conatus es?* Atque l. IV capiti 2 haec subiungit: *Ecce eloquentia, quam vituperasti, quam velut seditiosam et Graeco etiam nomine malitiose artificiosam*[1] *detestandam vituperandamque monuisti, tantum permulsit tot episcopos tuos, ut in plenario consilio suo nollet suam quisque proferre sententiam, sed unam*[2]*, quae ab uno dici disertius ornatiusque potuit, eam cuncti facerent suam? Liceat igitur nobis sine invidia non usquequaque impolite contra errores hominum disputare, si licuit tot et tantis episcopis vestris ipsos homines tam diserte ornateque damnare.*

Augustinus igitur eloquentiam veritatis inimicam esse ita negat, ut eam patronam esse posse falsitatis concedat. Neque ideo cum Catone Censorio et Quintiliano solum virum bonum oratorem fieri posse

leitung: Sophistik, Rhetorik, Philosophie in ihrem Kampfe um die Jugendbildung', p. 67. Aliter iudicat Gu. Kroll, qui Ciceronem plurima Antiocho Ascalonio debere existimat (Mus. Rhen. LVIII 552 sqq. et Nov. ann. antiq. XI [1903] 681 sqq.).

[1] Cf. Sext. Emp. adv. rhet. s. 12, p. 677: *οἱ περὶ Πλάτωνα ... ἐκάκισαν αὐτὴν ὡς κακοτεχνίαν.*

[2] Quam Emeritus Caesariensis dixit.

adfirmat, a malo autem eloquentiam quasi abiudicat[1], sed eloquentiam non virtutem, sed facultatem esse dicit, qua quisque aut uti possit aut abuti[2].

Sed quoniam supra et Ciceronem et Augustinum inventionem atque elocutionem praecipuas artis dicendi partes esse docuisse intelleximus, iam quae de elocutione praecepta tradiderint, videamus. Quod eo diligentius inquirendum est, quia in elocutione sola vim illam divinam virtutemque cerni uterque consentit[3].

Redeamus igitur ad librum illum, in quo Augustinus elocutionis praecepta reposuit. Qui est liber quartus De doctrina Christiana. Atque admiratione dignum est, quam alte in summa senectute[4] menti Augustini infixa haeserint Ciceronis rhetoricae artis praecepta, ita ut oratoris illius verba, cuius libros per tot annos in manibus non habuerat[5], plurimis locis e memoria ad verbum redderet.

Sed ipsos locos in brevi conspectu proponamus:

De doctr. Chr. IV 5, 7: *Haec autem sententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putarunt: fassi sunt enim sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam.*	De inv. I 1: *Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam.*
IV 10, 24: *Unde ait quidam, cum de tali genere locutionis ageret, esse in ea quandam diligentem neglegentiam.*	Or. 77 sq.: *Solutum quiddam sit nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare . . . . quaedam etiam neglegentia est diligens.*
IV 12, 27: *Dixit ergo quidam eloquens et verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit, docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae.*	Or. 69: *Erit igitur eloquens . . . . is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae.*
IV 17, 34: *Ad haec . . tria, id est, ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquii, cum itidem*	Or. 100: *Is est enim eloquens, qui et humilia subtiliter et magna gra-*

[1] Inst. or. XII 1, 23.

[2] De doctr. Chr. II 36, 54: *Sunt etiam quaedam praecepta uberioris disputationis, quae iam eloquentia nominatur, quae nihilominus vera sunt, quamvis eis possint etiam falsa persuaderi.*

[3] Cic. De or. II 120; Or. 61; Aug. De doctr. Chr. II 36—37, contra Cresc. I 13, 16, De ord. II 13, 38.

[4] Anno fere 426.

[5] Cf. August. Epist. 118, 2, 9.

dixit: Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna granditer dicere, tanquam si adderet illa etiam tria: et sic explicaret unam eandemque sententiam, dicens: Is erit igitur eloquens, qui, ut doceat, poterit parva submisse, ut delectet, modica temperate, ut flectat, magna granditer dicere. Haec autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in causis forensibus posset ostendere; non autem hic, hoc est in ecclesiasticis quaestionibus, in quibus huiusmodi, quem volumus informare, sermo versatur. In illis enim ea parva dicuntur, ubi de rebus pecuniariis iudicandum est; ea magna, ubi de salute ac de capite hominum. Ea vero, ubi nihil horum iudicandum est nihilque agitur, ut agat sive decernat, sed tantum modo, ut delectetur auditor, inter utrumque quasi media et ob hoc modica, hoc est moderata, dixerunt.

viter et mediocria temperate potest dicere.

Or. 101: *Is erit igitur eloquens, ut idem illud iteremus, qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere.*

Or. 102: *Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus.*

Or. 21: *Est autem quidam interiectus inter hos medius et quasi temperatus nec acumine posteriorum nec flumine utens superiorum . . . . . . omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit.*

In his Ciceronis et Augustini verbis comparatis subsistamus. Nam si laudare vellemus omnes illos libri, qui est De doctrina Christiana, locos, quibus Augustinus ita de tribus dicendi generibus exponit, ut ad Ciceronis „Oratorem“ proxime accedat, totae paginae nobis describendae erant. Sed haec sufficiant, ut nobis persuadeamus Augustinum senem Ciceronis artis dicendi praecepta non solum magni fecisse, sed etiam imitatum esse.

Sed iam de Augustino Ciceronis imitatore satis multa verba fecimus; itaque, ut ad extremum veniamus, quibus rebus *Ciceronis et Augustini* artis dicendi *praecepta inter se differant,* ostendemus.

Atque Ciceronem Philonis magistri exemplum, ut videtur, secutum philosophiam cum arte dicendi reconciliare voluisse supra diximus. Idem (De or. III 141 sq.) Crassi ore ostendit, quibus condicionibus pax inter eloquentes et doctos, inter eloquentiam popularem et doctrinam elegantem paranda sit. Nam cum compluribus exemplis a Graecis petitis ostendit, primis iisque optimis temporibus semper eloquentiam cum sapientia coniunctam fuisse, velut in septem sapientibus, Pisistrato, Pericle, Anaxagora, aliis, sic pergit: *Neque vero hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui hunc* (Aristotelem) *Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille et agendi acciperet praecepta et eloquendi. Nunc sive qui volet, eum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque*

tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam iunctam habere eloquentiae, philosophum appellare malet, non impediam; dummodo hoc constet, neque infantiam eius, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam; quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam quam stultitiam loquacem. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. Quem si patiuntur eundem esse philosophum, sublata controversia est. Sin eos diiungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorum autem cognitione non continuo inest eloquentia.

Sic igitur Cicero, quem omnium Romanorum perfectissimum fuisse oratorem inter omnes constat, cum disertus philosophus esse vellet, ita philosophis artem rhetoricam exagitantibus morem gessit, ut peccata illa, quae philosophi arti illi obiciebant, dicendi magistrorum umeris imponeret. Sed haud scio an philosophi omnes, an Philo ipse his, quos modo attulimus, Ciceronis libris non contenti fuissent, si eos legissent. Nam Cicero silentio praeterit, quare plurimi philosophi artem rhetoricam tanto odio prosecuti sint. *Qui eam eloquentiam oderant, quae veritatem atque aequitatem non quaerebat, sed saepe oppugnabat, libenter autem pacem inituri erant his condicionibus, ut eloquentia ceteris rebus spretis matris bonae atque educatricis piae modo homines doceret, quodcunque bonum verumque esset*[1].

Sed eloquentia illa, quae in iure et iudicio habitabat, non semper, immo raro boni amore atque odio mali inflammata erat neque in fronte insculptum habuit praeclarum illud dictum: *Fiat iustitia, pereat mundus!*[2] Quot homines nobiles Romani, qui poenas gravissimas atque adeo supplicium meruerant, absoluti sunt, quia orator iudices maerore, misericordia, lacrimis repleverat![3] Atque certe oratores Romani parti-

---

[1] Cf. Plato Gorg. c. 60: *Οὐκοῦν πρὸς ταῦτα βλέπων ὁ ῥήτωρ ἐκεῖνος, ὁ τεχνικός τε καὶ ἀγαθός, καὶ τοὺς λόγους προσοίσει ταῖς ψυχαῖς, οὓς ἂν λέγῃ, καὶ τὰς πράξεις ἁπάσας, καὶ δῶρον ἐάν τι διδῷ, δώσει, καὶ ἐάν τι ἀφαιρῆται, ἀφαιρήσεται, πρὸς τοῦτο ἀεὶ τὸν νοῦν ἔχων, ὅπως ἂν αὐτοῦ τοῖς πολίταις δικαιοσύνη μὲν ἐν ταῖς ψυχαῖς γίγνηται, ἀδικία δὲ ἀπαλλάττηται, καὶ σωφροσύνη μὲν ἐγγίγνηται, ἀκολασία δὲ ἀπαλλάττηται, καὶ ἡ ἄλλη ἀρετὴ ἐγγίγνηται, κακία δὲ ἀπίῃ.* Cf. Phaedr. c. 43, Cic. De inv. I 1 sqq.

[2] Cf. Plat. Gorg. c. 36; Aristot. Rhet. I 1354 a; Dio Chrys. Or. 43, 6.

[3] Cf. Ciceronis ipsius orationes pro Flacco, pro Fonteio, al. Quam agendi rationem Cicero sic purgat: *Nec tamen, ut hoc fugiendum est, item est habendum religioni nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque, defendere; vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est semper in causis*

cipes fuerunt iniuriarum, quae a magistratibus Romanis etiam atque etiam provincialibus inferebantur.

Quod vulnus eloquentiae detegere aut tangere Cicero non ausus est. Nam sic abscidisset ex eloquentiae arbore ramum, in quo ipse consederat. Namque illi eloquentiae, quae in iure atque iudicio versabatur, libros suos rhetoricos maxime dicavit. Idem genus eloquentiae tantam ei paraverat gloriam.

Quare Ciceronem speciem oratoris, quae in eorum philosophorum, qui eloquentiae amici erant, mentibus insidebat quamque intuebantur, cum eloquentiam laudarent, in libris unquam *accurate* expressisse negaverim. Sed longe aliter res in Augustino se habet. Quem quidem necessitate compulsum discipulos in illo dicendi genere exercuisse non ignoramus. Sed ipse nunquam apud iudices causam dixit, quamque totum illud dicendi genus, cum se philosophiae totus dedisset, abominatus esset, ex prioribus disputationis partibus intelleximus.

Itaque in ipsius libris potius quam apud Ciceronem, quid philosophi ab eloquentia exspectent atque postulent, inveniri posse opinamur. Atque in doctrina Christ. (IV 27, 59 sqq.) imaginem perfecti oratoris, quam animo comprehensam habuit, sic adumbravit: *Habet autem, ut oboedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis maius pondus vita dicentis . . . . . Talis doctor . . . . in ipso etiam sermone malit rebus placere quam verbis; nec aestimet dici melius, nisi quod dicitur verius*[1]*; nec doctor verbis serviat, sed verba doctori . . . . . sive submisse, sive tem-*

---

verum sequi, patroni nonnunquam veri simile, etiam si minus sit verum, defendere: quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panaetio. Maxume autem et gloria paritur et gratia defensionibus (De off. II 51).

[1] Propterea sophistarum pompam graviter vituperat, immo s. Cypriani adulescentis ipsius nimium ornatum atque suavitatem sermonis minime laudat. Conferamus enim, quae de illo viro sancto (De doctr. Chr. IV 14, 31) dicit: *Nec illa suavitas delectabilis est, qua non quidem iniqua dicuntur, sed exigua et fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna atque stabilia decenter et graviter ornarentur. Est tale aliquid in epistula beatissimi Cypriani, quod ideo puto vel accidisse vel consulto factum esse, ut sciretur a posteris, quam linguam doctrinae Christianae sanitas ab ista redundantia revocaverit et ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit: qualis in eius consequentibus litteris secure amatur, religiose appetitur, sed difficillime impletur. Ait ergo quodam loco: 'Petamus hanc sedem, dant secessum vicina secreta: ubi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt'. Non dicuntur ista nisi mirabiliter affluentissima fecunditate facundiae, sed profusione nimia gravitati displicent. Qui vero haec amant, profecto eos, qui non ita dicunt, sed castigatius eloquuntur, non posse ita loqui existimant, non iudicio ista devitare.* Eodem igitur vitio et Cyprianus et Augustinus et Cicero adulescentes laboraverunt.

perate, sive granditer dicat, id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat: quoniam nec ipsa, quae praecepti finis et plenitudo legis est, caritas ullo modo recta esse potest, si ea, quae diliguntur, non vera, sed falsa sunt. Sicut autem, cuius pulchrum corpus et deformis est animus, magis dolendus est, quam si deforme haberet et corpus; ita qui eloquenter ea, quae falsa sunt, dicunt, magis miserandi sunt, quam si talia deformiter dicerent.

Habemus igitur Augustini de oratore iudicium, quod certe omnibus probabitur.

Sed Augustinus speciem hanc singularem oratoris Christiani, quam animo concepit, non solum optime verbis illustravit, sed, quod multo difficilius, orationibus suis consecutus est. Testantur enim eius scripta, testatur historia *tanto terribiliorem fuisse eius eloquentiam, quanto puriorem et quanto solidiorem, tanto vehementiorem: vere securim concidentem petras* (De doctr. Chr. IV 14, 30).

Quae cum ita sint, opinio virorum doctorum huius aetatis falsa mihi videtur esse, qui Augustino fragmentum illud artis rhetoricae tribuunt eumque discipulis aridissima Hermagorae praecepta decantavisse adfirmant.

Index scriptorum et locorum memorabilium.

III.

De sermone Pacuviano et Acciano

scripsit

L. Koterba.

Instituenti mihi sermonem Pacuvianum et Accianum tractare saepius quaestiones de vetere linguae Latinae condicione tangendae erunt, in quibus solvendis iam permulti philologi insigni doctrina, circumspecto iudicio, summa sagacitate praediti partim optimo cum fructu desudaverunt, partim minus prospere, ut de nonnullis rebus adhuc sub iudice lis sit. Quare cum haud ignorarem tironi hunc agrum repastinanti magnam non nasci inde gloriam, tamen si non integram messem, at spicilegium saltem relictum iri speravi, praesertim cum, qui de eadem materia egerunt, singula quaeque non tam accurate observavisse mihi viderentur, ut omnes sermonis proprietates uno in conspectu proponerent. Sunt autem hi: Fr. Guilelmus Holtze, a quo *Syntaxis fragmentorum scaenicorum poetarum Romanorum, qui post Terentium fuerunt, adumbratio* confecta est (Lipsiae 1882), Augustus Goette, qui in programmate gymnasii Rheinensis a. 1892 *De L. Accio et M. Pacuvio veteribus Romanorum poetis tragicis* scripsit, Iosephus Kubik, qui in commentatione *De M. Tullii Ciceronis poetarum Latinorum studiis* (Diss. Vindob. I 239—348) ex versibus Pacuvianis a Cicerone nobis servatis (p. 286/7) exempla inusitatae locutionis congessit, ut Ciceronis illud iudicium (Brut. § 258) *Caecilium et Pacuvium male locutos videmus* comprobaret. Quid praestiterint, ut breviter perpendam, Holtzii libellus minoris est quam quanti esse et debuit et potuit, quia res minus apte ordinavit et nonnunquam obsoletas distinctiones adhibuit, velut dativum qualitatis effectus (p. 14), quantitatis (p. 19), introduxit et locos satis notabiles omisit. Ceterum multa excusantur, quod ipse libello post eius mortem demum edito non ultimam manum videtur imposuisse; nam aliter vix fieri potuit, ut is ne erroribus quidem vacaret, quorum gravissimus in p. 14 legitur, ubi dativo „qualitatis effectus“ P 168[1] *bellando aptus sum* tribuitur, etsi de verbo apiscendi, non de adiectivo agi iam Nonius per-

[1] *P* littera *Pacuvii*, *A Accii* fragmenta tragoediarum, *pr.* fabularum praetextarum reliquias significavimus in versuum numeris adiectis O. Ribbeckii *Scaenicae Romanorum poesis fragmenta* tertiis curis recognita (Vol. I. Tragicorum fragmenta p. 86 seqq. et 321 seqq., Lipsiae 1897) secuti.

spexit. Neque multum profecit Goette, qui testimoniis veterum de arte tragica utriusque poetae antepositis copiose inquisivit, *quatenus et veteres et recentiores viri docti de utriusque tragica natura atque indole recte diiudicaverint*, sermonem autem summatim percurrens per saturam, ut ita dicam, remotiores quasdam a sermone urbano formas et structuras contulit. Kubikium denique, cum pro disputationis materia tantummodo versus apud Ciceronem traditos respiceret, complura reliqui fecisse vel per se intellegitur.

Quod si rationem reddam, quemadmodum provinciam meam administraturus sim, non, id quod Holtze fecit, solam exemplorum congeriem struere animum induxi, quia per simplicem enumerationem nihil effici persuasum habeo, sed altius inquirere studui, si quando occasio in officinam linguae introspiciendi data est. Quae quatenus ratione psychologica, quam vocant, explicentur explorandum erit. Sed magna profiteri nolo; nam licet iam tritum sit pronuntiare omnia in sermone ut in rerum natura suas causas habere, tamen non raro, si indagamus, quaenam ratio hic illic valuerit, consilia torpent.

Quae leges psychologicae quantum in sermone pedestri Italorum vetustissimo, imprimis in copia verborum, attractionibus, constructionibus, quae ad sensum vocantur, valuerint, Otto Altenburg (in supplem. ann. phil. XXIV 485—533) diligenter quaesivit et multa bonae frugis excussit. Id unum vero mihi non probatur, quod copiam verborum etiam in legibus et praeceptis ad *auctam animi commotionem* referre studet; nempe qui leges ferunt vel praecepta dant, non animo fervido verba fundere solent, immo Romani ob summam, qua ius colebant, religionem pluribus simili notione vocabulis positis omnem fraudem, quae ex legibus non artissime circumscriptis et definitis oriri potuit, intercludere volebant. Eadem igitur hac in re cautione, qua in deorum cultu utebantur, cum deum invocantes formulam illam addebant: *sive quo alio nomine te appellari volueris*[1].

Sed satis praefatus sum. Iam tempus est in harenam descendere et experiri, *quid ferre recusent, quid valeant umeri.*

I. De fragmentorum orthographia.

Poetas recte primos populi magistros esse aiunt; si vero magistri sunt primi poetae, ut erat apud Romanos, frigent Musae. Unde vel optime magna illa naturae atque indolis diversitas, quae inter Romanos et Graecos erat, elucet, quod hi ex perenni historiae fabularis fonte

[1] Testimonia adfert Preller-Iordan, ‘Römische Mythologie’ I³ 62 in adn.

haurientes clarissima poemata multo ante panxerunt quam ad leges grammaticas animum attendere coeperunt, apud illos ars grammatica tamquam obstetrix poesis fuit. Liberti enim et peregrini „rerum dominis“ litteras excitaverunt et „tria corda“ habentes, ut Ennius gloriatur, rudem Romanorum sermonem dolabant, ut aliquo modo ad poemata aptior fieret. In litteris igitur Latinis multo magis quam in aliis sermonem consilio et dedita opera conformatum esse apparet. Quo studio factum est, ut vel orthographiae minutias poetae inde ab Ennio curarent. Pacuvius quidem in his ad avunculum se applicare satis habuit, sed Accius complura eaque non levia novavit, velut geminationem vocalium longarum cum in compluribus Italicis tum in eius patria (i. e. Umbrica) dialecto[1] usitatam auctoritate sua in breve tempus civitate Romana donavit. Praeterea eum Graecorum rationem secutum *ng* binis *g* significari iussisse Priscianus (GL II 30 K.) et *scaenam*[2] simplici *e* vocali scripsisse Varro (L. L. VII 96) memoriae prodit. Quam anxiam Graecorum imitationem cum reputo, Ribbeckio pro Ganymede et Laomedonte formas *Catamitus* et *Alumento* (A 653) Ritschelio duce (Opusc. II 495 adn.) restituenti adsentiri dubito, praesertim cum Iordan (l. l. p. 65) monuerit *catamitum*, quae forma genuina lectio est in Menaechmis v. 144, iam in comoedia paulatim nomen appellativum factum notionem exoleti, quam apud scriptores posterioris aetatis habet, induisse eodemque modo titulum saturae Varronianae in malam partem

[1] Cf. H. Iordanum, ‘Kritische Beiträge zur latein. Sprache’ p. 195.

[2] Quomodo vulgare illud *ae* in consuetudinem venerit, duplex est coniectura. Maurenbrecher (Archiv f. lat. Lex. VIII 293) aliique *ae* adhibitum esse arbitrantur, ut Graecum *η*, quod magis hiante ore quam Latinum *ē* pronuntiabatur, accuratius exprimeretur. Contra Solmsen (‘Untersuchungen zur griechischen Laut- und Verslehre, Straßburg 1901’ p. 279 adn.) *ae* locum dipthongi obtinere censet documento usus titulo CIL I 1280, in quo *scaina* exstat; quam formam ex dialecto Magnae Graeciae petitam esse, ubi praeter *σκανα* fortasse *σκαινα* in usu fuisset. Atque re vera radicem quandam, quae *opacare, inumbrare* valet, subesse eamque in *-āi* terminatam fuisse compluribus exemplis comprobat. Harum explicationum illa nobis praeclusa est, si Romanos et rem et rei nomen a Graecis Italiae inferioris sumpsisse statuimus, id quod multum probabilitatis habet, haec satis commoda videtur. Quod vero Solmsen scripturam *scaina* firmum argumentum esse iudicat, ei non adsentior. Quid? qui titulum incidendum curavit, nonne fieri potuit, ut antiquitatem adfectans falso hanc formam poneret aeque atque in lege repetundarum CIL I 198_{16} faber tali studio ductus pro *coeperit* scripsit *coiperit*. Nihilo setius Solmsenum rectum vidisse existimo. Nam apud incolas Magnae Graeciae *σκαινα* exstitisse vel saltem exsistere potuisse simillimo exemplo evinci potest. In *Aesculapii* enim nomine itidem res se habet et peropportune fit, quod in eo gradus mutationis observare possumus: Dorica forma *Ἀσκλαπιός* in statua Bononiensi (Roehl IGrA 549) scripta est ΑΙΣΧΛΑΠΙΟΙ eamque translatam invenimus in titulo paterae Etruscae (Schneider n. 21) *Aisclapi pocolom*.

accipiendum esse; in sermone autem hominum litteratorum semper hoc Graecum nomen incorruptum adhibitum esse.

Neque tamen infitior Pacuvium et Accium proprietatis linguae Latinae ita rationem habuisse, ut, quae consonantes vel consonantium iuncturae apud populares inusitatae vel ignotae erant, iis litteras Latinas, quoad fieri potuit, substituerent, velut sine dubio ad Pacuvium spectat, quod Martianus Capella III 257 commemorat: *nam Setum dicebant, quem nunc Zethum dicunt.* Similiter ab Accio Alcmaeonis nomen *Alcumeo* vel *Alcimeo* exaratum esse ex lemmatis Nonianis (cf. Ritschelium Opusc. II 475) cognoscitur.

In fragmentis iam nulla vestigia doctrinae orthographicae Accianae exstare minime mirum est, quod eius praecepta multis velut Lucilio adversantibus usu non recepta sunt. Ceterum in aliis quoque rebus reliquiae maximam partem in Nonii et Ciceronis codicibus servatae plerumque recentiorem scripturam exhibent. Qua de re haec attulisse sufficiat: Nonnullis locis post *v* perperam *u* scriptum est (P 37, 58, 129, 267; A 174, 286, 288, 348, 568, 606; recte *o* P 262, 382, 393; A 82, 95, 270, 529, 565). Item inter *vortere* et *vertere* libri fluctuant (P 268 *adversam*, A 393 *vertices*, 400 *evertens*, 583 *adverso*, at P 224 *divorsi*, A 158 *advorsabilis*, 291 *revorti*, 366 *evorti*, 460 *advorsam*); semper praebent formam *vester* (P 62, A 597, 692, pr. 16). Quae inconstantia fortasse re vera Pacuvii et Accii propria fuit; nam illa aetate *vŏ-* ante r, s, t in *ve-* abire coepisse ex Quintiliani l. I 7, 25 scimus. Dein *u* pro *e* exstat in his gerundiis vel gerundivis: P 24 *cernundi*, 235 *regrediundum*, A 120 *referundum*, 570 *labunda*. Medius ille sonus inter *u* et *i* significatur *u* vocali: P 186 *clupeat*, A pr. 37 *pulcherrume*, sed P 355 *lacrima* et A 240 *optime* legimus contra usum Plautinum Terentianumque, id quod vix poetis ipsis tribuendum est. At meram antiquitatem resipiunt scripturae P 52 *capissam* (cf. Pl. Mil. 237 *incipissere*, Festum p. 212 [M., p. 263 Th.] *petissere*), 142 *mitiscere*, A 684 *mitiscat;* hae legitimae formae sunt, quia a stirpe in *i* terminata tractae sunt. Similiter res se habet in *perdoliscit* (A 317); nam verba, quae in radicem *e* desinunt, partim *io-* suffixi ope formantur ideoque incohativa inde derivata modo in *-isco*, modo in *-esco* exeunt[1]. Praeterea admodum vetustae formae sunt A 96 *benivolentiam* et A 651 *benivoli;* ictu enim olim primam syllabam feriente *e* vocalis insequentis apertae syllabae in *i* mutari oportuit, sed propter adverbium *bene* recens illud *benevolus* increbruit. Porro prisca orthographia servata est in P 160 *moenis*, A 348 *moeros*, 364 *immoenes*

[1] Cf. F. Sommer, 'Handbuch der latein. Laut- und Formenlehre, Heidelberg 1902' p. 540—545.

(ex Ribb. coniectura), 52 *arquitenes* (pro *-ens*). De *y*, quod in vocabulis Graecis libri semper fere exhibent, non multa verba facienda sunt. Cicero ipse (Or. § 160) Ennium hanc litteram non adhibuisse et *Burrum* pro *Pyrrho, Bruges* pro *Phrygibus* scripsisse declarat. Nos Pacuvium Acciumque adiungere posse verbis Marii Victorini GL. VI 8 confirmatur, qui tamen Livium Naeviumque *y* nosse falso videtur contendisse. Haud leve vero mendum Nonius vel qui eius auctor fuit commisit, cum A 178 *Froegiae* scripsit. Quem errorem Ribbeckium Accio ipsi vindicavisse (Nov. ann. phil. LXXV 317) miror. Ait enim Accii auctoritate *oe* Romae pro *y* positum esse. Quod etiamsi rectum sit, in *y* breve non quadrat. Illa scriptura videlicet ita nata est, ut, quoniam dipthongus *oi* paulatim per *oe* in *ū* attenuata est, pro *ū* etiam, quando Graecum *υ* aequabat, ab eis, qui antiqui sermonis colorem adamabant, *oe* substitueretur (velut *Moesia* = *Μυσία*, *lagoena* = *λάγυνος*); *υ* breve igitur per *oe* effingi non potuit nisi ab hominibus imperitis: poeta, cum metro consulendum esset neque *oe* in syllaba brevi toleraretur, errare vix potuit.

Neque longius morari opus est in *aspiratione* plerumque posita; quam demum paulo ante annum a. Ch. n. centesimum observari coeptam esse grammaticorum testimoniis cum titulis congruentibus docemur. Perraro autem iusta forma exstat P 186 *clamide, braccium*, A 149 *pulcrum*, fg. 14 (Baehrens) *maceras* (= *machaeras*)[1]. Huc quoque pertinet, quod pro *quoius, quoi*, aliis eiusmodi formis libri semper fere *cuius, cui* praebent. Iidem *gn* in initio vocabulorum tantum in substantivis *gnatus* et *gnata* retinuerunt, quamquam usum Accianum latius patuisse Festus p. 174 (M., p. 186 Th.) indicat: *Nobilem antiqui pro noto ponebant et quidem per c litteram* (cod.: *pro c littera*) *ut . . Accius.*

Adsimulationem consonantium uterque poeta, quantum exili ex materia cognosci potest, vitavit, velut *ad* nisi ante *c*, *in* nunquam fere (praeter P 20[a] *impexa*) adsimulatur, *trans* plenam formam ante *d* quoque obtinet (A 366 *transdes,* 630 *transdunt*). Legitima forma *posquam* (cf. Sommer ibid. p. 322) semel servata est (A 118). At *quosum* pro *quorsum*, id quod Ribbeck Accio ex coniectura tribuit (A pr. 12; in libris est *quorum*) non admittendum esse existimo. Concedendum quidem est in sermone plebeio *-rs-* in *-ss-* et post longas vocales in *-s* abire, sed tragicorum fragmentis tales formae vix inculcandae sunt neque usquam reperiuntur, cf. P 152, 226 *quorsum*, A 57 *rursus*, pr. 27 *dextrorsum*.

Denique in *anaptyxi*, quam vocant, Accius — apud Pacuvium

[1] De forma *lympha* (P 244) vel *lumpa* v. quae exposuimus in p. 126.

nullum exemplum est — non recedit ab usu Plautino. Mediis in versibus breviores formas invenimus (A 100 *circlos*, 207 *periclum*, 624 *oracla*, pr. 1 *pericli*), longiorem in clausula (249 *circulis*).

II. De re metrica et prosodia.

Rem metricam tractare, cum lacera fragmentorum condicione valde impeditum sit et uterque poeta in universum leges, quas apud Plautum invenimus, observaverit, supersederem, nisi eam Goette in disputatione, quam attuli, tetigisset (p. 14, 15) in nonnullis rebus pravo iudicio usus. Id facile vitavisset, si non solum commentationes, quas Ribbeck et Langen abhinc quinquaginta fere annos conscripserunt, consuluisset, verum etiam recentiora studia in hac re collocata, quibus permultum profecimus, in usum suum convertisset. Atque ne viro doctissimo temere obtrectare videar, nonnulla ex iis, quae proposuit, examinemus. Exempli gratia Accio (p. 15) opprobrio dat, quod *nimia sane audacia saepissime in altero et quarto pede spondeum pro iambo* admiserit. At scaenicos Romanos duritia atque asperitate linguae adductos legem illam Graecorum de puris iambis in sedibus paribus collocandis non recepisse pernotum est; normam vero, quam poetae Romani, ut Graecorum elegantiam, quod eius fieri potuit, adsequerentur, sibi proposuerunt, ut voce spondiaca vel in spondeum cadente alterum et quartum pedem explere, ubi possent, vitarent, hanc normam Accius semper observavit neque minus Pacuvius, nisi quod bis talem spondeum sibi indulsisse videtur: v. 278 *Aetatem adiungas cruciatum reticentia,* ubi excusatur, quod antecedens arsis dissoluta est et anapaestus subsequitur, qua re efficitur, ut numeris magis concitatis spondeus quodammodo furtim transiliatur[1], et v. 58/59 *Quid istuc est? vultum caligat quae tristitas?* quo loco difficultas tollitur, si consilio Pacuvium longiore et graviore verbo ita posito ingratum animi adfectum depingere voluisse sumimus; quod si minus probaveris, Buechelero duce verba tibi transponere licebit *vultum quae caligat tristitas?* Itaque in hac re Accius minime audaciae insimulandus erat. Neque quae de spondeo quintum pedem efficiente Goette exposuit, laudo. Etenim Diomedis regulam GL. I 507, quam adfert: *iambicus tragicus ... semper quinto loco spondeum recipit; aliter enim esse non potest tragicus,* ad Neronis aetatem spectare, temporibus liberae rei publicae nondum valuisse Augustus Luchs in 'Quaestionibus metricis', quae in Studemundi 'Studiis in priscos scriptores Latinos' v. I. publici

---

[1] Complura talia exempla congessit Klotz, 'Grundzüge altrömischer Metrik' p. 325.

iuris factae sunt, p. 4 ostendit. Cur autem apud priscos quoque poetas tragicos raro iambus quinto vel septimo loco in octonariis reperiatur, si quaerimus, linguae Latinae natura facile explicatur. Si reputaverimus, quomodo versus recte possit concludi, statim monosyllaba non esse curanda videbimus, cum in fine, nisi enclitica sunt, vix tolerentur; ante clausulam vero iambicam vocabulo iambico vel in iambum desinenti locus non erat, quod ita dissonus et ieiunus versus exitus exstitisset (Klotz p. 237). Quae offensio lenitur, si arsis antepaenultima dissoluta et vel commissura vocum inter duas has breves intercedente vel iis cum quinto pede paeone quarto coniunctis ultima dipodia a prioribus minus distincte segregata est, velut A 618 *Profécto hauquaquam est ortūs mĕdĭŏcrī sătū* (cf. Klotz p. 243). Hoc praeceptum uterque poeta observavit; nam praeter A 618 omnibus locis (sunt centum fere), quibus versus in vocem iambicam desinit, spondeus vel anapaestus vel dactylus praecedit. Obstat solus A 442 *quam invita ancillans dicto oboediens viri*, ubi Luchs p. 72 *oboedibat* temptavit. Ego, etsi ipse Accium hic semel dormitavisse nego, manum a corrigendo abstineo et e contrario inde concludo eum ut alios poetas scaenicos (cf. Klotz p. 242) creticum cum iambo exeunte copulasse aut haec octonariorum trochaicorum frustula esse, quorum prior voce *ancillans* clauditur. Voce autem cretica in extremo versu posita Romanos nequaquam iambum quinto loco fugisse ostenditur his versibus: P 2, 78, 146; A 22, 57, 242, 292. Paucitas exemplorum non mira erit considerantibus, quam difficile fuerit cretica clausula a consona incipiente spondeum vitare; quotusquisque vel declinationis vel coniugationis exitus praecipue in prisca Latinitate brevem vocalem in fine habet! Non temere igitur, sed necessitate quadam coacti Romani rationem Graecorum aspernati sunt, qui ante clausulam creticam, ut Porson detexit, syllabam productam exceptis monosyllabis non patiebantur. Restant voces quattuor vel plurium syllabarum, quibus facile iambus paenultimo loco efficitur; atque in eas satis multi versus desinunt (P 69, 131, 135, 149, 151, 162, 164, 182, 251, 287, 313, 314, 346; A 69, 94, 133, 187, 259, 270, 340, 421, 466, 539, 585, 593, 598, pr. 20; in septenariorum clausulis P 61, 127, 240, 246, 280; A 61, 96, 185, 316, 360, 467). Vidimus igitur iam apud priscos tragicos spondeum in quinto pede crebriorem iambo fuisse, sed non augendae gravitatis et altitudinis causa, ut quidam censuerunt, id factum esse, verum pro linguae natura. Inde paulatim eo ventum est, ut Senecae temporibus spondeus solus legitimus esset.

Quod deinde Goette (p. 15) observavit Pacuvii senarios saepius Graecorum severiori usui satisfacere quam ceterorum tragicorum, equidem facere non possum, quin id casu potius quam consilio factum esse

putem. Quominus enim Pacuvium magis quam ceteros exemplar Graecorum respexisse existimemus, id obstat, quod in alia quoque re ad eos se non applicavit, quamquam id Accius fecit. Cum tragici Graeci in dimetro anapaestico post dipodiam priorem diaeresin non neglexerint, Pacuvius, ut ait Marius Victorinus GL VI 77: *noluit intra binos pedes … finire sensum, sed secundum Euripidem dactylicum metrum, quod apellatur, induxit, ut nominis* (*numeris* Hauler) *mutatio diversitatem daret.* Atque re vera, fragmenta si perscrutamur, apud eum ex undecim dimetris (226, 256, 257, 259, 260, 261, 263, 264, 266, 350, 351) sex[1] (256, 257, 261, 266, 350, 351) diaeresi carent, at Accius in 36 integris dimetris bis (80, 532) eadem licentia usus est.

Ceterum Pacuvium maiorem curam ac diligentiam in rem metricam impendisse et facilitate sollertiaque versus pangendi Accio praestitisse Cicero ipse fidem facit, qui in Or. § 36 quendam Pacuvium praedicantem facit, quod *omnes . . ornati elaboratique sunt versus.* In Accio minus fuisse limae vel ex eo cognoscimus, quod in duobus deinceps versibus anapaesticis (520 sq.) dactylum irrationalem cum anapaesto consociavit (– ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ –́), id quod reliqui poetae non omnino quidem respuerunt, sed iterare noluerunt, ne versus salebrosi fierent. Neque id iudicium eo inflectitur, quod semel, ut Fr. Marx (Pauly-Wissowa s. v. Accius) observavit, Terentii versum legitima caesura carentem (Ad. 470 *persuasit nox, amor, vinum, adulescentia*) imitando sibi videbatur correxisse (349 *persuasit maeror, anxitudo, error, dolor*).

Iam ad ***prosodiam*** nos vertamus. In hac quoque in universum usus Plautinus Terentianusque retinetur, velut prisca mensura *confīeri* P 180 in clausula mansit, medio in versu correpta forma occurrit P 182 *A te Tyndareo fieri contumeliam.* Contra *u* stirpis *fu-*, quod Ennio longae instar est in versu illo *Nos sumus Romani, qui fuimus ante Rudini*, semper breve est, cf. P 116, 375; A 132, 274, 310, 474. Deinde *-o* personae primae longum est, cf. P 240 *Séntio pater . . .;* neque repugnat v. 294 *Sed nescio quid nunc est;* nam adiecto pronomine *quis, quid, quod* propter enclisin in *nescio* ultima semper breviatur. Tum sequente muta cum liquida ut apud ceteros scaenicos brevis nunquam producitur, nisi vocis exitus intercidit, velut A 394 *Ruit prolapsa pelagus, respargit, reflat.* In dactylis vero Accius Ennium (Ann. 474 Vahlen[2]) secutus est, a quo Servio teste in Aen. IV 404 versiculum *it nigrum campis agmen* ad verbum mutuatus est. Idem primus Graecos aemulatus productionem encliticae *-que* in quinta arsi hexametri sibi indulsit, ut fg. 2 Baehr. declaratur *calones famulique metallique caculaeque,* quam licen-

[1]) Nam in v. 263 *Retinéte, tenete! opprimit ulcus* latet diaeresis in elisione.

tiam posteriores poetae hic illic amplexi ita praeciderunt, ut in quinta aut secunda arsi sola eam admitterent, „tum ut subsequeretur statim repetita enclitica et ut e verbis, quibus cingitur illa, quae producitur, prius ne minus quattuor expleret moris, posterius anapaestum impleret vel spondeum“ [1]). Pronomen *ille* uterque poeta ita dimetitur, ut prior syllaba longae pondus habeat, quam mensuram apud Plautum Terentiumque usitatam esse constat[2]. Ante voces enim a vocali incipientes prior semper producta est (P 39, 131, 322, 392; A 6); at A 67 *quia néc vos nec ìlle inpúne inriderét meam* lege illa excusatur, qua voces et syllabarum iuncturae quaedam iambicae corripi poterant. Item bene quadrant, quae Skutsch (p. 82 sqq.) de voculis *proinde, deinde, exinde* earumque formis per syncopam ortis *proin, dein, exin* eruit, illas, non has ante vocalem tolerari. Habemus igitur A 623 *proinde istaec*, at A 309 *proin tu*, pr. 32 *proin vide.* Sequente vocali invenimus *deinde* A 235, 257, pr. 23; *exinde* semel A 74. Similiter regula valet, quam de particularum *anne* et *nonne* usu Paul Schrader[3] exploravit, et *anne* et *nonne* non legi nisi ante vocalem, cf. P 16 *nonne hinc*, 129 *nonne officium*, A 288 *nonne Argivos*, contra P 25 *an quis est*, 149 *non tyrannum*, 184 *non tu*, A 3 *an sceptra*, 608 *non vides*; de 85 *an mala(d) aetate* infra agam. Unus locus refragari videtur P 380 *Manticulata astu anne sancta iura iuranda adicis?* Sed hic Ribbeck invita Minerva coniecturis abreptus est; nam in libris exstat *manticulatactu an sanctiora dicis iura iuranda*, quod etsi corruptum, alia tamen via sanandum est. De particula *an* dubitari non potest neque comparativus *sanctiora* tollendus est. Talis enim comparativus omisso altero comparationis membro vere Latinus est, velut *ocius* sescenties ita exstat. Potius illud *astu* glossema esse existimo, fortasse inculcatum, quod paulo ante cum eodem verbo coniunctum est (378 *ad manticulandum astu aggreditur*) et obsoletum verbum *manticulata* per se non satis clare dictum videbatur. Levissima igitur videtur emendatio Buecheleri, qui legendum proposuit: *manticulata an sanctiora iura iuranda adicis.* Neque minus Ribbeck erravit, cum contra libros scripsit (A 439) *Regina, aderit tempus, cum hice torrus, quem amburi vides.* Nam Fridericus Schmidt (Hermes VIII 478) et Guil. Studemund (Novi annal. phil. CXIII 57) observaverunt formas plurales pronominis *hic* syllaba *-ce* auctas praeter genetivum et neutrum non adhiberi nisi excipiente vocali; in singulari vero iam Plauto formae *hice*, *haece*, similes plane ignotae sunt, quo magis Accio per coniecturam eam tribuere dubito et quodlibet aliud remedium praefero; promptis-

[1] L. Mueller, De re metrica[2] p. 392.

[2] Fr. Skutsch, 'Forschungen zur lat. Grammatik und Metrik', p. 97.

[3] Diss. phil. Argentorat. VIII 296.

simum autem videtur, quod Buecheler commendavit, traditum verborum *cum hic* ordinem leviter mutare in *hic cum*. Contra in eiusdem versu (fg. 8 Baehr.), qui apud Gellium VI 9, 16 servatus est *num ergo aquila, ita ut hice praedicant, sciciderat pectus*, L. Mueller fortasse recte metri causa pro codicum lectione *hi* formam *hice* posuit. Studemund quoque (l. l. p. 58) in dactylis et sotadeis propter inopiam brevium syllabarum laxiorem rationem adhibitam esse ratus id comprobat loco Enniano Ann. 234 (V.[2]) *haece locutus*[1]. Quare in hac quoque re poetae consulto inter scaenicam et reliquam poesin discrimen videntur fecisse. Multo plus vero deficientem brevium syllabarum numerum ad *s* litteram in fine vocum abiciendam contulisse arbitror. Cuius rei pernotum testimonium Ciceronis in Or. § 153 vix adferre opus est, unde cognoscimus *s* finali tam exilem sonum fuisse, ut haec syllaba interdum ne adiuncta quidem muta cum liquida subsequentis vocabuli extenderetur, cf. A 533 *Unde ígnĭs cluet mortálibŭs clam*. Imprimis poetae hac licentia utebantur, ubi maxime breves desiderabantur, in thesi ultimae sedis senarii (P 168 *aptus sum*, A 308 *armatus sum*) et in anapaestis (P 260, 267; A 180, 181, 290, 433, 522, 523, 530, 533, 562).

Iam nobis ad *synizesin* tractandam progredientibus commemorandum est Pacuvio (47) *coerce* bisyllabum esse et Accium pares vocales concurrentes contrahere adamasse: 190 *obliscier*, 488 *obliscar* (quod metro flagitatur), 445 *conestat*. Neque vero pro certo statuere licet, utrum P 181 *paucis absolvit, ne moraret diutius* per synizesin legendum sit *diutius* an *dĭūtius*. L. Mueller quidem (De re metr.[2] p. 431) apud Phaedrum hanc vocem proceleusmaticum explere ostendit, sed adverso fronte stat Rudentis v. 93 *eo vos, amici, detinui diutius;* ceteris autem locis Plautinis, quos Dziatzko (Mus. Rhen. XXXIII 96) collegit, nihil proficimus, nam metro utraque mensura respondet. Solmsen denique, qui omnibus grammaticae comparativae subsidiis instructus quaestionem aggressus est, ad eum finem rem perduxisse sibi visus est, ut *dĭūtius* antiquior, *diūtius* recentior forma analogia adverbii *diu* nata habenda esset.

Restat, ut de *hiatus* usu inquiramus. Quem vocalium concursum nisi certis quibusdam condicionibus non admissum esse omnes viri docti consentiunt, sed quaenam hae condiciones fuerint, de hac re inter se dissident. Nuperrime Th. Birt[2] quidem novam et adhuc spretam rationem probandam suscepit, cum contendit apud Plautum eiusque

[1] Alterum exemplum ex Lucilii fragmentis promptum XV 27 (M., 434 L., 491 Marx) *seice meret* omni librorum auctoritate destitutum est, Horatiana nihil valent.

[2] 'Der Hiat bei Plautus und die lat. Aspiration', Marburgi H. 1900.

aequales *h* modo vim consonantis habere, modo collaqueationem admittere prout metro desideretur, pari igitur modo fluctuare atque *s* finalem, quae pro versus necessitate et positionem faciat et non faciat. Quod ut evinceret, ei contigisse viri docti[1] recte negant. In silva exemplorum, quam a p. 57 usque ad p. 70 proponit, nonnulla aliter accipienda vel corrupta esse Skutsch suo iure opposuit[2]. Birt, etsi igitur fundamento nequaquam solido nititur, etiam longius progressus in iuncturis, velut P 293 *offirmato animo* et A 84 *obstinato animo,* hiatum propter *a* fortiore cum spiritu pronuntiatum[3] existimat concessum fuisse. Quam spinosam rationem aeque ac vim aspirationi tributam valere minime veri simile est, quod nobis, si eam amplectemur, fortiorem illam pronuntiationem plerumque neglectam esse statuendum erit. Neque vero omnes hiatus exceptis iis, qui vulgo legitimi habentur, exstirpare audeo, ut Ritschl voluit et Skutsch videtur probare. Nam cum voces non monosyllabae in plus septingentis versibus Plautinis hiatum efficiant[4], omnes hos vel levibus illis artificiis sive vocula inserta sive ordine verborum immutato tollere vereor. Ceterum lubricam hanc quaestionem primoribus labris attigisse satis habeo; nam ad eam tractandam peculiari disputatione opus esset, cui hic nec locus est nec vires meae pares sunt. Sufficiat igitur haec delibasse: Iniuria hiatum Ribbeck removit in septenariis trochaicis A 149, 432, ubi diaeresi satis defenditur. Neque recte fecit, quod P 293 *tamen offirmato* || *animo mitescit metus* et A 84 *Ut tam obstinato* || *animo confisus tuo* eum sustulit alteri versui *et* praefigens, in altero *obstinatod* scribens. Illud remedium vile et frigidum est, hoc non probabile, quoniam vel apud Plautum vetus ablativi terminatio in pronominibus, non in nominibus retenta esse videtur[5]. Eadem de causa A 85 *an mala(d) aetate* . . displicet; potius cum C. F. Muellero verba *an mala* antecedenti versui tribuemus. Emendavit autem bene Buecheler: A pr. 4 *Lue patrum hostili fusum sanguen sanguine* ita, ut *patrium* scriberet, quod et aequabilitate sermonis et collocatione verborum com-

---

[1] Niemeyer (Wochenschr. f. klass. Phil. 1901, p. 1145), Sonnenburg (Deutsche Literaturzeitung 1901, p. 2132), Skutsch (Berl. phil. Wochenschr. 1901, p. 910 sqq.).

[2] Exemplis, quae hic vir doctus (l. l. p. 913) falso enumerata esse ostendit, addi potest Rud. v. 210 *Nec loci gnara sum nec diu hic fui,* qui manifesto corruptela inquinatus est; nonne insulsum est virginem naufragam et modo in litus eiectam loquentem facere se eo loco nondum diu commoratam esse?

[3] Ut eius verbis (p. 350) utar: „mit starkem Einsatz“.

[4] V. tabulam Maurenbrecheri in libro, quem inscripsit „Hiatus und Verschleifung im alten Latein“, Lipsiae 1899, p. 238.

[5] Cf. similem hiatum Pseud. 44 *lacrumans, titubanti* || *animo, corde et pectore,* ubi de *d*-paragogico nemo cogitat.

mendatur. In A 498 Ribbeckius quidem verba tradita inter duos colloquentes distribuit et duobus additamentis auxit scribens

. . . praesto etiam adsum. —
Exprome quid fers: nam te longo ⟨ab⟩ itere cerno ⟨huc⟩ vadere.

His aliorumque coniecturis Vahlen[1] diligenter refutatis pentametrum trochaicum statuit et hianti orationi *huc* particula post adiectivum *longo* addita mederi studuit ita:

Praesto etiam adsum: exprome quid fers: nam te longo ⟨huc⟩ itere cerno vadere.

Sed erunt, qui de usu rari huius generis pentametrorum, quos Vahlen saepius commendare studuit[2], in versibus non concitatis adhuc dubitent; quare, ut usitata octonarii trochaici forma servetur, versus ita dissecari posse puto:

´ ⏑ — *Praésto etiam adsum; expróme quid fers; nám te longo*
Itere cerno vadere.

Quorum in priore si quis usitatam diaeresin post quartum pedem desiderabit, monendus est in collaqueatione caesuram latere et hanc metricam versus condicionem eandem esse atque P 130, 303, 329, 358, 408; A 105, 450, 460, 596. Praeterea attributum ab substantivo apud Accium[3] non semel eadem ratione separari (velut in v. 67 sq. *meam | grandaevitatem,* 240 sq. *optime | pater*, 275 sq. *luminis | conspiciendi*) in transcursu commemoraverim. — In P 369 quidem *Insanam autem aiunt* excidisse verbum *esse* probabile est, quippe quod et v. 366 et v. 370 simillimo modo positum sit. Sed A 452 *Meleagro ubi* hiatus nomine proprio[4] excusatur. Restant P 303[5], 348, 378, A 80, 127, 413, 496. Qui omnes quidem, ut Ribbeck cum aliis viris doctis fecit, facile corrigi possunt, at neque sententia neque structura quicquam conicere cogimur.

---

[1] In ind. lectionum univ. Berol. hib. 1902/3, p. 11 ssq.

[2] Cf. 'Über Fragen der Verstechnik des Terentius' (in relat. acad. Berol. 1901, class. phil.-hist. p. 348 sq.) et indicem lect. univ. Berol. hib. 1903/4, p. 9.

[3] V. exempla Terentiana apud Vahlenum in disputatione 'Über die Versschlüsse in den Komödien des Terentius' (Act. acad. Berol. 1900).

[4] Cf. Klotz, 'Grundzüge altröm. Metrik' p. 33, 107 sq.

[5] Cf. Vahlen in ind. univ. Berol. hib. 1903/4, p. 5 adn., cui, utcumque hic voces, ut hiatus evellatur, transposueris, tenorem verborum deteriorem fieri adsentior. Contra critico numeros restituenti unquam hiatum introducere licere nego eaque de causa in A 73 non cum eo (in ind. a. 1902/3, p. 13 sq.) pentametrum trochaicum agnosco, sed in octonario, quem Buecheler dimetitur, acquiesco. Ceterum quae vir ille doctus in eos dixit, qui parum caute, quae tradita sunt, augent vel amputant, ut metrum nescio quod nanciscantur, valde probo atque locis, quos ipse ab emen-

Tamen quoniam rationem hiatus admittendi vitandive nec Maurenbrecher nec Birt ita enucleaverunt, ut omnis dubitatio exempta sit, certum quid de iis iudicare non audeo. Denique in hexametro (fg. 3, 6 B) *iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem* in arsi hiatus occurrit, quem Ennius primus (Varia 39 V.[2] *Surrenti elopem fac emas*) admisit, deinde Vergilius circiter quadragies[1].

Iam difficili hac materia relicta ad novam tractandam accedamus.

III. De singulorum vocabulorum usu et formatione.

Scaenicorum priscorum sermonem contemplantes non sine delectatione ubertatem et varietatem elocutionis miramur. Vix unquam profecto lingua Latina tam flexibilis, tam ferax fuit quam illis temporibus, quibus imperio orbis terrarum sensim ad populum Romanum transeunte et omnibus rebus publicis privatisque vigentibus copia verborum loquentibus et scribentibus iam non suppeditare videbatur. Quid mirum poetas illius aetatis eosdem et grammaticos nova vocabula interdum audacius finxisse, vetera multiplici terminatione exornavisse, omnia denique temptavisse, ut rudem et inconditum sermonem ad Graecorum elegantiam facilitatemque accommodarent? Valde autem dolendum est sermone urbano, cuius fundamenta tum iacta sunt, paulo post facultatem verba novandi coartatam ac prope succisam esse. Cuius rei auctores exstiterunt viri nobiles, qui puritatem sermonis sectati locutionem hominum de plebe aspernati sunt. Eorum exemplum quantum apud poetas valuerit, comparatione a Godofredo Engelbrecht in „Studiis Terentianis“ (Vindob. 1883) instituta bene illustratur. Inde igitur repetendum est, quod lingua Latina, quae, etsi Graecae nequaquam par, tamen non rigida vel ad compositiones parum idonea erat, per tantum spatium, in universum si spectamus, eodem fere loco mansit.

Sed ad Pacuvium et Accium, ut redeamus, iam

1. de substantivis acturus sum, quibus hi paulo insolentius usi sunt. Atque incipiam proponere, quae ab iis *primis*, quantum nobis traditum est, vel *singulari sententia* usurpantur. Sunt autem haec:

P ex inc. fab. fg. LXII *applar* vel rectius *apalare* (cf. Thesaurum

---

dandi studio criticorum vindicavit, P 315 sq. adiungo. Qui duo senarii a Ribbeckio per coniecturam constituti re vera ex membro versus et octonario iambico constant. Distribuendum igitur est:

postquam defέssus ⟨*est*⟩
Perrógitando advenás de gnatis néque quemquam invenít scium.

[1] Cf. Luc. Mueller, De sc. metr.[2] p. 375; Maurenbrecher l. l. p. 220.

l. Lat. II 205 et 295), *appia* (*applar* Ducange, Klein) εἶδος σκεύους, ὡς Πακούβιος (CGl. II 18, 32 et Thes. Gl. emend. I 83), v. Lydum de mens. 29: Ἰστέον δὲ Ῥωμαίοις τὸ κανοῦν ἐπὶ μὲν τῶν ἱερῶν σατούραν, ἐπὶ δὲ τῶν εὐωχιῶν ἐπουλαρίαν, ἣν ἀπαλαρίαν οἱ πολλοὶ ἐξ ἀγνοίας προσαγορεύουσιν. Vix rectae igitur glossae: 'ap(p)lare, cochlear'.

A 219 *delitor (epularum fictor, scelerum fratris delitor)*, videlicet propter homoioteleuton novatum; non de eo dictum est, qui aliquem occidit, ut in glossis apud A. Mai (Auct. class. VIII 178) explicatur, sed de eo, qui tam immania facinora committit, ut iis, quae frater in eum peccaverat, longe praegraventur et tamquam ex tabula delinantur; apud Maium ibidem 301 *fratris perlitor* (quod ex sequentis versus exitu *perditor* ortum esse existimat Ribb.).

A 419 *extispex* (*extispicum* gen. cum Scaligero pro tradito *extispitium* vel *-cium* emendandus videtur).

A 506 *grummus*, Non. 15, 25 'agger a congerie dictus'; cf. Goetz, Thes. Gl. emend. I 505 *grumus* et *grummum*.

P 244 *lympha*. Recte Ritschl (Opusc. II 490 adn.) formam *lumpa* restitui videtur iubere; nam ut missum faciam aspirationem primum in titulo Mummiano (*triumphans* Schneider n. 285_5) apparere, crebriorem demum circa annum a. Ch. n. centesimum fieri, adiectivo *limpidus* vetus consonarum status servatur[1]. *Lumpa* igitur vel secundum recentiorem orthographiam *limpa* cum Brugmanno ('Grundriß' I² 107) et Sommero (l. l. p. 193) ex *dumpa* (Osce *Diumpaís* = nymphis) ortum esse puto atque aspirationem accessisse, quod Graeca vox νύμφη subesse videbatur, cui opinioni significatio favebat. Egregium eius rei testimonium est titulus utraque lingua conscriptus (Schneider n. 340): *L. Rantius L. f. Tro. Lumphieis* Λεύκιος Ῥάντιος . . . Νύμφαις.

P 376 *manticulator*, homo furacissimus; translate, qui rem dolose agit.

A fg. 2 B *metalli*, 'm. dicuntur in re militari quasi mercennarii . . . a quo genere hominum Caeciliae familiae cognomen putatur ductum' Paul. ex Fest. p. 147 (M., p. 131 Th.).

A fg. 29 B *miriones*, 'personae distortis oribus deformis' Varro de L. L. VII 64. Keller[2] vulgus vocabulum Graecum μωρίων = μωρός ad mirandi verbum relatum hoc modo immutavisse arbitratur.

---

[1] Aliam quidem etymologiam Stolz ('Hist. Grammatik' p. 357) proposuit. Comparat enim lit. *lëpsnà* (= flamma); stirpi *lëp-* Latine respondere **limp-**, sicut *linq-* Graecae λειπ-; sed mihi non persuasit, cum nihil sit, cur de Italica vocis origine dubitemus. Insuper notione eodem ducimur; nam **limpidus**, ut lexicis ostenditur, praecipue de aqua vel alio liquore, translate infima Latinitate demum adhibetur.

[2] 'Lateinische Volksetymologie' 1891, p. 133.

P 47 *plaga.* Non. 537, 19 'grande linteum tegmen, quod nunc torale vel lectuariam syndonem dicimus'.

A 668 *quadrurbem* = Athenas (*τετράπολιν*).

A 264, 438 *raudus.* Operae pretium est, unde haec vox ducta et quomodo notio varie aucta sit, inquirere. Festus de ea haec exponit (p. 265 M., 356 Th.): *Rodus vel raudus significat rem rudem et inperfectam. Nam saxum quoque raudus appellant poetae, ut Accius . . . Vulgus quidem in usu habuit non modo pro aere inperfecto . . ., sed etiam signato . . . Cincius De verbis priscis sic ait: 'Quemadmodum omnis fere materia non deformata rudis appellatur, sicut vestimentum rude(m), non perpolitum: sic aes infectum rudus . . . .' Rudiari ab eodem dicuntur, qui saga nova poliunt. Hominem inperitum rudem dicimus.* Quocum cf. Livium XXVI 11_9 *aeris acervi, cum rudera milites religione inducti iacerent, post profectionem Hannibalis magni inventi.* Vocem ad stirpem *roudh* (= ruber) pertinere Leo Meyer[1] et dubitanter Lindsay p. 286 statuerunt. Quam sententiam amplexus Romanos nomen a Gallis accepisse puto[2]. Quo vocabulo Gallos propter colorem aes appellavisse facile intellegitur; etenim metalla non raro ex colore nomen traxerunt, velut argentum, *ἀργυρός* eiusdem stirpis est, cuius *ἀργής*, aurum eiusdem atque aurora, *αὔω*[3]. Quoniam vero antiquissimis temporibus aes signatum ignorabant (nam quod Plinius N. h. XXXIII 42 regem Servium primum aes signasse tradit fide caret; Gallos autem aere rudi usos esse a Cassiodoro Var. l. VII 32 confirmatur), immo massa in frustula *diruebatur* (cf. Paul. ex Fest. p. 69 M., 49 Th.) et libra pendebatur, latiorem vim frusti cuiuslibet materiae *raudus* vox induere potuit, qua notione praedita antiquitus genetivo vel adiectivo apposito accuratius definitur, veluti Accius 263 *saxi raudus*, 438 *raudus saxeum* scripsit, Lucilius 1192 (Marx, 1022 L., III 44 M.) *plumbi pauxillum rodus.* Postea significatione primaria prope oblivione obruta nude positum valuit *frustula minuta lapidum* vel laterum et in architectura proprie ita nominabantur *lapilli*, qui calce admixta ad pavimenta conficienda adhibebantur. Hac sententia primum apud Vitruvium VII 1 exstat, illa loco Lucilii — in lexicis deest —, qui propter Nonii interpretationem (p. 18_{14}) notabilis est. Lucilii versum enim 408 (Marx, 346 L., XI 5 M.) *vim | sternenda⟨m⟩ et*[4] *iaciendum huc ag⟨g⟩erem et id genus rudus* ille sub lemmate *rudus, stercus, quod*

[1] 'Vergleichende Grammatik der griech. und lat. Sprache' p. 729.

[2] Cf. Holderum 'Altkeltischer Sprachschatz' s. v. *roudos* (= rot).

[3] V. praeterea Hesychium *γλουρός·* (= Attice *χλωρός*, Kretschmer 'Einleitung in die Geschichte der griech. Sprache' p. 224) *χρυσός Φρύγες*.

[4] Mercier *viai | sternendae* coniecit.

raditur adfert. Quem locum obiter lectum Nonius tam male intellexerit, eum me invenisse puto. In decimo enim Columellae libro habes versus:

(81 seq.) *rudere tum pingui, solido vel stercore aselli*
armentive fimo saturet ieiunia terrae.

Illo *vel* et attributo *pingui* inductus Nonius *rudus* pro synonymo stercoris habuisse mihi videtur idque eo facilius fieri potuit, quod statim subsequitur *fimus* nec multum interest inter fimum et stercus. *Quod raditur* cum addit, videlicet etymologiam se detexisse opinatus est. — Ut iam declarem, quo haec tendant, *raudus* vel *rodus* et *rudus*, quae in lexicis ut diversa vocabula secernuntur, unam eandemque vocem esse arbitror. Non quidem infitior alterum alteri fortasse stirpi aggregandum esse[1], attamen rem ita se habere, ut adumbravi, satis probabile duco. Inter duas enim eiusdem vocis formas differentiam notionis oriri solere res notissima est. Locis Accianis autem nobis perbene medius status ostenditur. Si quis vero opponat in syllabis ictu instructis *o* et *u* non fluctuare, nondum ad incitas redacti sumus. Sunt eius modi exempla etsi pauca et quaeritur tantummodo, quomodo sint explicanda. Proxime accedit *robus* (Fest. p. 264 M., 359 Th.) = rufus, *robigo* et *rubigo;* deinde adferri possunt *nogae* Pl. Trin. 856 (cod. *B*), *naugas* Merc. 942 (*C*), *naugatorias* Trin. 844 (*A*), *nugae*[2] et fortasse *scruta*, *scrautum*, *scrotum* (Stolz l. l. I 152). Utrum illud *ō* suadente Kretschmero ad *ōu* revocandum sit an dialectis debeatur (fortasse Praenestinae)[3], in hac quaestione non longius morabor, ne in dumeta incurram, unde pedem vix referam.

P 251 *serilia*, 'pro funiculis, qui sparto conseruntur' Fest. p. 343 (M., 510 Th.).

A 324 *terricula* (neutr. plur.).

P 406 *trabica*, 'navis, quod sit trabibus confixa' Paul. ex Fest. p. 367 (M., 558 Th.).

P 381 *triportenta*, valde monstrosa portenta.

P 64, 215 *ungulus*, 'Oscorum lingua anulus' Fest. 375 (M., 570 Th.); ad vocem *uncus* pertinere videtur.

Quae vocabula cum dico primum apud Pacuvium vel Accium nobis occurrere, non ita accipiendum esse quasi ab iis ea inventa putem, per se intellegitur. *Raudus* ut vidimus vetustum vocabulum est et *extispex* haud dubie paulo, postquam haruspices ex Etruria acciti sunt, vox vul-

[1] De radice *ru-* „frangere, contundere“ cogitavit Per Persson 'Bezzenbergers Beiträge' XIX 268.

[2] Kretschmer, 'Kuhns Zeitschrift' XXXI 453.

[3] V. Solmsenum, 'Studien zur Lautgeschichte' p. 85, 109.

garis facta est. *Metalli* vero notione haud scio an iam Naevius luserit, cum Metellos versu *Fato Metelli Romai consules fiunt* insectatus est[1].

Subiungam, ut par est, substantiva ab usu *remotiora*, quae apud unum alterumve eorum aequalium inveniuntur, apud posteros autem oblivione obruta sunt.

A fg. 2 Baehr. *cacula*, 'servus militis' Fest. p. 45 (M., 32 Th.). Hic ut apud Plaut. in Trin. v. 721 prima metro brevis evincitur[2].

P 232 *camilla (-us)* vi[3] 'filia (filius) parentum liberorum', ut in pervetusto illo praecepto rustico, quod in Pauli excerpt. ex Festo p. 93 (M., 66 Th.) servatum est: *Hiberno pulvere, verno luto grandia farra, camille, metes*[4].

A 587 *dividiae* (*-dae* codd.), 'dissensiones, simultates'; translate 'taedium' A 152 (cf. Plaut.).

A 194 *hostimentum* (Naev., Enn.).

A 138 *obitus* = adventus (Ter.), cf. Festum p. 201 (M., 236 Th.) *'ob' praepositione antiquos usos esse pro 'ad' testis est Ennius.*

A fg. 22 Baehr. *porca*, 'terra inter sulcos elata' cf. Catonem R. r. (c. 48_{12})[5], Varro R. r. I 29.

A 105 *prolubium* (cf. Ter. Ad. 985).

P 218, A 574 *tonsilla*, 'palus dolatus in acumen et cuspide praeferratus, qui navis religandae causa in litore figitur' Fest. p. 356 sq. (M., 538 sq. Th.); cf. Enn. Ann. 499 (Vahlen[2]).

A 86 *tonsus* = tonsura (Plaut.).

Apte hic adnecti possunt vocabula, quae ex *Graeca* lingua adsciverunt, ut patrium sermonem locupletarent. Haec quoque ita digeram, ut quae a Pacuvio et Accio primum recepta videntur, segregem ab illis,

---

[1] Adiungo *vitisator* (A 241 *o Dionyse . ., v., . . euhie!*), quia novatum esse videtur (cf. Enn. Tr. 108 R. *vitis inventor*). Verg., inc. poeta PLM. III 304, Arnob. eo utuntur, at Tibull. II 3, 63 et Ov. Met. IV 14 *consitor uvae* praeferunt.

[2] Quod vero qui alterum Pseudoli argumentum composuit, v. 13 et 14 vocem dactylice metitur, eo ipso sententia eorum stabilitur (velut Opitzii Stud. Lips. VI 275 seq., Leonis 'Plautinische Forschungen' p. 13), qui eum aetatis Hadrianae fuisse iudicant, qua homines studiis priscorum poetarum imbuti stilum coloremque antiquitatis imitari sciebant, artem prosodiacam, quippe, quae nisi vivida pronuntiationis vi fulcitur, languescat non item.

[3] Ingeniose Keller ('Lat. Volksetymologie' p. 241—248) demonstrat vocem a Phoenicibus per Graecos ad Romanos venisse idque nomen fuisse quarti ex ordine deorum, qui Cabiri vocantur, deinde pueros ministros sacerdotum ita nuncupatos, denique ad eam, quam supra attulimus, vim attenuatam esse. Quam mutationem vetustissimam esse 'hoc rustico vetere cantico' (Macrob. Sat. V 20, 18) declaratur.

[4] Cf. E. Hauler 'Festschrift Th. Gomperz dargebracht' (Vind. 1902), p. 389 sq.

[5] E. Hauler 'Arch. f. lat. Lex.' I 585.

quae eis cum prioribus scriptoribus communia sunt. Quaedam an iam antea, fortasse priusquam scriptores Romae prodierunt, translata sint, incertum esse consentaneum est. Prioris classis sunt:

A 624 *adytus* ἀδύτους.
P 393 *alcyon* ἀλκυών (at Plaut. Poen. 356 *alcedo*).
[P 103, 114 *aula* αὐλή][1].
A 302 *camus* κημός.
P 48 *camter* καμπτήρ.
A 404/5 *delphinus* δελφίς.
A 572 *echo* ἠχώ.
A 527 *mysteria* μυστήρια.
A (tit. libri) *Parerga*.
A 678 *polus* πόλος.
P 217 *sceptrum* σκῆπτρον.
A fg. 27 B. *sicinnistes* σικιννιστής.
A 148, 366 *tropaeum* τρόπαιον.

Alteri classi tribuenda sunt:

P 90, 93 *aether* αἰθήρ (Enn.).

P 64, 186 *bracchium* βραχίων[2].

A fg. 13 B. *chorus*. Hoc nomen ex qua aetate ludi scaenici agi coepti sunt, Romanis (ut *poema* et *theatrum*) notum fuisse apparet.

P 186 *clamys* χλαμύς (Plaut.).

P 21, 850, A 211, 674 *coma* (κόμη, cf. Enn.).

A 568, 596 *draco*(*ntem, -tis*) δράκων (inc. inc. fab. 172 *draconis*).

A 242 *euhie* εὔιος (ex coniect.; Enn.).

P 113 *hymenaeus* ὑμέναιος (Plaut.).

A 331, 670 *lampas* λαμπάς (Plaut.).

A 129 *lembus* λέμβος (Plaut.).

A fg. 14 B. *machaera* μάχαιρα (Plaut., Enn.).

P 312, A 238 *melos* (μέλος) masc. gen., A 405 (genus non discernitur; Naev.).

A 290 *pausa* παῦσις (Plaut.).

P 416, A 394 *pelagus* πέλαγος (Plaut.).

A fg. 15 B. *poema* ποίημα.

P 383 *prologium* πρόλογιον. In lexicis *prŏlogium* praebetur; ego, etsi legi potest: *quid ést nam me exanimásti prŏlogio tuo*, cum in tali clausula iambus quinto loco toleretur (v. supra p. 119), tamen *prōlogium* metiri malo; nam praepositio προ- alibi quoque quantitate Latinae instructa est, cf. *prōlogus* (semper ita apud scaenicos), Enn. Sat. 7 V.[2] *prōpinas*, Lucil. 198 (Marx., 168 L., V 28 M.) *prōpola*.

P 385, A 307 *spira* σπεῖρα (Enn.).

---

[1] *Aula*(*m*) Scaliger et Ribb. vix recte pro codd. lectione *aura*(*m*) scripserunt.

[2] A Graecis sumptum esse propter differentiam prosodiacam multi negaverunt, quos Birt (l. l. p. 45) bene delegat ad scripturam *Accheruns, Accheruntius*, quae aliquotiens est in libris Plautinis. Est ea quidem non genuina, sed non irrepsisset, nisi apud eum prima contra usum Graecorum semper longae locum obtineret. Eandem mensuram praebet inc. inc. fg. 73 *Adsum atque advenio Acherunte*.

P 270 *subina*[1] (coni. Ribb.) *σιβύνη* (Enn.) 'sybinam appellant Illyri telum venabuli simile' Fest. p. 336 (M., 500 Th.).

A 472 *taenia ταινία* (Enn.).

A fg. 25 B. *theatrum θέατρον*.

A 239 *thyrsus* (Scriverii coni.) *θύρσος* (Naev. 31 *tyrsigerae*).

P 149, A 217, 270 *tyrannus τύραννος* (Enn.).

In universum dicere possumus utrumque poetam libenter a Graecis multa sumpsisse, imprimis Accium. Documento sunt et tituli ipsi fabularum, velut *Epinausimache*, *Nyctegresia*, *Stasiastae*, et Varronis locus L. L. X 70: *Accius haec . . largius a prisca consuetudine movere coepit et ad formas Graecas verborum magis revocare, a quo Valerius ait: 'Accius Hectorem nolet facere, Hectora malet'* (cf. p. 130 s. v. *draco*).

Optime Pacuvius Acciusque meriti sunt, quod numerum substantivorum *abstractorum*, quorum in prisca Latinitate magna penuria erat, auxerunt. Praecipue multa, quae in *-tas* vel *-tudo* desinunt, apud eos occurrunt. In quorum serie uncis inclusi, quae a sermone puro non aliena sunt, asterisco *ἅπαξ εἰρημένα* significavi:

A 467 **acritas* (CGl. II 564, 14),
A 81[2], 504 **angustitas*,
P 188 **concorditas*,
P 178 **discorditas*,
A 640 *dulcitas*,
P 53, A 118 *famulitas* (per syncopen *famultas* Laevius fg. 22, 5 B.),
A 20 (*fidelitas*),
P 162, A 68, 245 **grandaevitas*,
A 65, 303 (*impietas*),
A 248 **magnitas*,
A 254 **nitiditas*,
P 161 (*orbitas*),
A fg. 24 B. *ponderitas*,
P 346 (*protervitas*),
A 108, pr. 7 (*segnitas*),
A 354 *solitas*,
A 617 *squalitas*,
A 287 (*stupiditas*),
P 292 (*timiditas*),
P 59 *tristitas*,
P 109 (*unanimitas*),
A 586 **vicissitas*[3].

[1] Keller ('Lat. Volksetym.' p. 354) *sibunam* vel *sibinam*, quae legitima forma esset (cf. *sibones* Gell. X 25_2), hunc in modum in ore vulgi depravatam esse ait, quod ad praepositionem *sub* revocata esset. Id crederem, si *σιβύνη* compositum esset vel haberi potuit. Nunc vero potius vocales inversas esse existimo, quia complura substantiva in *-ina* terminantur, nulla in *-ŭna*. Simile quid evenisse videtur in *apica* = *ἄποκος* (Keller ibid. p. 90).

[2] Cur Ribbeck contra lemma Nonii *angustate*, quod lapsu calami manus prioris in uno codice ortum est, receperit, non video. Videlicet licentia illa legendum puto: *Sed ăngŭstitate . .*

[3] Omnia ut collecta proponam, tritissima hic subiungo: A 580 *adfinitas*; P 253, 277, 304, 340, A 85 *aetas*; A 468 *atrocitas*; P 396 *calamitas*; A 176 *crudelitas*; P 170 *cupiditas*; A 188 *dignitas*; P 301 *egestas*; A 99 *humilitas*; A pr. 40 *libertas*; A 648 *maiestas*; A 621, 643 *nobilitas*; P 219, 424, A 542 *potestas*; P 189 *probitas*; P 79 *pro-*

A 466 *acritudo*,
P 60, 128 (*aegritudo*),
P 164, A 154, 349 (*anxitudo*),
A 585 **castitudo*,
P fg. LXIII **desertitudo* (pluralis),
P 61 **geminitudo*,
A 88 **gracilitudo*,
A 16, 501 **honestitudo*,
A 61, 259 **laetitudo*,
P 246, A 456 (*lassitudo*),
P 247 (*lenitudo*),
A 616 *maestitudo*,
A 79, 185, 187 **miseritudo*,
P 246, 247 (*mollitudo*),
A 162 **noxitudo*,
P 135, A 94 *orbitudo*,
P 313 *paenitudo*,
A fg. 26 B. **perperitudo*,
P 124 *prolixitudo*,
A pr. 20 (*pulchritudo*),
A 593, 646 (*sanctitudo*),
P 240 (*similitudo*),
A 340 **squalitudo*,
A 556 **taetritudo*,
A 69 *tarditudo*,
P 149 **temeritudo*,
P 123 *vanitudo*,
P 314, A 374, 455, 615 *vastitudo*.

Iam oritur quaestio, num nihil referat, utro suffixo substantiva formata sint. Gellius quidem XIII 3 nihil interesse contendit et istos syllabarum aucupes perstringit, qui interpretando discrimen fingant, idemque XVII 2_{19} repetit, nisi quod concedit pleniores formas, quae suffixo -*tudo* efficiuntur, aliquid maioris dignitatis prae se ferre. Quem promiscuum usum postea exstitisse, non primitus licuisse Stowasser[1] cognovit. Discrimen autem minus recte definivit, cum ait, substantivis in -*tudo* exeuntibus speciem alicuius rei exprimi, velut *maestitudinem* esse maestum habitum, *honestitudinem* honestum aspectum. Qui error inde manavit, quod -*tudo* ad verbum tuendi pertinere ratus est. Hanc etymologiam Meyer-Lübke[2] improbavit, cum dixit, qui eam commentus sit, eum ignorare, quantae difficultates et ex legibus de vocalium consonantiumque mutationibus exploratis et ex structura morphologica, quam vocant, oboriantur. Rectius differentiam inter -*tas* et -*tudo* exposuit Michael Pokrowskij ('Kuhns Zeitschr.' XXXV 244 seqq.). Ostendit enim suffixis -*itia* et -*tas* qualitates constantes atque diuturnas significari, substantiva autem terminatione -*tudo* praedita ad nomina actionis accedere et statum per exiguum tempus manentem indicare, velut *anxietatem* esse natura insitam timiditatem, *anxitudinem* subitam trepidationem. Coaluisse -*tudo* ex suffixis -*tu* et -*do*, quorum utrumque ad nomina actionis derivanda adhiberetur, neque opus esse syllabam per dissimila-

pinquitas; P 410 *satietas*; P 319 *tempestas*; P 373 *temeritas*; P 190 *varietas*; A 175 *vastitas*; A 467 *veritas*; A 245 *vetustas*; P 196 *voluptas*.

[1] 'Eine zweite Reihe dunkler Wörter', progr. gymn. Francesco-Iosephini Vindob. a. 1891, p. 7.

[2] 'Indog. Forschungen' Anz. I 122.

tionem[1] oppressam esse statuere, immo a pura verborum stirpe, non a participio haec substantiva ducta esse aeque atque *consuetio, quies,* alia. Atque bene unicam dubitationem, quae restat, quomodo *-tudo* separari potuerit, etsi *sollicitus* et *sollicitudo, mansuetus* et *mansuetudo* iuxta sint formata, tollit monens in prisca Latinitate multa adiectiva et II. et III. declinationis fuisse, velut *mansuetus* et *mansues* (*mansuem* Varro Sat. Men. 364), *inquietus* et *inquies, hebetus* et *hebes* (*hebem* Caecil. Com. 81). Ideo cum *mansuetudo, inquietudo, hebetudo* cum illis brevioribus formis consociatae essent, *-tudo* suffixum habitum esse. Postea discrimen inter *-tas* et *-tudo* magis magisque evanuisse idque inde exordium sumpsisse, quod in nonnullis substantivis pro radicis notione ambae formae idem valerent veluti *vicissitudo* et *vicissitas.* Ceterum metrum aliquid contulisse, utrum suffixum praeferretur, manifestum est; etenim in fine iamborum obliqui casus substantivorum, quae in *-tas* exeunt, stare non poterant, contra versus bene currebant, si obliquis casibus in *-tudo* terminatorum claudebantur. Quo modo commode versus concludi posse iam Plautus[2] videtur animadvertisse; apud Ennium semel septenarius trochaicus desinit in ⟨*ari*⟩*tudinem* (Varia 46 V.²), Pacuvius vero satis frequenter tali clausula utitur (P 61, 124, 135, 149, 164, 240, 246, 313, 314) ab eoque id artificium recepit Accius (A 61, 69, 94, 185, 187, 259, 340, 374, 466, 585, 593, 614/15, pr. 20). Praeterea non neglegendum est poetas consulto sermonis varietati operam impendisse, cuius rei dilucidum exemplum habemus in Accii Neptolemo, ubi locis, qui sine dubio non multum distabant, legitur: 466 *acritudinem,* 467 *acritas,* 468 *acrimoniam.* Alibi quoque minus usitatos exitus anteponebant idque ideo fecisse censeo, quod ita vocibus, quae cotidiano usu ut nummi deteruntur et colorem amittunt, quodammodo nova species induitur atque aliquid splendoris additur. Huc pertinent: A 469 **errantia,* A 511 **faventia,* P 175 **lamentae,* P 275 **macor,* P 412 *nigror,* P 20 *propages,* A 176, 659 *satias,* P 314 *squales, scabres* (ex coniectura Ribbeckii coll. Varronis Sat. Men. v. 254), A 210 **stabilimen,* A 278 *tardities.* Varrone auctore (de L. L. V 21 M.) *termen* quoque Accianum fuit (at 481 *terminus,* 178 *terminis* exstat); plur. *termina* scriptus est in sententia Minuciorum (Schneider n. 294_8), sed infirmum documentum est, quoniam genere mutato II. declinationis esse potest. Similiter '*statum*' pro '*statura*' Accium dixisse viri docti falso sumunt, cum Non. 226_{25} male coniungunt: 'statura generis femi-

[1] Velut *sollicitudo* ex **sollicititudo,* ut Stolz voluit ('Hist. Gramm.' p. 556).

[2] Locis a Rassowio ('*De Plauti substantivis*' Nov. ann. suppl. XII 591 seqq.) in indice enumeratis sesquipedalia haec substantiva — excepto nominativo sing. — tricies ultimam sedem, ter decies mediam quandam tenent.

nini. Lucilius lib. XXVIII *quare pro facie, pro statura Accius status'*; sed a voce *status* novum lemma incipit: 'status masculini' atque omnis dubitatio sagaci interpretatione Marxii discutitur, qui primus perspexit hoc versiculo Accium a Lucilio carpi et *'pro facie, pro statura Accius est'* significare *'brevi ingenio est'* (v. indicem nom. propriorum editioni Lucilianae eius adiectum s. v. Accius).

Porro hi poetae aliquot substantiva a verbis traxerunt Plautum secuti, qui multa talia finxit; quae licentia postea repressa est. His aggreganda sunt: P 266 **attrectatu*(*s*), P 173 *domumitio*, A 173 *domuitio*, A 154ᵃ *erratio*, P 335 *flictus*, P pr. 5 *gressio*, A 24, 568 *gressus*, P 266 **quassu*(*s*), P 147 **spectu*(*s*), P 257 *succussu*(*s*), P 57 *transmissu*(*s*).

Denique in **declinatione** paulisper commorandum est. Hic nonnulla subst. ad alias decl. applicavisse adnoto, velut A 336 *anfracta*, P 349 *armentas* (Enn.), P 296 *arvas* (Naev.); A 65 *generibus* = generis (*generi* = genero CIL. III 1548), A 222 **lacerta* (plur.), P 102/3 *ossuum* (ossua CIL. I 1010), A 178, 271 *pecua* (A 211 *pecudes*), A 575 *prorim* (?), A 324, 623 *terricula* (plur.), A 480 *tonitra*, A 439, 452 *torrus* = torris (Pac. et Enn. quoque ita dixerunt teste Servio in Aen. XII 298).

Praecipue vero quarta declinatio cum altera miscebatur; gen. sing., quantum videmus, ut apud Plautum, semper in *i* desinit[1] neque a Cicerone prorsus vitatur (Neue-Wagener I³ 539): A 80ᵃ, 188 *aspecti*, A 150, 311 *exerciti*, A 491, 519 *lucti*, P 70 *parti*, A 435 *salti*, P 133 *soniti*, A 485, pr. 1 *tumulti*; rarius II. decl. secuntur nom. plur.: P 97 *aesti*, P 77, A 33, 633 *flucti*, accus. pl.: P 172 *grados*, A 250 *pinos*, abl. pl.: A 244 *fetis* = fetibus, A 63 *specis* = specubus.

Sed mirum in modum ab usitata loquendi et scribendi ratione discedunt, cum in nominativo semper fere *itiner* ponunt (P 45, 121, 226, A 457, 500), in obliquis casibus formas a breviore stirpe ortas praeferunt: Pac. (secundum Charisium GL. I 63, 8 et 134, 15) *iteris* (P 347 *itinere*), A 499 *itere*, 627 *iteris* (Naevius *iteris*, Plaut. et Enn. *itiner* forma utebantur, cf. Neue I³ 290).

Pariter antiquitatem resipiunt nominativi: A 331, 373 *Iovis* (iam a Naevio et Pac. receptus, v. Pompeium GL. V 187); P 290 *labos*, P 82 *pavos*, A 112 *vapos*; A 669 *ops* (hic vix adiectivum, v. Prisc. GL. 322, 2); A 83, pr. 4 *sanguen* (Enn., Cato); accus.: A 265 *divitiam*, P 111 *inimicitiam*.

Multo plus Pac. in genetivis plur. II. declinationis sibi indulsit; nam vetustam terminationem *-um* pro *-orum* non solum in vocabulis ad deorum cultum vel ad commercium et rem nummariam spectantibus vel in nominibus propriis, quae repetita 'littera canina' dissona facta

---

[1] Idem apud Terentium plerumque admittitur, cf. Engelbrecht, *Stud. Ter.* p. 21.

essent[1], posuit, sed durius etiam septies deinceps admisit in v. 80—82:

Cives, antiqui amici maiorum meum,
Consilium socii, augurium atque extum interpretes,
Post quam prodigium horriferum, portentum pavos,

id quod recte Cicero in Or. § 155 improbavit. Reliqui loci sunt hi: 295 *aeternum, humanum sator,* 313 *desiderio alumnum,* 335 *armamentum stridor,* 34 *armum,* 75 *dominum imperia,* 308 *dubium et prosperum copem diem,* 43 *parentum incertum investigandum gratia,* 103 *ossuum inhumatum,* 329 *liberum,* 412 *nimbum,* 401 *meum . . . socium,* 332 *Thessalum,* 149 *tyrannum,* 404 *virum.* Parcius hunc exitum Accius admisit; nam praeter illas formas, quae semper in usu fuerunt, velut 165, 231 *Argivum,* 544 *caprigenum,* 32, 143, 159 *deum,* 471 *Graium,* 479 *inferum,* 79, 376, 424 *liberum,* 371, 491 *socium,* 656 *duom virum,* inveniuntur tantummodo 319 *armum* (coniectura probabili pro codd. forma *armorum*), 381 *vim citatum quadrupedum.*

In III. declinatione substantiva et participia in *nt* desinentia in gen. plur. ut apud Enn., Plaut., Ter. iustam terminationem retinent, cf. A 493 *ardentum,* A 641 *conspirantum* (utrumque ex coniectura), P 404 *exsuperantum,* A 580 *gentum* (metri causa; libri: *gentium*), A 315 *infantum,* A 603 *quadripedantum,* P 336 *rudentum.* — Ceterum stirpes in consonantem exeuntes cum iis, quae in *i* terminantur, apud hos quoque confundebantur: A 419 *extispicium* (*-cum* Scaliger), pr. 12 *perduellum,* 501 *principium* (*-pum* Vossius), 408 *turrem,* 473 *virtutei* (flagitante metro pro librorum lectione *virtute* vel *virtutem;* cf. *virtutei* Schneider n. 91, v. 5).

In V. decl. genetivi P pr. 1 *progenii* (a Gellio IX 14, 13 et Nonio p. 490_4 firmatur) et A 434 *permiti*[2] (= perniciei) notabiles sunt. — Illud *d* ablativis adfixum in substantivis iam evanuisse neque ad hiatus tollendos invitis codicibus inserendum esse[3] supra dixi. Neque cum Ribbeckio excipiendus est v. P 237:

Qua súper re interfectum ésse dixisti Híppotem,

etsi Lindsay 'Arch. f. lat. Lex.' X 550 ut in *med, ted,* sic omnino in monosyllabis *-d* finalem accentu vi munitam aliquanto diutius locum obtinuisse recte statuit; nam senarium nos dimetiri posse vocem *super* (sequente *re*) secundum legem illam, quae est de corripiendis iambis, pyrrhichice legentes L. Mueller (*De Pac. fab.* p. 35) vidit.

[1] Cf. Woelfflin. 'Arch. f. lat. Lex.' IV 4.

[2] Codd.: *permities,* quod quis coll. Charis. GL. I 81, 20 *huius pernicies* defendat, sed Ribb. coniectura lemmate Nonii (p. 219, 1): *Permities gen. fem. . . Neutri Accius* fulcitur.

[3] Maurenbrecher 'Hiat und Verschleifung' p. 107—146.

Reliquum est, ut addam hic illic genera fluctuare, quae res omnibus temporibus et in omnibus linguis usu venit, quoniam genera plerumque usu tyranno eoque sibi non constanti, non logica quadam ratione temperantur: v. A inc. fg. XXXIX *alvus* masc., A 297, 323 *amnis* fem., A 302 *collum gravem*[1], A 577 *finis* fem., A 390 *gelus* masc., A 666 *latex* fem., P 252 *specus* fem., P 52, 421 *stirps* masc. (at A 596, 643 fem.), A 288, 348 *vulgus* masc. Nonio autem diffido, cum Accium *castra* feminino genere scripsisse dicit A pr. 16 *castra haec vestra est*. Neue quidem I[3] 677 id sibi persuasit haec reputans: 'Wenn auch die angeführten Worte *castra haec vestra est*, wofür Ribbeck ohne Grund *vestrum* schreibt, für das Femin. nicht unbedingt beweisend sind, indem *haec* sich auf ein vorangegangenes Nomen Sing. bezogen haben kann, so müssen wir Nonius doch Glauben schenken, wenn man die beiden Casusformen *castrae* und *castras* erwägt, welche der Pentateuchpalimpsest von Würzburg (Itala Exod. 32, 19 Dat. *castrae*) und der Epistelcodex von Clermont (Itala Hebr. 11, 34 Acc. *castras*) darbieten'. Sed Italae locis id solum demonstrari arbitror illis temporibus iam turbas istas coepisse, quibus postea genus neutrum plane interiit. Cum ne auctor belli Hispaniensis quidem, qui multa ex sermone plebeio sumpsit, hunc soloecismum commiserit, Accio eum tribuere admodum vereor. Praeterea Nonii lemmata non magni esse facienda constat. Nonne idem, cum genetivos II. declinationis in *-um* cadentes adfert, in lemmate pronuntiat (p. 495, 6) *accusativus numeri singularis positus pro genetivo plurali?* Si quis vero me interroget: 'Num quid ergo mutare vis?', respondeam: 'Nihil equidem.' Certe enim locus ita comparatus fuit, ut homini semidocto et obiter legenti *castra* fem. genere dicta esse videri potuerint. Neque pronomen *haec* a substantivo *castra* divellam et ad praecedens quoddam nomen referam, id quod Neue voluit, quia veri simillimum est his verbis consulem castra capta Samnitium amicis Decii, quorum cohorte stipatus hic praeclarum illud facinus ediderat, dono dedisse[2]. At haec explicandi via opinor nobis patet: *vestra* non ad *castra*, sed ad substantivum (potius sequens quam antecedens) praedicativum fem. generis spectare et propter eius vim liberioremque collocationem copulam pro numero subiecti numerum praedicati secutam esse ita, ut locus hunc fere in modum interpretandus[3] sit: *castra haec vestra est* ⟨*tantae virtutis adoria*⟩. Inde Nonii quoque error, qui praedicati partes pro appositione habuit, facillime explicatur.

---

[1] *Hoc collum* neque Plautus novit neque quisquam ante Ciceronem et Varronem, qui masculino non abstinet; cf. adn. Leonis ad Rud. v. 888.

[2] Ribbeck 'Röm. Tragödie' p. 598.

[3] Non restituendus; nam cum de metro non constet, versum refingere conari otiosum est.

2. De adiectivis et adverbiis.

In omni poesis genere adiectivorum usus latissime patet. Quorum vis in eo posita est, quod iis apte electis cogimur non acquiescere sententiam verborum adsecuti, sed, quae nobis narrantur vel describuntur, tam alacri et vegeto animo percipere, ut omnia nobis ante oculos versentur itaque nostri obliti, quocumque poeta vult, rapiamur. Atque quo cui magis id contigit, eo maiorem laudem meretur. Quam artem iam in Homeri carminibus admiramur eisque in patrium sermonem conversis, deinde aliis Graecorum poetis lectitatis Romani, quemadmodum poeticus sermo adiectivis esset exornandus, didicerunt. Inde videlicet multum ad copiam verborum augendam redundavit. Imprimis facultas adiectiva compositione formandi extendebatur, quo in genere Pacuvius multus atque hic illic nimius fuit, velut cum Graecum κυρταύχην (Quint. Inst. or. I 5, 70) imitatus monstruosum *incurvicervicum pecus* (408) finxit, nihil curans, quam breve sit confinium sublimitatis et ridiculi. Probabiliter igitur Kubik in disputatione, quam supra commemoravi, coniecit (p. 287) Ciceronem in Or. § 164 verbis: *immo vero . . asperitatem fugiamus 'habeo istam ego perterricrepam' itemque 'versutiloquas malitias'* Pacuvium petivisse.

Sed iam ordine adiectiva obsoleta vel primum obvia enumerabo et, quae semel exstant, asterisco distinguam:

A 158 *advorsabilis* (ex coni.),
A 238 *aericrep(it)antes*[1] (*melos*),
A 264 *aeternabilis* (Ambros., *altern.* Ribb.),
P 307 *copis* = copiosus (Plaut.),
P 349 **cornifrons,*
P 128, A 601, 628 *creper(a)* (Lucr., Varro),
A 117 *dividus* (Gell. II 12, 4),
A 694 **fallaciloquus,*
P 19, 362, A 246, 255 *florus* (Naev.),
P pr. 5 *gradilis* (codd. *-dibilis*),
A 617 **horrificabilis,*
A 287 *impos* (Plaut.),
P 386 **incicor(em),*
P 408 **incurvicervicu(m),*
A 384 **indelictus,*
A 364 **ingratificus,*
P 160 *moenis* (ex Ribb. coni., Plaut.),
A 75 **obscuridicus* (Merceri coni.),
A 111 **obvallus* (= obvallatus),
A fg. 11 B. *odibilis* (Lampr., Eccles.),
P 136, 320 *plerus* = plerusque (Cato),
P 408 **repandirostru(m),* quod Lucilium v. 212 (Marx., 170 L., V 42 M.) *lascivire pecus nasi rostrique repandum* irrisisse iam Dousa vidit;
P 193 **repotialis (ab eo | Depulsum mamma paedagogandum accipit | Repotialis Liber)* a repotiis ducitur.

Quid vero sit *repotialis Liber,* si quaerimus, viri docti alii alia respondent.

[1] Ita Buecheler (cf. χαλκόκροτα) et Ribbeck; codd.: *acri cr.,* Lindsay (in ed. Non.) cum Iunio: *acris crepantes melos.*

Buecheler quidem vinum intellegi vult, „quo lacte materno depulsus infans apud Thraces imbutus sit“, Ribbeck „ipsum lactis nutrimentum, quod in matris vicem Iliona fratri pusillo sua scilicet mamma praebebat“ (Coroll. p. XLIII). Utrumque claudicare mihi videtur, illud, quod ita sententia totius enuntiati, at non vis attributi *repotialis* illustratur; hoc, quod Ilionam, licet Liberum ut lactis auctorem introductum esse statuamus, repotiarum die ab Hecuba Polydorum lacte nutriendum accepisse cogitari non potest. Obstant expressa verba fragm. XLII (ex inc. inc. fab.):

Qua tempestate Helenam Paris innuptis iunxit nuptiis,
Ego tum gravida expletis iam fere ad pariendum mensibus,
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit,

quod ex fabula Iliona sumptum esse Welcker vidit. Male igitur de Vit in lexico interpretatur tragico tumore locum significare *puerum natum statim post nuptias ipsis repotiis;* multo melius Lucianus Mueller in disputatione *De Pacuvii fabulis* (Berolini apud Calvarium 1889, p. 32): *'Repotialis' puto cognomen fuisse Baccho apud antiquissimos Romanos; quod non mirum, cum repotia inter statutos ac sollemnes ritus essent nuptiarum.* Cui non recte adversatus est Stowasser[1], cum dicit „*repotialis* ⟨ist mit⟩ 'hochzeitlich, neuvermählt' zu übersetzen; substantivisch: 'der Neuvermählte', *novus maritus*. Die Stelle ist heil. Übersetze: 'von ihm (dem Polymestor) bekommt ihn (den Polydor), kaum da dieser der Brust entwöhnt ist, ein jungvermählter freier Mann'.“ Quae explicatio ab argumento fabulae, de quo per Hyginum edocemur, discrepat. Etenim a Priamo Polymestor Polydorum accipit neque infantem ab Polymestore alteri cuidam traditum esse conici licet. Regem Thraciae vero a poeta *liberum* appellatum esse credere nequeo. Muellerum igitur recte iudicasse censeo, in eo autem dissentio, quod cognomen potius ex Graeco sermone a Pacuvio translatum esse existimo neque ad diem festum postridie nuptias celebratum spectare; nam si ita esset, Pacuvius parum apte epitheton hic, ubi nihil de nuptiis et insequentibus comissationibus agitur, collocavisset. Atque ut certius quid proferamus, ansam nobis praebere videtur scholion ad Hor. Sat. II 2, 60, quod sub Acronis nomine circumfertur: *Repotia sunt, quae Graeci dicunt Ποτοστρόφια*[2] *aut mutuae invitationes*. Inde Baccho cognomen fuisse *Ποτοστρόφιος*, i. e. qui potationibus repetitis gaudet, divinare licet. In litteris Graecis, quae ad nos venerunt, vocabulum quidem non exstat, sed minus offensionis id habet, quod Pacuvium fabulam recentioris cuiusdam poetae tracta-

[1] In annal. 'Wochenschr. f. klass. Phil.' VII 804/5.

[2] Male O. Keller in *Pseudoacronis schol. in Horat. vetust.* editione (1904) vol. II 131 cum codicibus recepit *Ποδοστρόφια*.

visse veri simile est[1]. Quod si hunc in modum interpretamur, *puerum recipit Repotialis Liber* fortasse dici potuit de Bacchi patria Thracia, praesertim cum eius incolae vinolentia infames fuerint. Neque invenuste simul perspicuitati consulens Mueller versum ita supplevit: . . *accipit* | *Repotialis Liberi terra horrida.*

Iam ad propositum reversi adiectiva enumerare pergamus:

P 5 **saeptuosus* (-*se* pro -*sa* codd.),	P 2 *tardigrada* (Isid.),
P 316 *scius* (Petron., Eccles.),	A 463 **taurigenus* (*caprigenus* Plaut., P pr. 5, A 544, Verg., Cic. poet.),
P 252 *scruposus* (Plaut., Lucr.),	P 158 *tenebricus* (Cic. poetice),
A 421 **tabificabilis*,	

A 554 *tesqua* (Enn.).

Accius igitur in fingendis adiectivis continentior inaudita composita non temptavit. Quo factum est, ut complura adiectiva, quae primum apud eum occurrunt, alii scriptores reciperent, velut: A 127 *armipotens* (Lucr., al.), 555 *aspernabilis* (Gell., post.), 270 *ex⟨s⟩ecrabilis* (Liv., Plin.), 376, 415 *exspes* (Hor., Ov.), 397 *globosus* (Cic., Liv.), 80 *hostificus* (Cic.), 91 *impetibilis* (Cic., Plin., alii), 75 *inenodabilis* (Cic., Apul.), 340 *invisitatus* (Cic., alii), 546 *pinniger* (Lucr., al.), 545 *reciprocus* (Varro, Tac., Plin., alii), 603 *sonipes* (Lucil., Catull., Verg., alii).

Memorabile vero est et Pacuvium et Accium adiectivum *potis*, quod Plautus sescenties fere nude posuit neque Terentius, poeta in verborum delectu fastidiosus, addito verbo *esse* fugit[2], prope sprevisse. Nam quod id apud Pac. semel offendimus (389), contra *possum* eiusque formas quinquies (100, 142, 236, 290, 410), *queo* (*nequeo*) septies (139, 151, 153, 154, 317, 371, 390), apud Accium bis (418, 466), at *possum* octies (1, 190, 247, 285, 318, 368, 465, 625), *queo* quinquies (281, 368, 538, 620, 664), vix casui tribuendum est. Atque ab eorum temporibus re vera formae contractae frequentiores sunt, vetustiores autem a posteris quoque scriptoribus hic illic promuntur[3]. Deinde commemorandum est pleniorem eamque antiquiorem formam *dexterum* semel in fine versus legi (A pr. 36); qua in re Accius fortasse[4] Terentii usum amplexus est, qui ultimo pede trisyllabam formam, in medio versu usitatam adhibuit (cf. ex inc. inc. fab. v. 28 *dextra* medio in versu).

Iam ad declinationem ducimur. Nonnulla adiectiva etiam Ciceronis aetate modo II., modo III. declinationis esse pueri discunt. Multo maior haec formarum varietas in prisco sermone fuit. Velut in carmine

[1] Ribbeck, 'Die römische Tragödie', p. 238.
[2] Engelbrecht, *Stud. Ter.* p. 29.
[3] Cf. Neue-Wagener II[3] 176.
[4] A 653 Buecheler, ut metrum restitueret, *dextera* (codd. -*tra*) intra v. posuit.

Saliari habes *manus* (v. Paul. ex Fest. 122 M., 87 Th.: *Cerus manus* = creator bonus), nomen autem deorum *Manium* sine dubio non recentius est. Imprimis adiectiva in *-er* terminata propter parem exitum fluctuabant. Cuius rei antiquissimum exemplum sunt *porci sacres* (Fest. 318 M., 464 Th.; Plaut. Rud. 1208) — nomina, quae ad deorum cultum vel sacrificia spectant, certe reverendae vetustatis sunt —, at in titulo nuper in foro detecto habes *sakros*. Inde efficitur, ut Bothii lectio P 168: *Quod ego in acie celebra* (*celebro* codd.) *obiectans vitam bellando aptus sum* praestantior sit quam Vossii frigidum *crebro*. Addi possunt: P 229 *bisulcis*, A 595 *exanimus*, P 328 *indiges*, A 453 *mansues* (411 *ad mansuetum*), P 188, 208 *perpes* (= *perpetuus*), A 158 *pervicus* (= *pervicax*), A 563, 576 *sublimus*. Denique non praetereundus est nom. *veter* A 482 fortasse ab Ennio (Ann. 17 V.²) sumptus. Qui factum sit, ut postea *vetus*, quod primitus substantivum fuit (= ἔτος), praevaleret, etsi superlativus *veterrimus* mansit, non liquet. — Similiter in superlativis quoque formandis liberiorem rationem tenebant, cuius rei Priscianus GL. II p. 87 testis est, qui ex Pacuvii tragoediis *egregissima*[1] adfert. Scripturam per *i* simplex Th. Bergk[2] unice veram esse contendit, sicut Catoni formas *industrior, innoxior* vindicat (p. 88), quae a manu priore in libris exaratae sunt, Ribbeck *egregiissima* praetulit. Equidem Bergkii partes sequor, quia forma ab eo proposita optime ad Pacuvii morem terminationes male sonantes licentius contrahendi convenit. Atque nihil refert opinor in titulis (locos congessit Neue II³ 204) tantummodo *piissimum* exstare; nam hic *i* duplex retinendum erat, ne stirps plane obscuraretur. Peropportune autem eiusmodi comparativus apud Iuvenalem metro confirmatur: Sat. 11, 12 *egregius cenat meliusque miserrimus horum*. Tales formae fortasse increbruissent, si Romani minus analogiam sectati essent et neutrum comparativi ita formatum diversum fuisset a positivo. Alter superlativus a pura Latinitate alienus nec tamen apud priscos scriptores infrequens (v. Paul. ex Fest. 151 M., 139 Th.) est A fg. 17 B. *magnificissimus*.

Adiectiva Graecanica haec inveniuntur: P 5 *asticus*, P 114 *musicus*, A 687 *mysticus*, P 348 *philosophus*, P 251, 385 *sparteus*. Hactenus de adiectivis.

Apposite **adverbia** subiungam. In his uterque poeta modum, quem aequales tenuerunt, non transiit. Adamabant suffixum *-ter* vel *-iter*: A 123 **celeranter*, A 543 *cupienter* (Enn.), P 355 *debiliter*, A 642 **famulanter*, A 258 **indecorabiliter*, P 15, A pr. 11 **minitabiliter*, cuius ope

---

[1] In codice Sangallensi alterum *i* supra versum est additum.

[2] *Symbola ad gramm. Lat.* I 91, Halis 1870.

etiam adverbia adiectivorum II. declinationis formantur: P 73, A 120 *aequiter*, P 131 *amiciter*, A fr. 9 B. *inimiciter*, P 332, A 629 *properiter*, A 174 *saeviter*, A 96 *temeriter*, quae ratio fluctuante multorum adiectivorum declinatione corroborata est. Alterum suffixum, quod poetae illius aetatis in deliciis habebant, *-im* vel *-tim*, non ita crebro offendimus: A 77, 541 *cautim* (567 *caute*), fg. 22 B. *cossim* (valde dubium), A 350 *disertim*, P 256 *pedetemptim*.

Reliqua adverbia in sermonem urbanum non recepta haec sunt:

P 118, A 508 *actutum* (Scaen.),

P 322, inc. fab. fg. LIV, A 460 *facul* (facul: facile = simul: simile),

A 144, 503 *numero* = cito, nimis cito. Lepide Lindsay (-Nohl) p. 643 conicit id principio tantummodo cum verbis motum significantibus consociatum esse. Valet igitur *concitato gradu*, nempe si quis tarde incedit, omnis deest numerus eundi.

A 93 *setius* hic commemorandum est, quod manifesto in hoc versu (*Si forte paulo quam tu veniam setius*) significat *serius* itaque primariam notionem servavit, quam aliis linguis in comparationem vocatis Solmsen[1] egregie elicuit. Vestigia huius prisci usus in titulis mansisse his locis comprobavit: (in lege rep. CIL. I 198, 70) *nei* . . *⟨facito quo⟩minus setiusve fiat iudiceturve* et (sent. Minuc. I 199, 26) *mora non fit, quo setius eam pequniam acipiant*. Locutio igitur *quo setius* pro *quo minus* non togatae propria est, ut Fr. Marx in praefatione editionis incerti auctoris ad Herennium p. 167 statuit, sed ex talibus legum formulis et ad Afranium manavit et ad illum rhetorem.

A 79 *simitu* = simul (Plaut., Lucil.),

P 424, A 387 *topper* „ab ultimis et iam oblitteratis repetitum temporibus“, ut ait Quintilianus Inst. or. I 6, 40, idque locis, quos ex antiquissimis litterarum monumentis Festus (352 M., 532 Th.) excerpsit, confirmatur. Idem Artorii grammatici interpretationem: *cito, celeriter, fortasse* adfert. 'Cito' vel 'statim' valet in prisco sermone, 'fortasse' apud Enn., Pac., Accium. Quae notionis differentia primo obtutu nimia videri potest, sed eundem usum praebet Graecum *τάχα*.

P 213 *unose*, quod philologos iam multum sollicitavit. Ad adiectivum *universus* revocantes vel ex *univorse* vel ex *unovorse* hunc in modum decurtatum esse putabant, quod utrumque futtile esse argumentis grammaticis usus Solmsen (p. 66/7) coarguit. Idem recte monuit ne significationem *universe* quidem satisfacere, id quod minus clare ex versu Pacuviano (*occidisti, ut multa paucis verba unose obnuntiem*) quam ex

[1] Cf. 'Studien zur lat. Lautgeschichte' p. 197 adn.

altero loco Plaut. Most. 607 *Nescit quicquam nisi faenus fabularier* | *Unose* cognoscitur; itaque cum Studemundo ad numerale referendum et vertendum esse: 'in einem Zuge, einzig und allein'. Minus recte Studemundo Schönwerth-Weyman[1] oblocuti sunt, quod a nullis aliis numeralibus adiectiva in *-osus* derivata essent. Quid? eadem ratiocinatione confisus nonne aliquis pronuntiet *unice* non ab uno profectum esse? Minime vero mirum mihi videtur ceteros numeros talibus formis egere. Nam quoniam nullus alius in usu cotidiano maioris momenti est, nulli saepius insignis vis tribuenda est, necessario formae quaedam provenerunt, in quibus aliquid ponderis inerat, velut cum *unitas* iam non sufficere videretur, plenior forma *unalitas* (CGl. II 597) exstitit.

3. De pronominibus.

Primum oritur quaestio, admiserintne Pacuvius et Accius Plautinos acc. et abl. *med, ted* an iis, ut Terentio (Engelbrecht l. l. p. 75), abiudicandi sint. Ribbeck eos aliquotiens metri necessitate coactus posuit:

P 150 *Set med incertat dictio: quare expedi!*
P 248 *Pariter te esse erga illum video, ut illum ted erga scio,*
P 395 *Quid med obtutu terres, mulces laudibus?*
A 53 *Tum autem Aegisthus si med eodem lecto comitasset patri!*
A 372 . . . *modo tute ipse ted offirma et compara,*

sed res vacillare videtur, quia libri his locis raro consensu *me* et *te* habent. Neque tamen opus esse arbitror alia remedia illis versibus circumspicere. Nam licet parvi pendamus, si quis argumentum profert hos poetas in sermone magis a Plauto stare quam a Terentio, certo indicio declaratur Pacuvium in pronominibus saltem hic illic, ubi metro desiderabatur, illud *-d* retinuisse. Est enim v. 225 *Quid tandem? ubi ea est? quod receptast?* . ., ubi Mercerius *quo* emendavit. At Nonium hic genuinam formam servasse existimo, non quo consulto id fecisset, immo vero tritam illam coniunctionem esse ratus. Pari modo *quod* Most. 334 manus correctrices effugisse Ritschl[2] animadvertit. Quibus locis commendatur Bergkii sententia, qui (Phil. XIV 185) exponit in structuris *quod si, quod nisi, quod utinam, quod quia* illud *quod* non esse accusativum relationis, quo enuntiata copulentur, sed priscum ablativum, qui in patrium sermonem vertendus sit 'darum, demnach, somit' eumque servatum esse, quia iam non intellegeretur.

De reliquis pronominibus ut videamus, Pacuvio cum Plauto et

---

[1] 'Arch. f. lat. Lex.' V 202.
[2] 'Neue plautinische Exkurse' p. 57.

Terentio gen. *vestrorum* pro *vestri* (P 62) communis est[1] et Accio nom. *ipsus* (A 229); qui quod apud Pacuvium non exstat, casu factum esse quivis concedet. Ambigi vero potest, utrum hi cum Terentio *eumpse*, *eopse* repudiaverint necne. Unicus locus, quo *eumpse* legimus P 39 *illum eumpse lapidem, qui ipsa icta est, petit* auctoritate codicum destitutus est, qui *cum ipsum* praebent. Quod tolerari non posse patet. Nulla autem emendatio promptior est quam *eumpse*. Atque Neue (II³ 404) exemplum adfert, unde exspectatione melius cognoscitur, quemadmodum *eumpse* librariorum opera gradatim depravatum sit: Plaut. Persa 603 *eumse* exhibet A, *eum ipse* BCD, *eum ipsum* F. Minus firmum documentum est iunctura *reapse* (P 26, 374); nam ex *re eapse* adeo coaluit, ut etiam Ciceronis aetate adverbii instar usurparetur. Ribbeck perperam separavit *re apse* et formam *apse* (Coroll. tr. p. XXXVIII) veteri Latinitati vindicavit; quam ne in tertia quidem editione removit, etsi eum Leo[2] refutavit. Huius argumentationi addendum est Festi loco (p. 286 M., 402 Th.) tantummodo in lemmate legi *reque apse*, in verbis Scipionis Africani allatis et Pauli excerptis veram formam *reque eapse* libros exhibere. Ceterum hic Bentleianum illud: 'ratio centum codicibus potior' adhibendum erat. Quare statuere possumus Pacuvium in hac quoque re a Plauto stare idque eo magis licebit, cum alio loco vel illo fidelior antistes sermonis prisci appareat formam *sapsa* (v. 324) propagans ab avunculo traditam (Ann. 430 V.²). Quod pronomen Holtze p. 36 vim solam respiciens ex *se ipsa* coagmentatum esse censuit; at id ductum esse a stirpe *so, quam idem fere valere atque *is* et articulo Graeco respondere Sommer[3] explicat, per Festum edoceri potuit (325 M., 476 Th.): *sas Verrius putat significare eas . . . idem cum ait sapsam pro ipsa.* — Praeterea Pacuvius nominativum plur. *is*, qui eius aetate prope evanuerat[4], in hoc versu posuit:

221 *ques sunt is? Ignoti nescio ques ignobiles*,

si Charisii codici fides est habenda (GL. I, p. 133, 4). Aliquid dubitationis enim datur, quia altero loco (GL. I, p. 91, 19) idem versus omisso *is* repetitur (an in librarios culpa conferenda est?) et Priscianus GL. III 9, 16 *ques sunt isti?* exaravit. Si vero locos perpendimus, statim verum effulget. Priore Charisii loco, quoniam de declinatione pronominis *is* agitur, in exemplis adscriptis aliqua huius pronominis forma inesse debet, altero de nominativo *ques* exponitur ibique vocula, quae nihil ad rem faciebat,

[1] Neue II³ 359/60.

[2] Mus. Rhen. XXXVIII 8, adn. 5.

[3] 'Handbuch' p. 461.

[4] Nam nisi in titulis ibique antiquiore orthographia *eis*, *eeis*, *ieis* (Neue II³ 383) nusquam exstat.

neglegentia facillime praeteriri potuit. Insuper post *ques sunt* in libris aliquid fuisse Priscianus indicat, cuius *isti* grammaticorum intempestivas emendationes resipit. Iniuria igitur me iudice Lindsay (p. 504) locum valde suspectum duxit. Plurali *is* probato haud scio an Pacuvius usum comicorum, qui ante vocales *hisce, illisce*, ante consonantes *hi, illi* usurpabant, recepisse putandus sit, etsi exempla desunt. Semel ante consonantes exstat P 194 *sed hi cluentur hospitum infidissimi,* ubi codices *haec* exhibent; L. Mueller *heic* restituit, cui coniecturae nihil favet, nisi quod pluralis *hic* Ennianus est (Ann. 436 V.[2] *hic insidiantes vigilant*). Multo difficilius de Accio diiudicari potest; formis *hisce*, *illisce* abstinuisse videtur, cf. v. 473 *macte his armis*; sed minus grave argumentum est, nam dativum ne comici quidem ante vocalem semper illa syllaba *-ce* auxerunt (Neue II[3] 419). Neque eum ausim cum Ribbeckio in v. 212 *em* (= eum) scribentem facere; etenim libri, qui valde discrepant, in hac re consentiunt, vocem initio versus positam a *qu* littera incipere. Religiosius igitur codices secuti *quondam* (CFW. Mueller) scribemus. Id nescio quid frigidi habere Ribbeckio (in Coroll. p. LIII) libenter concedo, at elegantissimum quidque non semper verissimum. — Formae pronominis *iste* praeter genetivum in singulari *-c* instructae apparent: P 58, A 299 *istuc*, P 228 *istunc* (P 61, 236, A 234 *istam*), P 354, 364 *istoc*; pluralis neutr. *istaec* ex coniectura probabiliter positus est P 202, A 623. Genetivum *isti modi* pro codicum lectione *istius modi* Ribbeck A 136 restituit. Vocem hic bisyllabam esse numeris indicatur[1]; neque vero opus est *isti* scribere, etsi nonnunquam etiam in libris haec forma invenitur. Nam, ut voces aliter scriberentur atque pronuntiarentur, compluries evenit, velut in Skutschianis illis *nempe, unde, inde, quippe.* Ceterum genetivum *isti modi* ex *isti(u)s modi* natum, non ad analogiam II. declin. referendum esse Luchs (ibid. p. 330) suo iure contendit ad quattuor locos nos delegans, ubi hae formae cum substantivis fem. generis consociatae sunt.

Deinde antiquitatem redolent P 238 *eccum* et P 107, A 69 *eccos.* Quas formas ex interiectione *ecce* et **hum,* **ham* coaluisse Stowasser[2] perspexit.

Porro nobis subsistendum est in forma *mias*, quam Ribbeck Bue-

---

[1] Similes locos Plautinos Terentianosque Augustus Luchs in Studemundi *Studiis in priscos script. Lat.* collatis I 2, p. 366—371 collegit.

[2] 'Eine zweite Reihe dunkler Wörter' p. 17. Unicus plur. *ecca* Rud. 1154 repugnat; qui scrupulus facile eximitur. Origine enim iam oblitterata *ecce* accusativum *eccum* formare videbatur aeque atque *ille illum*; ad eius igitur exemplum declinabatur. Re vera illis temporibus homines compositionem non sensisse demonstratur locis ut Ter. Haut. 829 *Ubi Clitipho hic est?* || *'Eccum me' inque.*

chelero auctore P 200 introduxit: *Neu reliquias quaeso mias sireis denudatis ossibus . . . divexarier*[1]. Quam dixerit quispiam analogiae deberi cum accusativus *mias* ex ablativo *mieis* (CIL. I 38), ubi *i* legitimum est, quia *e* sequente *i* vel *ei* in *i* abibat, profectus sit, sed ratio non constat. Thurneysen[2] in titulis discrimen accurate observari atque in omnibus, qui liberae rei publicae temporibus confecti essent, *mea, meae, meas* scribi animadvertit; nominativum *mius*, quem Velius Longus (GL. VII 77, 12) antiquis adscribit, collato Charisio (GL. I 159, 17) a grammatico quodam confictum evinci, unde vocativus *mi* posset derivari; femininum autem *mia*, quod ex recentioribus linguis a Latina oriundis concludi posset, certe demum Caesarum aetate provenisse. Sequitur, ut *mias* a Pacuvio alienum sit. Evidentem emendationem *reliquias semustas sireis* Vahlen iam pridem propositam denuo (in indice lect. Berol. a. 1903/4, p. 12 sqq.) scite defendit. — Contra Lachmann (in comment. ad Lucr. VI 755) iniuria de nominativo *suapte* (A 492) dubitavit soli ablativo suffixum *-pte* tribuens, nam alibi quoque etsi raro nominativo *-pte* adiunctum est (Neue II³ 374).

Ad pronomina interrogativa et relativa ut nos convertamus, *quis* ut Graecum *τίς* pro genere fem. occurrit P 239 *Quis tu es, mulier, . .?*; quo usu et Terentius abstinebat (Neue II³ 442) et, ut videtur, Accius (86 *quaenam haec est mulier*). Nominativus pluralis *ques* interrogative et indefinite adhibetur P 221 *ques sunt is?* — *Nescio ques ignobiles*; accedit A 477 *quesdam*. — Dativus plur. *quis*, quem comici perraro admittunt (Plaut. bis, Ter. semel, Neue II³ 469), exstat P 212. Ablativus *qui* relative positus est P 25, 39, adverbii vice fungitur P 61, A 103, 201, 309. Memorabilis est sola iunctura *qui pacto* (P 286). Quam Otto Kienitz[3] damnat, quia nusquam *qui* adiectivi locum obtinet. Atque profecto defendi non potest, nisi sumimus, cum *qui* et *quo pacto* promiscue in usu fuerint, contaminatione *qui pacto* ortum esse. Id fieri potuisse nemo infitiabitur, quamquam libri alibi praeter Mil. glor. 965 (*quid* B¹CD¹, *qui* B ex ras. D³, *quo* FZ) semper *quo pacto* praebent. — Nominativus *cuiatis* legitur A 625, contra A 21 potius genetivus est.

Sensim ad adverbia pronominalia delapsi sumus. Ex his ab optimorum scriptorum usu recedunt:

A 292 *eaque ivi hoc* (= huc) *causa. Hoc* verbis, quibus motus exprimitur, additum et priscae Latinitatis et sermonis familiaris proprium

---

[1] Libri: *reliquias semiassi reis* vel *semiassis reis (regis)*.

[2] 'Kuhns Zeitschrift' XXX 499.

[3] In disputatione *De 'qui' localis modalis apud priscos script. usu* (Supplem. ann. nov. phil. X 549).

fuisse, sed ab urbanitate exclusum esse Woelfflin[1] exposuit. — A 486 *Aut ego illim eripiam aut illi poenas sufferam.* Libri habent *illum*, quod Ribbeck in Historia trag. Rom. (p. 366), cum argumentum Nyctegresiae adumbrans falsum cognovisset, correxit simul *illi* adverbium esse bene interpretatus. Lectionem traditam eo offensionem movere, quod neque Ulixem neque Diomedem confirmare deceat, si res secus caderet, se poenas soluturum esse. Cui eo libentius adsentior, quod *illum*, si genuinum esset, tantummodo de Rheso accipi posset. At Graeci non id agebant, ut Rhesum caperent, sed ut eius equis potirentur, quibus abductis demum ex oraculi responso Troia expugnari poterat.

4. De verbis.

Prolixiorem materiam, quae in hoc caput conferenda est, rursus ita disponam, ut prius de verborum copia et delectu, tum de formarum varietate agam.

Verba, quae priscorum tragicorum principes, de quibus agitur, novaverunt, reliqui autem scriptores non usurpabant, haec sunt:

A pr. 14 *adauctare*;

P 339 *amplare* = amplificare. Verbum postea interiit, quia, ut Woelfflin[2] bene exposuit, cum verbo ampliandi confundebatur, cuius priva notio est 'in aliud tempus differre'. Mansit solum in glossis (CGl. II 469) ὑψῶ *alto, amplo, exalto*;

A 26, 338 *fragescere* = frangi[3];

A pr. 9 *ignavavit* (Buecheler, libri: *ignavit*);

P 276 *lapit* (*lapit cor cura, aerumna corpus conficit*) = 'dolore afficit' Paul. ex Fest. (118 M., 84 Th.). Vossius verbum intransitive dictum idem significare atque *lapidescere* putavit. Id vel eo reprobatur, quod *cura* chiasmo nominativus evincitur. Sed omnino nullam adfinitatem inter lapidem et hoc verbum intercedere Conway[4] vidit, immo ad stirpem *dap-* (cf. δάπτω, damnum, dapinare) pertinere. Quod *l* pro *d* se insinuavisset, eo declarari vocem ex dialecto quadam — fortasse Sabina, ubi eadem vicissitudo saepius observatur, — adscitam esse. Quare vereor verbum cum Stolzio[5] et lexicis IV. coniugationi tribuere;

P 139 *matrescere* (*Utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem ulcisci queam*). CFW. Mueller[6], cui Sittl (l. l. p. 486) adstipulatur,

[1] 'Arch. f. lat. Lex.' VII 332.
[2] 'Arch. f. lat. Lex.' VIII 412.
[3] Hoc verbum in Sittli disputatione *De linguae Lat. verbis incohativis* ('Arch. f. lat. Lex.' I 465 seqq.) omissum est.
[4] 'Indogerm. Forschungen' II 165.
[5] 'Handbuch' p. 113.
[6] 'Plautinische Prosodie' p. 375.

vocabuli *patrissare*, quo comici utuntur, memor *matrissem* emendari iubet, quod *matrescam* idem sit ac *mater fiam*, sententia autem verbum desideretur, quod significet *matris similis fiam*. Quae distinctio mihi subtilior videtur, quam ut ea confisus coniecturam audeam. Si Pacuvius scripsisset: *Utinam nunc ingenio mater fiam*, quis quaeso dubitet, quin intellegendum sit: *utinam nunc saevum matris ingenium induam?* Atque ne notio novi verbi minus clara esset, poeta addito *ingenio* consuluit. Quo loco antiquissimum certum exemplum verbi incohativi a substantivo derivati agnoscere debemus. Cui rei observatio bene convenit, quam Sittl (l. l. p. 483) profert, ante Ciceronis aetatem in cotidiano sermone nulla incohativa ex adiectivis ducta pervulgata fuisse, nisi quod in sublimiore tragicorum et Sisennae genere dicendi aliquot occurrerent. Talia verba solitaria sunt: A 274 *celebrescere*, A 440 *pergrandescere*, A 163 *sanctescere*, A 600 *vastescere*, quibus fortasse adnumerandum est P 107 *certiscere*, quod viri docti ex Non. p. 89, 20 *certissant* = *certa fiant* recuperaverunt;

A 122, 134 *mertare* = mersare, cf. Quint. Inst. or. I 4, 14 *haec ipsa s littera ab his nominibus exclusa in quibusdam ipsa alteri successit; nam 'mertare' atque 'pultare' dicebant;*

A 421 *orbificare;*

P 48 *praegradare*, recentior origo ipso *a* non in *e* mutato indicatur;

P 324 *restibilire;*

A 568 *succussare;*

A 575 *suppare* = supinare, cf. Fest. (290 M., 410 Th.) *suppum antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus;*

P 303 *taetrare;*

A 271 *vallebant* = peribant, quam codicum lectionem confirmari Pauli excerptis Ribbeck vidit, ubi haec glossa exstat (377 M., 577 Th.): *vallesit perierit, dictum a vallo militari, quod fit circa castra, quod qui eo eiciuntur, pro perditis habentur.* Buecheleri coniectura *avellebant* levissima quidem est, sed locutio *pecua avellere agris* displicet nec exemplo comprobatur.

A 66 *vanare* (*vanans* = fallens).

Denique mentionem faciam compositi *disciscere* (A 626), quod Sittl (l. l. p. 471) Accio vindicabat (*Multa erogitantes sciscere* Mercer., Ribb.; libri: *ergitantes isciscere*, Harleianus m.[2] *e. disciscere*). Id metri causa non probo; nam ictu mediam syllabam dactylicae vocis vel clausulae feriente (*disciscére*) senarius excepto primo pede vitiosus fit.

Subiungam nunc conspectum eorum verborum, quae vel in prisca Latinitate sola vel inprimis apud scriptores, qui antiquum colorem adfectant, leguntur:

P 222 *abiugat* (Gloss.),
P 93, 195 *adiugat* (Col., Plin., Lact.),
A 442 *ancillans* (Titin., poster.),
P 118, 169, 309, 368, 373, 403, A 579 *autumare*[1],
P 227, 255 *baetere* (Plaut., Varro),
P 223 *bount* (Varro),
P 137, 240, 241, 396, A 382 *calvi* (lex XII tab., Plaut., Lucil.),
P 389 *cicurare* (Nigid.),
A 573 *clangente* (*cl. crepitu;* poster.),
P 185, A 212, 292, 535 *clepere* (Plaut., Varro, al.),
P 194, A 533 *cluere* (Plaut., Enn., poster.),
P 186 *clupeare*[2],
P 412 *conduplicare* (Com., Lucr.),
A 580 *congenerare* (= 'adiungere', proprie Varro, Col.),
A 598 *convisere* (Lucr., Cic. poet.),
A 604 *corporare* (= 'interficio', Enn.),
A 350 *defieri* (frequens in serm. fam.),
P 110 *deiugat,*
A 1 *delicare* (Com.),
A pr. 32 *deputare* (Com., post.),
A 301, 595 *expectorare* (Enn.),
A 140 *expergite* (Santra, Gell.),
P 142 *grandire* (Plaut., Cato, Varro),
P 345 *hostire* (Plaut., Enn.),
P 150 *incertare* (Plaut., Apul.),
P 130, A 41, 458 *incilare* (Lucil., Lucr.),
A 684 *labascere* (Plaut., Ter., Lucr.),
A 66, 414 *lactare* (Plaut., Ter.),
A 13 *maestare* (coni. Ribb.; Lab.),
P 377, 378, 380 *manticulari* (Apul.),
A 603 *nitidare* (Enn., Col.),
P 288 *perbitere* (Liv. Andr., Plaut., Enn.),
A 417 *pervixi* (Plaut. semel),
A 32 *pigrent* (Enn.),
P 67, A 286 *porcere* (Enn., Lucil., Varro),
P 341 *probitam* (ex coniect.),
P 340, A 56 *putret*[3],
P 106 *redamptruare* (Lucil.; v. p. 150),
A 92, fg. 12 B. *redhostire* (Naev.),
P 400 *repedare* (Lucil., post.),
A 441, 489 *ruspari* (Apul.),
P 275, 304 *senet,* A 612 *senent* (Catull.),
P 297, A pr. 6, 36 *verruncent* (Liv.).

Incomptum deinde antiquitatis stilum redolent verba simplicia collocata, ubi eruditior aetas compositum praetulit, velut P 168 *bellando aptus sum,* A 436 *advorsum aptus,* A 660 *colomen alte*[4] . . *aptum cornibus*; P 24 *de virtute . . cernundi do potestatem,* P 33 *iurati cernant,* A 326 *armis . . cernere*; A 21 *stirpem . . fligi,* A 317 *fligi socios*; P 47 *gradere*; P 111 *sed cesso inimicitiam integrare?* (cf. A 124); P 186 *currum liquit,* P 420 *liqui in Aegaeo fretu,* A 605 *anima corpus liquerit,* pr. 28 *linquier*; P 95 *saxum scandere*; A 484 *scindit oras . . flamma*; P 365 *solatur.*

Verba Graecanica Pacuvius duo introduxit: *paedagogare* (192) et *tiasare* (312). Accio Luc. Mueller *goerare* (= gyrare) tribuit in frag-

[1] Cf. Quintil. VIII 3, 26 '*autumo*' *tragicum.*

[2] Solum participium *clipeatus* in usu mansit.

[3] Alibi non exstat, sed v. in sermone cotidiano semper mansisse demonstratur Francogallico verbo *pourrir,* cf. Meyer-Luebke 'Arch. f. lat. Lex.' VIII 315.

[4] Ita Ribbeck, (*in*) *quo lumen alte* Buecheler pro codd. lectione *c. ale* (*ala*); **colomenale* Thes. l. L. II 328, 50 recepit.

mento depravato (22 B.): *venas proscissas cossim goerare ordine* (libri *cossigerare*), sed Baehrens coll. Varr. R. r. I 29, 2 *tertio cum arant iacto semine boves lirare dicuntur, id est cum tabellis additis ad vomerem simul et satum frumentum operiunt in porcis et sulcant fossas* bene *lerare* (= lirare) emendavit.

Priusquam formas verborum perlustramus, de paucis verbis nobis agendum est, quae inusitata notione adhibita sunt vel esse videntur. Atque primum ex eis est *populare* P 79 (in Chryse) *Atque ut promeruit, pater mihi patriam populavit meam*, quod Nonius 39, 31 hoc modo interpretatur: '*populare' significat populi amorem conciliare; unde populares dicti de uno populo amici*, idque rectum esse Ribbeck (in Hist. trag. Rom. p. 253), Luc. Mueller (*De Pac. fab.* p. 21), Georges (in lexico) sibi persuaserunt. Equidem facere non possum, quin Nonium significatione ex loco, quem fortasse non evolverat, sed excerptum habebat, deducta errasse et hic quoque *populare* synonymum vastandi esse suspicer. Nulla enim re cogimur Orestem sic de Argivorum amore patriis meritis sibi conciliato gloriantem facere (ita Ribb. et L. Mueller argumentum repraesentabant). Quid si haec temptamus? Chryseidem filio, ut Orestem ex summo vitae discrimine servaret, ipsius genus aperuisse. Nihilo minus illum initio matri morigerari noluisse (cf. 111 *Set cesso inimicitiam integrare?*), cum inter alia moneret, Agamemnonem male de se meritum esse, cum suam patriam Troadem depopulatus esset; ita autem versus interpungendus videtur esse:

Atque ut promeruit! pater mihi patriam populavit meam!

Multa cum acerbitate patri patre indignum facinus obicitur. *Promeruit* autem in malam partem accipiendum est, cuius usus complura exempla Plautus praebet, velut

Amph. 570 *Quid mali sum, ere, tua ex re promeritus?*
ibid. 1142 *haud promeruit, quam ob rem vitio vorteres;*
Persa 280 *Male dicis maiori? || Prior promeritus perpetiare;*
Trin. 641 *Quid ais? nam retineri nequeo, quin dicam ea, quae promeres*[1]*;*
ibid. 1173 *Miserumst, male promerita, ut merita sunt, si ulcisci non licet.*

Ceterum si quis aliud quid proferet, dummodo Nonii interpretationem missam faciat, libenter cedemus. Casu fit, ut eadem verbi promerendi interpretatione loco, qui plerumque corruptus habetur, subveniatur. P 377 in codd. Festi (133 M., 100 Th.) ita legitur:

Ád manticulandum ástu adgreditur; scít enim quid proméruerit.

[1] Sequuntur opprobria.

En, integer septenarius est. Tamen Ribbeck diverbium constituens alteri parti vim intulit, cum suo periculo haec dedit: *scite nimquid prompserit?*, ubi illud *nimquid* vult 'numquid' valere. At ne in sententia quidem est, quod vituperes, dummodo apud Pacuvium *promerere* vocem mediam, quam dicunt, fuisse sumas. Videlicet de homine agitur, qui culpae alicuius sibi conscius, ne poenas pendat, dolum machinatur. Atque versus vix in aliam fabulam melius convenit quam in Chrysem, unde etiam 378 *Deinde adgrediar astu regem, ⟨nam⟩ manticulandum est mihi* excerptum esse puto. Orestem enim apud Pacuvium tempestate conflictatum rebus amissis in litus Taurorum eiectum esse conicere licet ex incertorum fg. v. 375:

Velut Orestes modo fuit rex, factust mendicus modo
Naufragio. Nempe ergo id factum Forte aut Fortuna obtigit?[1],

quam ad rem certum quoque Chrysis fragmentum spectare videtur 76/77 *Interea loci | Flucti flacciscunt, silescunt venti, mollitur mare.* Tum vero non satis fuit simulacrum deae furari, sed etiam rex sorori adeundus erat, ut dolo navem, qua fugerent, nanciscerentur. Hinc v. 378 explicatur et 379 *machinam ordiris novam.* Quae machina fortasse similis fuit ei, qua apud Euripidem Helena Theoclymenum decepit. Verba denique, a quibus profecti sumus (377), Thoantis esse possunt, qui Chrysi, cum fugientes exposcit, enarrat Iphigeniam non modo officio violato Orestem servasse, sed etiam subdole ad ipsum accessisse, ut simulacro rapto facultatem fugae pararet.

Promiscuus hic usus verbi promerendi, quem Pacuvio cum Plauto communem esse vidimus, sermonis plebei proprius videtur fuisse; nam a Terentio *promerere* et *commerere* accurate distingui Donatus docet[2].

Praeterea in Chryse explicatione egent v. 104—106:

promerenda[3] *gratia:*
Simul cum videam Graios nil mediocriter
Redamptruare opibusque summis persequi.

Quaeritur, qua vi *redamptruare* (*redantr.*) dictum sit. Festi interpretatione (p. 270 M., 370 Th.): *red. dicitur in Saliorum exultationibus: cum praesul amptruavit, quod est motus edidit, ei referuntur invicem idem motus*

[1] Versus in libris valde turbatus — in eo allato recensionem Marxii (Inc. auct. ad Herenn. II 36) secutus sum — sola scholiastae interpretatio, quam ob suspicionem Ribb. eum damnavit, esse non potest. Argumentum saltem tragoediae is, qui eum scripsit, novit.

[2] Ad Adelph. 201 (II 1, 47).

[3] Ita L. Mueller; Ribbeck *pro merenda.*

tenebrae non plane discutiuntur. Ribbeck (Hist. trag. Rom. p. 254) Chrysem haec per contemptum de supplicum Graecorum imploratione dixisse censet, sed clarius sententiam suam, quid esset *redamptruare*, explanavisset velim. Quantum eum adsequor, a vero mihi videtur aberravisse. Rectam viam monstravit L. Mueller (*De Pac. fab.* p. 21), qui bellum Troicum oblique tangi sensit. Fingere igitur licebit Chrysem tandem cum precibus matris tum consideratione flexum esse, quantum in discrimen rursus, si quid gravius in Orestem consuluisset, patriam adducturus esset, cum Graeci vel privatas iniurias publice idque non modice, sed ferro ignique ulciscerentur. Inde elucet *redamptruare* proprie dici eos, qui praesulis motus saltantes imitentur[1], translate, qui alteri facta eius sive bona sive mala pariter rependant. Quem translatum usum Festus ipse nosse videtur, cf. Paul. ex Fest. (p. 9 M., 7 Th.): *antroare, gratias referre*. Multo audacius deinde Pacuvius, si Ribbeckio fides habenda est, *antruare* pro repetendo posuit in Teucro v. 321:

Profusus gemitu, murmure 'occisti' antruat[2].

Quod ut legentibus aliquo modo persuaderet, Ribbeck non elaboravit. At verbum, quod tam mature plane interiit, iam tot diversas notiones habuisse vix credibile est, nisi Pacuvius ipse non bene scivit, quid valeret. Quamobrem aliud quid investigare iuvat. Extremae litterae apud Festum manifesto vitiatae sunt; id vero tenendum est post *occisti* vocem scriptam fuisse, quae a litteris *an* vel *au* incipit. Desideratur autem verbum dicendi, unde opinor *autumat* scribendum esse, quo verbo propter gravitatem Pacuvius saepe atque praecipue in clausula utitur (v. 118, 169, 368, 373, 403).

Sed ad Nonium revertamur. Is duobus locis in Duloreste v. 156:

Quo consilio consternatur, qua vi, cuius copiis?

et 284: *Consternare, anime, ex pectore aude*[3] *ecvolvere | Consilium* . . 'consternari' idem esse atque 'erigi' explicat. Id viris doctis minus placuit, quia 'sternere' et 'erigere' videntur contraria esse. L. Mueller quidem in editione Noniana priore loco *quo consilio consternetur* scripsit, postea (*De Pac. fab.* p. 26) indicativum quoque loco coniunctivi dubitativi retineri posse ratus est. At Pacuvius, nisi obscuritatem captavit, praesens vix hunc in modum ponere potuit; nam futuro opus erat. Idem alteri loco levissimam medelam paravit post *anime* interrogandi signo posito[4].

[1] Cf. Lucil. 320 (Marx., 282 L., IX 62 M.).

[2] Codd.: *Occistians rua*.

[3] Codd.: *hanc* (*hac*) *et volvere*.

[4] In Buecheleri coniectura: *Consternare, anime, ex pectore hanc evolvere | consilium subito, nisi quo dea nata est modo* (intellegi vult: 'mirare feminam consiliatricem,

Nihilo minus Nonium sequor; nam re vera 'consternari' interdum 'excitari' significare locutione *ad arma consternari*, quam Livius bis praebet, ostenditur. Videlicet notio sternendi paulatim in composito obscurata est, cum tantummodo translate de animi perturbationibus diceretur. Quod vero homines terrore perculsi vel ad audaciam, qua mente sobria abstinuissent, proni sunt, 'consternari' pro exagitando poni potuit.

Denique Pacuvium *blaterare*, cuius vulgaris notio est 'garrule inania verba fundere', paulo immutata vi adhibuisse Fulgentius auctor est. Verba eius sunt haec[1]: *Quid sit blatterare. Pacuvius in Seudone comedia inducit Sceparnum servum ancillae dicentem: „Ni ego te blatterantem aspicerem, his mintium iudicassem[2]"; blatterare enim quasi verba trepidantia metu balbutire dixerunt.* Quem locum satis memorabilem Ribbeck silentio praetermisit nusquam declarans, num eum propter scriptoris malam fidem nihil curaret. Atque profecto cavendum est, ne credulitatis crimine notemur. Nullus enim alius scriptor Pacuvium comoedias quoque scripsisse nos certiores facit et Fulgentius non ille quidem impudicus falsarius est, quem philologi inde a Lerschio arbitrabantur, sed tamen verba magistri in scribendo non secutus vel interdum parum intellegens multos et graves errores commisit[3]. Locum non temere confictum esse ipsum nomen Sceparni, quo Sceparnionis a Plauto in Rudente introducti commonemur, fidem facit. Praeterea explicatio tam apta est, ut Fulgentium de suo ingenio eam praestitisse non veri simile sit. Contra in titulo minima, vel ut rectius dicam, nulla auctoritas inest, cum haud raro ab eo confundantur, velut Poenuli versum Menaechmis, Mostellariae Epidico, Pseudoli Asinariae adscripsit (Helm l. l.). Sed titulus (fortasse *Σπεύδων*) minoris momenti est; summa quaestionis in eo posita est, num Pacuvii nomini confidere possimus. De hac re ut iudicium feramus, alterum fragmentum in discrimen vocemus, quod eidem Fulgentii libello debetur et a Ribbeckio item omissum est (p. 120, n. 33): *quid sint diovolares. Diobolares dicuntur vilissimae meretrices, quae sub parvo stipendio prostant . . . nam et Pacuvius similiter ait: Non ego ita fui, ut nunc sunt meretrices diobolae, quae suam nummi causa parvi pendunt gratiam.* Quod sine dubio ex comoedia promptum est, nam in tragoedia meretricibus nullus locus. At fortasse suppositicium est? Minime. En, ultimis verbis inde a *suam* senarius efficitur et,

nisi forte divinae sit originis'), etsi, quae tradita sunt, religiosissime servantur, non acquiescendum videtur. Melius, opinor, Lindsay: *C., a., ex pectore hanc exvolve rem, | consilium subito re quod e nata est modo.*

[1] In 'Expositione sermonum antiquorum' p. 115 editionis Helmianae 1898.

[2] Quod Plasberg correxit in *minutim vindicassem* vel *concidissem*.

[3] Luculenter id exposuit Helm in Mus. Rhen. LIV 113/4.

quod pluris est, *suam* positione neglecta pyrrhichium aequat. Legem autem illam, quae est de vocabulis iambicis correptis, iam Cicero videtur[1] ignoravisse, nedum Fulgentius. In antecedentibus quoque verbis senarium inesse admodum veri simile est, sed nisi urendo et secando non effingitur. Itaque sedem corruptelae quaeramus. *Diobolae quae* in iambis clausulam facere non potest et enuntiatum relativum, ut est in libris, nihil est nisi molesta appendix ad *meretrices diobolas* neque versus tot voces capit. Supervacaneum prorsus est vocabulum *meretrices;* quod si eiecerimus et *diobolae quae* transposuerimus, iam *diobolae* praedicative positum multo melius ad sententiam quadrabit et duos non illepidos hos senarios recuperabimus:

Non ego ita fui, ut nunc sunt, quae diobolae
Suam nummi causa parvi pendunt gratiam.

Vocabulum diobolarum mature in notitiam Romanorum venisse comprobatur Plaut. Pseud. 270 *servolorum sordidulorum scorta diobolaria* coll. Varrone de l. L. VII 64 et Paulo ex Fest. (74 M., 52 Th.). Comoediam quoque Naevii quandam *Diobolariam* inscriptam fuisse Fulgentius (p. 121, n. 43 Helm) testatur, cuius de titulo vix dubitabimus. Utrumque igitur fragmentum, quod attuli, re vera aetatis Plautinae vel Terentianae esse arbitror; recte Pacuvio adsignata esse non pari confidentia contendam. Neque ex contrario Fulgentium id ementitum esse pro certo habeo. In allatis titulis, ut supra vidimus, aliquotiens erravit, in scriptorum nominibus, quantum ex libris eorum servatis explorare possumus, in hoc libello nunquam. Qua comparatione instituta[2] invenimus Plautum ab eo quindecies recte nominatum esse, Apuleium ter, Vergilium bis, Martianum Capellam et Lucanum semel. Accedit, ut vix ullum nomen poetae comici illius aetatis memoriae proditum sit, quocum Pacuvii facile confunderetur, et idem error bis diversis locis statuendus sit. Utcumque res se habet, certe Ribbeck, etsi permultum dubitationis relinquitur, haec fragmenta silentio premere non debuit; inter incerta incertorum fragmenta comica saltem recipienda erant. Quandoquidem disiecta membra poetae conquirimus, tertium locum, quem Fulgentius praebet, addamus (p. 125, n. 57): *Quid sit luteum. Luteum dicitur splendidum, unde et Pacuvius in tragoedia Tiestis ait: Non illic luteis aurora biiugis.* Fortasse aliquis hic Fulgentium in errore deprehendi censet, quod *biiugus* vox recentior sit[3]. At id nequaquam certum est, immo, cum Ennius (Trg. 92 R., 102 V.[2]): *Vidi .. Hectorem curru quadriiugo*

[1] Skutsch, Phil. LIX 484.
[2] V. edit. Helmianam, ubi infra textum loci adnotantur.
[3] Stolz, 'Histor. Gramm.' I 143 '*biiugus* und *-is* sind spätere Neubildungen'.

raptarier scripserit, vel *biiugae* (pro bigis) a prisca tragoedia vix abiudicandae sunt. *Lutea* epitheton ornans Aurorae est et apud Ovidium et apud Vergilium (velut Aen. VII 26 *Aurora in roseis fulgebat lutea bigis*). Hoc quoque fragmentum genuinum esse probabile est; utrum vero recte Pacuvii nomen in fronte gerat isque fabulam Thyestis composuerit an id Enniano Thyesti inserendum sit an in titulo error lateat, aliis subsidiis destituti disceptare non possumus.

Tempus est Fulgentio relicto ad Accium properare. Solitarius locus est v. 34/5:

Pectore incohatum fulmen flammam ostentabat Iovis.

Ribbeck, cum in Coroll. p. L haec adnotat: „Nolui sacrorum verbum '*incohatum*' turbare. Nam ut Aeneas apud Verg. Aen. VI 252 *nocturnas incohat aras,* h. e. exstruit atque incendit, sic fulmen quasi focum in pectore impositum flammam excitare excitatamque ostendere intellego", nimium pondus loco Vergiliano adsignare mihi videtur. Ita interpretandum esse nego; nam narrationi nuntii cuiusdam tam tumida dictio non conveniret, immo *incohare* synonymum infigendi olim fuisse suspicor. Quam ad notionem ducimur sive eius originem, ut Thurneysen[1] fecit, a *coho*, i. e. foramine in medio iugo, in quod temo inseritur (cf. Varronem de l. L. V 135, Paulum ex Fest. 39 M., 28 Th.), repetimus sive cum Planta[2] ad Oscum *kahad* (in titulo Osco apud eundem II 128, 6, 6, 8), quod *capiat* valet, trahimus. Ad Plantam si nos applicamus, *incohare* eodem modo ad solam significationem ordiendi postea redactum est atque *incipere* et Accius loco, de quo agitur, vetustiorem eamque latiorem (= pectore conceptum) retinuisse putandus est; Thurneysenum si sequimur, id quod equidem praefero, eandem translationem habemus, qua Euripides (Herc. fur. 179) dixit: *Γίγασι πλευροῖς πτήν' ἐναρμόσας βέλη* vel (Phoeniss. 1412/3) *δι' ὀμφαλοῦ | καθῆκεν ἔγχος σφονδύλοις τ' ἐνήρμοσεν.*

Dedicare in A 78 *At vereor, cum te esse Alcimeonis fratrem factis dedicat* significat 'declarare', velut apud Lucr. I 422 *corpus enim per se communis dedicat esse | sensus* (cf. 367) et III 208 *haec quoque res etiam naturam dedicat eius;* praeterea apud Vitruv. I 7, 1.

Mactare sollemnem notionem honorandi habet A fg. 10 B.: *patera Nestorem mactavit aurea*, immolandi P 289: *coniugem macto inferis.* Simpliciter 'caedere, necare' valet A 52: *Quod utinam me suis arquitene(n)s telis mactasset dea!*, unde non ita longe distat A 126 *qui aut*

---

[1] 'Kuhns Zeitschr.' XXVIII 156.

[2] 'Grammatik der oskisch-umbrischen Dialekte' I 283/4.

illorum copias | *Fundam in campo aut navis uram aut castra mactabo in mare*, ubi insolito usu viri docti ad emendationem provocati sunt. Madvigius quidem (*Adv. crit.* II 663) *castra iactabo in mare* temptavit idque L. Mueller, quo magis ad libros se applicaret, mutavit in *castram iactabo in mare* coll. A pr. 16; at *castra* quin apud Accium generis feminini fuerint, dubium esse supra exposui. Tamen Muelleri sententiam Hey[1] ut unice veram collaudat. Quis vero coniecturam quamvis speciosam tulerit, si, quae tradita sunt, explicari possunt? *Mactare* pervetustum vocabulum esse, quod mature varie usurpabatur, Hey[2] egregie illustravit, unum tamen omittens translate id non solum addito ablativo *malo, damno, infortunio, cruciatu,* al. adhibitum esse, verum etiam absolute dictum valere 'perdere, delere', velut Rud. 96 *Si sapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum.* Quae significatio satis bene quadrat ad Accii locum[3], quem converto 'das Lager vertilgen in die See hinein'. Neque structura *mactabo in mare* reicienda est, cf. Verg. Aen. XII 214 *in flammam iugulant pecudes;* praeterea apud Graecos frequens est talis locutio, ut apud poetas cf. Hom. λ 35/6 *μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα* | *ἐς βόθρον,* Aeschyl. Sept. 43 *ταυροσφαγοῦντες ἐς μελανδετὸν σάκος,* Eurip. Cycl. 398 *ἔσφαζ' ἑταίρων . . . τὸν μὲν λέβητος εἰς κύτος,* Phoen. 1009 sq. *ἀλλ' εἶμι καὶ στὰς ἐξ ἐπάλξεων ἄκρων,* | *σφάξας ἐμαυτὸν σηκὸν ἐς μελαμβαθῆ* | *δράκοντος . . . ἐλευθερώσω γαῖαν,* ita apud Herodotum (III 11, IV 62, V 5, VII 113, VIII 127) et Xenophontem (An. II 2, 9, IV 3, 17).

Singulari deinde notione verbum *adulandi*, quod primitus de canibus blande ad homines se applicantibus dicitur, instructum est A v. 390 *sublime avolans* | *Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem*, ubi valet 'caudae motu sanguinem abstergere, ut vulnus consanescat'. Verba Aeschylea a poeta hoc modo expressa esse ex Ciceronis Tusc. II 24 apparet, ubi is eodem versiculo tamquam suo utitur, sed insolentia dictionis satis demonstratur eum in convertendo nonnulla ab Accio mutuatum esse.

Paulo progressi in v. 403—406:

Sicut lascivi atque alacres rostris perfremunt
Delphini, item alto mulcta Silvani melo
Consimilem ad auris cantum et auditum refert

commorari liceat. *Rostris perfremunt* proprie dictum hic significat: 'mare persulcantes fremitum excitant'; proxima verba *item alto mulcta* non in codicibus exstant, sed Ribbeck ea pro Ciceronis *item alia multa*

[1] 'Arch. f. lat. Lex.' IX 217 in adn.

[2] l. l. XIII 223/4.

[3] Nonius explicatione *mactare, praecipitare* ex versu videlicet ducta non male sententiam expressit.

scripsit collato Ennii versu (Ann. 225 V.[2]) *mulserat huc navem compulsam fluctibus pontus* ita interpretatus (Coroll. p. LVIII): *fluctibus, dum procedit, leniter tacta atque impulsa.* Quae ratio mihi claudicare videtur. Primum enim notio mulcendi nimis extenditur neque id Enniano exemplo excusatur, ubi *compulsam fluctibus* adiectum est; deinde comparatio non apte expressa esset. Nam delphinus et navis hactenus comparari possunt, quod et ille et haec rostro viam sibi per aquas facit; ut vero Ribbeck verba constituit, rostris delphinorum altum respondet. Atque eo libentius veterem opinionem, qua *item alia multa* Ciceronis ipsius verba habebantur, retinebimus, quod eam nuper Otto Plasberg in *Vindiciis Tullianis*[1] felicissime defendit.

Denique valde suspectum est verbum *frigendi,* de quo Nonius p. 308, 9 haec proponit: *'frigit' correpta prima syllaba significat 'erigit'* duo exempla ex Accii Meleagro sumpta subiungens: A 443 *frigit saetas rubore ex oculis fulgens flammeo* et A 461 *frigit fricantem corpus saxum* (cod. *acuum*) *occulte abstruso in flumine.* Buecheler quondam hoc verbum mero Nonii errori tribuit et Ribbeck ipse fatetur (Coroll. p. LIX): 'vix me continui, quin subscriberem'. Nihilo minus se emendationem (v. 443) *erigit* probare posse negat propter Graecarum locutionum φρίσσειν τρίχας, χαίτην similitudinem, *quae ab audaciore poeta transferri fortasse in Latinos versus posset, ita ut 'frigere' illud tam intransitiva quam transitiva vi modo horrere vel excitari, modo excitare horrore vel horrentem facere significaret, ab illo autem frigendi verbo, quod a frigore ductum est, et primae syllabae prosodia et flexionis diversitate discerneretur.* Sed quoniam nullo alio exemplo tanta licentia probatur, potius librarium lapsum calami commisisse (F pro E) suspicor, praesertim cum altero loco v. 461 omnes hae artes collabefactentur. 'Saxum corpus fricantem horrentem facit' vix quisquam accipiet, nisi forte de loco desperaverit; *erigit,* quod Ribbeck antea temptavit, non melius est; *frigit fricatque corpus atrum occulte abstruso in flumine,* ut vir doctus apud Vossium nodum solvit, obscurum. Quaeritur, quid sit *frigit.* L. Mueller huius viri docti lectione recepta in adnotatione editionis Nonianae scribit: *de apro interfecto agi apparet.* Qui id accipiendum sit, non adsequor. An Mueller Meleagrum vel alium quem corpus interfecti apri fricantem facit? Tum *occulte abstruso in flumine* minime quadrat. Ad aprum spectare versum non nego, at non de interfecto, sed de vivo agitur! Is in remotissima regione occulte in fluminis harundinetis *corpus fricat* (cf. Verg. Georg. III 255/6: *Sabellicus . . . sus . . fricat arbore*

---

[1] 'Festschrift Johannes Vahlen zum 70. Geburtstag gewidmet von seinen Schülern' 1900, p. 221 sqq.

costas), unde a venatoribus excitatur. Fusius apri lustrum Ovidius describit Metam. VIII 334—337:

Concava vallis erat, quo se demittere rivi
adsuerunt pluvialis aquae; tenet ima lacunae
lenta salix ulvaeque leves iuncique palustres
viminaque et longa parvae sub harundine cannae:
hinc aper excitus . .

Reliquum est, ut *frigit* corrigamus, licet allitteratione defendi videatur. Quam ex parte turbans versum ita restituere audeo:

fligit fricantem corpus ⟨*s*⟩*aevum*[1] *occulte abstruso in flumine.*

Subiectum esse potest Atalanta, quam apri iram excitasse primam eum vulnerantem scimus. *Fligere* apud Livium Andronicum invenimus (v. 12) et verbum Accianum est (v. 22, 317). Quod si rectum est — et commendatur vel eo, quod omnia proxime ad scripturam traditam accedunt — Nonius solam ob explicationem reprehendendus est; verbum sine dubio iam in eius libris propter similitudinem soni, quae inter *fligit* et *fricantem* intercedit, vitiatum erat. Utroque igitur loco verbum frigendi spurium esse existimamus. Contra apud Afranium v. 247 *neptis porro de lecto frigit* recte se habet, cum verbum primarium sit, unde *friguttire* derivatum est. Altius autem de eo inquirere non nostra provincia videtur esse.

Longius digressi sumus, sed opinor fuit tanti; nunc formas tractare aggrediamur. Ut in substantivis et adiectivis, ita in verbis priscis scriptores ubertate quadam formarum delectabantur, quam posterior aetas studiis grammaticis imbuta coercuit. Multo plura igitur quam in lingua adulta modo huic, modo illi coniugationi admiscentur. Cuius rei exempla sunt haec: P 223 (colles resonantes) *bount* = boant, III. coniugationem hic fortasse praetulit, quod ita strepitus melius onomatopoetice, ut aiunt, depingitur; P 416, A 450, 483 *fervit,* A 2 *fervat*, 631 *fervĕre* (Plaut. ubique, Terent. 'sat raro' formas III. coni. adhibet)[2]; P 10 *frendĕre,* P 11 *frendo*, A 478 *frendas*; P 229, A 251 *fulgĕre*; A 489 *iuve* = iuva (Mueller

[1] Ita dubitanter propono conferens Verg. Georg. III 248, Apul. Met. VIII 4. Sine dubio Ribbeckii *atrum* magis recedit a tradita scriptura *acuum.* Fortasse autem vel *corpus acuum* poetae concedendum est ('Nadel-, Stachelleib'); nam substantivum *acus* de saetis acutis et pungentibus non nimis insolenter dictum videtur; cf. ἀκάνθας, quas Graeci ἀκανθίωνι ('Stachelschwein') et erinaceo tribuunt. De variis rebus et instrumentis, quae *acus* nominantur, v. Thesaur. ling. Lat. s. v. Genetivus explicandus est ut apud Ovid. Met. XIV 64 *corpus quaerens femorum crurumque pedumque* (transl. Iustin. praef.: *veluti florum corpusculum*); similiter Graeci de parte corporis σῶμα non raro genetivo addito adhibent, velut Arist. Hist. animal. II 17, III 4.

[2] Engelbrecht, *Stud. Terent.* p. 44.

iuben) non multum auctoritatis habet, nam in lemmate non exstat, analogia lavandi autem infirmum adminiculum est. An Ribbeck versum mendosum A 108 *adiuvere dubitare* scribens non sanaverit dubito. At certum A 420 *lavere*, A 578 *lavit* (in fine senarii); P 217 *poti* = potiri (Priscianum fugit; docet enim GL. II 503, 2 *infinitum tamen secundum quartam semper invenitur*), A 590 *poteretur*[1]; P 214 *sonunt*, A 225, 470 *sonere*, A 570 *sonit*, P 114, A pr. 2 *resonit*, A 30 *resonunt*; A 285, 319 *optui*, 614 *intui*, P 6 *contuit* (ex coniect.; sed A pr. 26 *contueri*, A 538 *tueri*). Contra Ribbeckium male Palmerio duce A pr. 39 scripsisse *qui recte consulat, consul cluat* (libri: *consulciat*) Solmsen[2] vidit. In prisca enim Latinitate semper *clueo* usurpatur (P 194 *cluentur*, A 533 *cluet*), *cluo* Senecae demum temporibus recipiebatur. — Deinde imperfectum et futurum IV. coniugationis propter adfinitatem, qua cum I. et II. consociata sunt, secundum has interdum formabantur. Pertinent huc: A 630 *mollibat* (addi potest A 389 *aibant*); A 37 *scibam*, P 66, 281, A 490 *expedibo*, A 95 *ordibor*, A 74 *scibo*. Metri causa formae usitatae in exitu versus ponuntur: A 74 *audies*, 153 *audiet*.

Pariter atque coniugationes genera saepe fluctuabant. In nonnullis notione certa via praescripta erat, velut A 513 *et te ut triplici laetarem bono*, in aliis ad sententiam nihil rettulit, utra forma eligeretur; itaque postea aliquot deponentia facta sunt, quae antiquitas activa esse maluit, velut A 50 *adsentio*, A 476 *adsensit*; P 210 *altercas*; P 96, A 407 *aucupo*, A 165 *aucupant*; P 78 *augurat*, A 87 *augurem*, A 497 *auguro*; A 557 *contempla*; P 6 *contuit* (ex Vossii coniect.: *contulit* codd.); A 72 *cunctant*; P 166 *dignarent*, A 447 *dignari*; A 282 *largi* (imperat.); A 195 *miserarent*; P 181 *moraret* (A 173 *morari*); A 446 *muneravit*; P 101 *opino*; A 265 *partissent*; A 267 *pigrasse*, A 294 *pigrem*; P 79, A 164 *populavit*; P 71, 203 *rimarem*; P 298 *tuta* (A 168 *tutetur*); P 225, 302 *vagat*, A 236, 409, 441 *vagant* (*-ent*), A 643 *evagat*. — E contrario invenimus: P 98, 157 *adiutamini* (*-tatur*); P 194 *cluentur*; P 154, A 330 *fatiscar*. Nonius *certatur* quoque pro *certat* dictum existimavit P 25 *An quis est, qui te esse dignum, quicum certetur, putet?*, sed potius impersonaliter accipiendum esse recte Neue III[3] 30 adnotat.

His absolutis reconditiores quasdam formas enumeremus. Pervetusta sunt praesentia omissa nasali infixa, quae vocatur: P pr. 4 *nivit*, P 344 *tagit*; nam praeter *pacunt*, quod Quintil. Inst. or. I 6, 11 ex legg. XII tabularum adfert, evanuerunt. Ab eiusmodi forma ductum esse videtur Accianum *fragescere* (26, 338; = sensim frangi). Incertae originis

[1] Codd.: *potiretur*, cui metrum obstat.

[2] 'Stud. zur lat. Lautgesch.' p. 132.

est *danunt* (P 207), ad cuius exemplum complura verba terminationem *-nunt* adsumpserunt (Sommer l. l. p. 527). Optativum *duis* praebet Pac. v. 219. — Fortasse cum Muellero P 255 *bitite*[1] retinendum est (Ribb. *baetite*); etenim saepe in verbis, quorum composita frequentiora erant quam simplex, attenuata illorum vocalis iustam huius superavit[2]. — Porro de infinitivis in *-ier* exeuntibus videamus. Quos poetas scaenicos in fine frequenter, medio in versu perraro admisisse notum est. Id metrica ratione, non eo, quod clausula versuum receptaculum et refugium esset formarum, quae ab usu cotidiani sermonis iam intermissae erant, factum esse, Hauler in Phorm. praefatione p. 63 adn. bene monuit. Inde efficitur, ut soli fere infinitivi, quorum paenultima longa est, pleniore terminatione exornentur (Neue III³ 226; Pl. Men. 1006 *deripier*, Poen. 742 *egredier* medio in versu exstant). Habes igitur in ultimo pede: P 201 *divexarier*, 366 *enicarier*, 151 *interpretarier*, 288 *opitularier*; A pr. 23 *conitier*, 190 *obliscier*, 647 *utier*, 395 *volvier*; at in eadem sede: P 128 *confici*, 327 *ingredi*, 222 *loqui*, 217 *poti*, A 317 *contegi*, A 37, 474, pr. 24 *dari*, 184 *egredi*, pr. 21 *elegi*, 285, 319 *obtui*, 396 *rapi*. Intra versum semel legitur (A pr. 28) *linquier*; itaque coniectura *capier* P 410 probari potest. Eidem regulae obnoxium est *siem* et *sim*. Ultimo loco plena forma exstat P 12, 17, A 19, 310; imminuta ceteris P 35, 62, A 114, 280, 305, 342. Neque vero, si quo loco libris consentientibus contrarium evenit, hae formae furca expellendae sunt, velut G. Hermann clausulam P 369 . . *instabilisque sit* non recte in *instabilis siet* mutavit. Deinde, cum utraque alterius personae praesentis passivi forma apud Pacuvium inveniatur: 184 *amolire* et 379 *ordiris*, eum potius Plauti usum, qui quidem plerumque terminationem *-re* adhibuit, neque tamen *-ris* fugit, secutum esse arbitror, quam Terentii, apud quem *-re* solum regnat (praeter Hec. 317, Neue III³ 202 seqq.).

Aoristi vestigia manserunt in coniunctivis P 116 *fuat*, 165 *tagam*, 227 *attigam*, A 102 *tulat* (Sommer l. l. p. 561). Ad idem tempus *-s* ope formatum Sommer (p. 621) coniunctivum *moneris, -int,* qui Pacuvii[3] proprius est (v. 30, 112), sagaciter revocat. Sed non plane solitaria forma est; eodem modo Ennii *adiūvero* (Ann. 335 V.²), Plauti *adiūverit* (Rud. 305) explicandum est. — Hic coniunctivi quoque (futuri II. notione instructi) et optativi aoristi in *-so* (*-sso*) et *-sim* (*-ssim*) terminati inserendi sunt. Occurrunt nobis hi: P 325 *accepso,* A 147 *ausis,* P 112 *averruncassint,* P 297 *axim,* A 454 *capsit,* P 123 *faxis,* P 424, A 556

---

[1] Libri levi errore *bibite* exhibent.

[2] Exempla praebet Osthoff, 'Morphologische Untersuchungen' IV 2, adn. 3.

[3] Lucilius 653 (Marx., 541 L., XXVI 35 M.) eundem versum per ludibrium adhibuisse videtur.

faxit, P 123 *turpassis*. Itidem natum esse *sirim* (P 200 *sireis*) Solmsen (l. l. p. 179) perspexit. — Miram adsimulationem in tali forma sibi indulsit Accius v. 293:

Qui, nisi genitorem ullo, nullum meis dat finem miseriis,

quem Nonius sub lemmate *ullo pro ultus fuero* adfert. Ex **ulc-so* (Ennius quoque in Trag. 134 Ribb., 147 V.[2] active dixit *ulciscerem*) solum oriri potuit *ulso*, ut ex *mulc-si mulsi*, idque Vossius restituit. Nihilo minus poetam inauditam formam ausum esse crediderim, ut 'sono verba diversa concinerent'[1]. Praeterea ut in hanc legem grammaticam ei, ut res fert, ignotam peccaret, exemplo verbi vellendi induci potuit, quod in perfecto et *velli* et *vulsi* facit.

A formis velut *averruncassim* comicos vel infinitivos derivasse notum est; ex tragicis solus Pacuvius semel *averruncassere* (v. 236) ausus est: videlicet sublimitati tragoediae tales infinitivi non conveniebant. Num huic aoristo aggregandum sit *essis* A pr. 16 (*optume essis meritus a nobis*), incertum est. Sententiae neque coniunctivus neque futurum satisfacit, indicativus praesentis desideratur ob eamque causam Bothii *escis* repudiandum est; nam incohativum *esco* futurum aequat, v. Festum p. 302 (M., 434 Th.) '*superescit*' *significat* '*supererit*' (A 266) neque forma *adessint* CIL. I 198, 63 gravis testis est; errore enim fabrili pro *adessent* exarari potuit (Lindsay p. 536). Simplicem emendationem *es sic* Buecheleri acumen praestitit. — Huc deferendum est eodem modo formatum *adpetissis* A 160/1: *Cur vetera tam ex alto adpetissis discidia, Agamemno?*

Ex perfectis adferenda sunt: P 218 *pegi*, A fg. 8 B. *sciciderat*, P 172 *tetinerim*, P 226 *-isse*, A 39 *tetinit*, A 116 *tetulisti*. Perf. *parsi*, quod Plautus solum novit, iam usitato cessit (A 360 *pepercerit*). Singularis forma *agnota* (cf. *agnoturum* Sall. Hist. II fg. 61 Maur.) legitur P 384:

In turba Oresti cognita, agnota est soror.

Vides metri causa licentiam sumptam esse. Participium *ostentus* exstat: P 238, A 253, pr. 34. — Praeterea commemorandum est participium futuri A 313 *paeniturus*, quod excepto Sallustii fragmento inc. 35 M. non occurrit (Neue III[3] 657).

Imperativum *dice* Ribbeck ex coniectura in A pr. 12 introduxit (A pr. 3 *obduc*).

Formae per haplologiam, quam nisi post *s, ss, x, d* non usu venire constat (v. Neue III[3] 505), breviatae sunt hae: P 329 *extinxti* (ex coniectura), A 205 *inlexe*, A 115 *obsesse* (libri *obesse*), P 321 *occisti*. — De perfectis 'contractis', si denique quaerimus, Pacuvius Acciusque a Terentio stant, qui breves formas adamat, plenas in finem versus relegat,

[1] Buecheler, Mus. Rhen. XXVII 477.

ubi propter numeros tolerantur, cum apud Plautum aequo iure fruantur[1]. Praebent autem haec: A 24 *adcelerasse,* P 356 *adplicasti,* A 267 *deproperasse,* A pr. 15 *devoro* (= devovero), A 360 *dubitarit,* P 383 *exanimasti,* A 61 *excitasti,* A 610 *excitarit,* P 329 *lacerasti,* A 52 *mactasset,* P 239 *nuncupasti,* P 329 *orbasti,* A 17 *peccasse,* A 267 *pigrasse,* P 403 *procreasse,* P 40 *servasse,* A 365 *sistis* (= sivistis), at A pr. 40 *stabiliverat* in clausula.

Iam hos rivulos claudamus et, si quid in altero artis grammaticae campo pro virili parte eruere possimus, conemur.

IV. Syntaxis.

Pacuvium Acciumque, quos in vocabulis fingendis et eligendis, in declinatione et flexura non semper tritam et vulgarem viam tenuisse, immo remotiorem et interdum asperiorem inisse vidimus, in syntaxi quoque nondum cognitis vel etiam spretis sermonis exculti legibus liberiore ratione usos esse sumere licebit. Si vero iam in illa parte lacera et dubia fragmentorum condicione magnopere impediti sumus, in hac multo magis istis angustiis premimur; attamen unum alterumve granum colligere posse speramus. Atque ut declarem, quem ambitum huius partis animo mihi delineaverim, non unumquemque locum sub aliquo titulo proferam, velut omnes genetivos subiectivos et obiectivos enumerare supervacanea opera mihi visa est, cum talia diligenter collecta Holtze suppeditet, sed eos eligam, unde aliquid ad stilum et artem utriusque poetae melius cognoscendum redundet.

Materiam autem ita disponam, ut primum nominum et verborum, deinde enuntiatorum structurae percurrantur. Incipiam igitur tractare

A. Nominum iuncturas

atque acturus sum

1. De adiectivis et participiis, quae substantivi vice funguntur, et de attributis.

Praeter tritissima, qualia sunt: P 94, 332, A 392 *altum* (= mare), P 15, 339, A 47, 48, 134, 414 *dicta,* A 12, 48, 78 *facta;* A 214 *boni,* A 6 *fortes, indocti,* A 314 *probi,* adferenda sunt: P 159 *tortum* (= tormentum), A 202 *conata,* P 309 *flexa, falsa,* P 153 *promerita,* A 494 *agrestes, cornuti* (= boves), A 424 *mortales,* P 2 *quadrupes* (de testudine

[1] Engelbrecht, ‘Wiener Studien’ VI 219.

eaque de causa gen. fem.), A 315, 381 *quadrupedes*, A 603 *sonipedes*. Audaciora sunt P 295 *aeternum, humanum sator*, P 308 *o . . et dubium et prosperum copem diem*, A 430 *Reicis abs te religionem: scrupeam imponas tibi?*, A 484 *laterum texta*, A 511 *orè obscena dicti segregent* (primum exemplum, ubi ex neutro plurali talis genetivus pendet, id quod inde a Lucretio et Sallustio increbruit, nisi cum Alberto Langio *obscena dictu* legere malueris). Singularem adiectivorum imprimis praepositione adiecta substantivi vice fungi notum est. Id evenit P 93 *de integro*, 185 *ex occulto*, A 160 *vetera tam ex alto* (= antiquo) *adpetissis discidia*, 402 *molem ex profundo erigit*, 407 *ex tuto prospectum aucupo*, 411 *ex immani victum ad mansuetum applicans*.

Ex attributis hae locutiones praepositionales, quae participii adminiculo carent, adferendae sunt: P 61 *Habeo ego istam qui distinguam inter vos geminitudinem*, A 12 *mea facta in acie oblita*; huc non pertinet A pr. 9 *sed saepe ignavavit fortem in spe exspectatio*.

Cum nominativus praeter A 240/2 *O Dionyse . . Semela genitus*, ubi vocativi locum tenet, nihil memorabile praebeat, statim exponam

2. De casuum obliquorum usu.

a) *De accusativo.*

In verbis transitive usurpatis insolitam dativi constructionem Pac. admisit in v. 407 *Nam si quae eventura sunt, provideant, aequiperent Iovi*, cuius licentiae alterum testimonium Georges in lexico Ennianum *concordibus aequiperare* adfert, quod apud Priscianum GL. III p. 3, 7 legitur (Ann. 132 V.[2]), at libri duobus exceptis recte *cum concordibus* praebent. Plura dativi exempla ex Apul. Plat. 1, 2 et posteriorum scriptis allata inveniuntur in Thes. ling. Lat. I 1012, 39 sqq. Absolute vi reflexiva idem verbum adhibuit Pac. in v. 153 *Ut ista* (*si ita* codd.) *sunt promerita vestra, aequiperare ut queam vereor* (cf. infra p. 178). Accius in his nihil novavit; nam in v. 1 *Qua re alia ex crimine inimicorum effugere possis, delica* praepositione opus est, ut indicetur illum, de quo agitur, iam crimine teneri. In eo autem a consuetudine recessit, quod in v. 304 *Age age amolire, amitte, cave vestem attigas* absolute *amolire* posuit. Quia Pacuvius (16, 184), Plautus, Terentius semper accusativum adiungunt, versus suspectus habitus est a Ribbeckio, qui *aufer te* (Coroll. p. LV) proposuit, etsi ipse vidit Ter. Ad. 937 simillime *insanis; aufer* omisso *te* scripsisse. Omni coniectura abstinendum esse apparet, si reputaverimus summum angorem et metum Eriphylae haec exclamantis optime imperativis nudis coacervatis depingi.

Antiquitus deponentia, quae postea in ablativi provinciam cesserunt,

ex parte transitiva fuisse notum est. Vetus hic status servatur: P 129 *officium fungar vulgi*; P 56, 289 *regnum potitur,* P 217 *sceptrum poti,* A 590 *sceptrum poteretur,* A 40 *potiuntur plagas;* genetivus semel invenitur P 205 *potiuntur Phrugum*, ablativus, quem Plautus iam hic illic recepit[1], nusquam. Praeterea A 189 *facinus oculi vescuntur,* A 218 *dapem vescatur,* at P 22 *vescatur armis,* A 145 *armis . . vesci,* P 108 *arte hac vescimur,* A 591 *patriis vesci praemiis.* Semel *fruor* occurrit cum ablativo A 296 *fruimur anima;* ut apud Plautum *utor* (praeter gerundivum et pronomina) cum ablativo coniungitur: P 217 *usi honore,* A 5 *ea me uti volo,* A 647 *more multarum utier.*

Iam progrediamur ad verba, quae per compositionem ex intransitivis transitiva facta sunt. Pro locutione *auris accidit*, quam Plaut. Stich. 88 adhibuit, Accius 449 urbanum *ad aures accidit* praebet; pariter P 34 *nilne ad te de iudicio armum accidit?*, at translate A pr. 30 *ea si cui in somno accidunt.* Usitatam praeterea dictionem ostendunt: A 77 *tibi . . est adeundum ad virum,* A 33 *ad saxa adlidere,* A 342 *apud ipsum adstas,* P 377 *ad manticulandum . . aggreditur,* P 327 *Salaminem ingredi,* P 1 *loca horrida initas,* P 50 *viam quam insistam,* A 192 *invadam in manus,* A 597 *obit . . moenia,* A 687 *mystica . . vada praetervecti,* minus tritam: A 218 *accumbat mensam,* A 232 *quod templum adeam?,* P 311 *templa . . adgreditur,* A 199 *adgreditur me,* A 506 *quemcumque institeram grummum,* P 48 *praegradat Parthenopaeum.*

Frequens, ut apud tragicos consentaneum, accusativus exclamationis est: P 134 *me miseram,* P 264, A 346 *heu me miserum,* P 308 *o multimodis varium . . diem,* A 80 *O dirumque hostificumque diem, o | Vim torvam aspecti atque horribilem!,* A 340 *pro di immortales! | Speciem humanam invisitatam egregiam, indignam clade et squalitudine*[2], A 640 *suavem linguae sonitum!* Cum hoc accusativo *ecce* quoque coniunctum — id quod Cicero aspernatus est — invenitur: P 238 *eccum . . senem,* A 69 *eccos segnis.*

Accusativus interni, qui vocatur, obiecti continetur his locis: P 113/4 *hymenaeum fremunt aequales,* A 288 *Argivos fremere bellum . . vides;* P 341 *illinc si usquam probitam gradum,* A 123 *cursum huc rapit,* 323 *acervos . . in amni corpore explevi hostico,* A 157 *vereor plus quam fas est captivam hiscere,* quam audaciorem structuram imitatus Propertius III 3, 3:

Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
Tantum operis, nervis hiscere posse meis . .

---

[1] Langen, 'Arch. f. lat. Lex.' III 329.

[2] Post *humanam* nequaquam verbum intercidisse, ut Ribbeck suspicatur, Vahlen in indice lect. a. 1902/3 p. 10 ostendit.

scribere non dubitavit; A 571 *magna sonantibus | excita saxis echo.* — Figuram etymologicam exhibet A 347/8 *discidia amantem scindere turbat vulgum,* sed magis poesis Ribbeckiana est quam Acciana: libri graviter foedati habent *diffidam antem ne cidere.* Melius, opinor, Ribbeck tam desperatis locis contraria ratione inita tristia frustula, ut in codicibus leguntur, in textu posuisset, at supplementa sua quamvis arguta in adnotatione subiunxisset.

Verbis movendi additus est accusativus secundum communem usum: P 121 *Delphos venum pecus egi,* 218 *accessi Aeaeam,* 249 *Spartam reportare,* A 283 *Argos referam,* 370 *Salaminem aveham,* pr. 41 *nostram devenit domum*; liberius: P 252 *Aetnam montem advenio*[1] et A 599 *iussit proficisci exsilium quovis gentium,* praeter Gellianum (II 29) *fac amicos eas et roges,* quod recte Landgraf[2] Ennio vindicavit, antiquissimum exemplum, quo appellativi accusativus hunc in modum ponitur. Per errorem Landgraf (ibid.) huic loco fidem abrogavit, cum scribit: 'A 599 . . hat keine volle Gültigkeit, da hier L. Müller Non. 185, 6 mit *M* liest *iussit proficisci quoquo vis gentum exulem*'. Fugit virum doctissimum in Muelleri editione Noniana *M* non esse notam codicis cuiusdam, immo litteram, qua coniecturas ab ipso excogitatas significat. Libri raro apud Nonium consensu versum ita praebent, ut Ribbeck edidit. Atque cum similes locutiones *exsequias, suppetias, infitias ire* priscae originis sint, Mueller lectionem traditam calidius quam callidius mutavisse putandus est. — Hic mentio fiat accusativi, qui lingua nondum adulta substantivis aggregatur, proinde ac si verbum, unde derivata sunt, positum esset. Latius haec licentia apud Plautum patet[3], tragici tantummodo *domum itionem* compositi instar usurpant: P 173 *domumitionem dedit,* A 173 *ab domuitione arcere*, inc. inc. fr. 26 *domum itionem . . parant,* 27 *domum itionis cupidi.*

Spatium temporis, per quod actio quaedam fit, accusativo expressum est: P 396 *postquam calamitas complures annos arvas calvitur* et, si recte interpretor, P 10 *frendere noctes, misera quas perpessa sum.* Qua in re mecum lexica pugnant, quae una voce explicant 'etwas knirschend beklagen', et Ribbeck[4]. At Antiopam loquentem facere se deplorare noctes, quas perpessa sit, non placet; cruciatus, quibus a Dirce, crudelissima Lyci uxore, vexabatur, filiis eam enarrare magis convenire videtur. Sollerter, sed non recte L. Mueller (*De Pac. fab.*

---

[1] A 602 *Qui ubi ad Dircaeum fontem adveniunt* Ribbeckius pro codicum corruptela *(quin id circaeo fonte)* periclitatus est, haud scio an minus feliciter.

[2] 'Der Akk. der Richtung' 'Arch. f. lat. Lex.' X 395.

[3] Landgraf l. l. p. 400.

[4] 'Röm. Tragödie' p. 293.

p. 15) emendavit: *frendere Nyctes. Misera, quae perpessa sum!* Mea quidem sententia hoc fragmentum artissime cohaeret cum antecedente (9) *perdita inluvie atque insomnia* et cum subsequente (11) *fruges frendo solidas saxi robore*, inter quae pauci admodum versus intererant. Videamus, quid inde lucremur. Cum vox *insomnia* spectet ad illud *noctes perpeti*, concludere licebit Dircen immani odio exagitatam Antiopam noctu quieti se dare non passam esse, sed laboribus nocturnis impositis custodiam quam gravissimam fecisse. Quinam illi labores fuerint, ex tertio fragmento comperimus: molas trusatiles circumagere cogebatur. Superest, ut attributum *solidas* examinemus, quod Ribbeck ex codicum scriptura *solas* elicuit sagaciter adnotatiuncula comparata, quae est in Etymol. Magno p. 60: *ὅτι τὴν Ἀντιόπην ὁ Νυκτεὺς βασιλεὺς Θηβῶν, θυγατέρα αὐτοῦ οὖσαν, ἐποίησε χαλκᾶς ἀλήθειν κριθάς.* Quod subsidium si perpendimus, levius evinci opinor. Primum discrepant verba ab Hygino, qui argumentum Euripideae fabulae, ad quam Pacuvium se applicavisse Cicero de Fin. I 4 testatur, memoriae prodidit (c. 8). Deinde in scholiis ad Odyss. XVIII 85 et in Apoll. Rhod. Argonaut. IV 1092—95 servatis facinus illud de Echeto, saevissimo Epiri rege, narratur. Neque nihili faciam Propertium, licet vestigia tragoediae non anxie presserit, qui contumelias Antiopae illatas hoc modo describit III 15, 13:

Ah quotiens pulchros ussit regina capillos
Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quotiens famulam pensis oneravit iniquis
Et caput in dura ponere iussit humo!

Apparet Antiopae graves domesticos labores ancillarum, prout opus erat sive in lanificio sive in pistrina, obeundos fuisse. Quare de solidis, i. e. aheneis frugibus cogitandum esse Ribbeckio non concedam. Praestat cum L. Muellero *solido saxi robore* legere; *sola,* quod Welcker, vel *solo*, quod Ribbeck olim coniecerat, facilior emendatio est, sed ad sententiam minus idonea. Atque casu quodam versus Accii servatus est, quo explicationem meam fulciri iudico. In Troadibus enim (v. 478) mulier quaedam alteram interrogat:

Nocturnan saxo fruges frendas torridas?

Vides nocturnum laborem in pistrino inter durae servitutis mala habitum esse. Quandoquidem coniecturis vela dedimus, ad eam audaciam progredior, ut inserto *cum* explicativo duo Pacuvii fragmenta (10 et 11) hunc in modum contexam:

Frendere noctes, misera quas perpessa sum,
Cum[1] *fruges frendo solido saxi robore.*

---

[1] Ribbeck addito *sic* versum explere voluit.

En lusus verborum, quem a Pacuvio in deliciis habitum esse infra videbimus. Alterum *frendere* de effervescente Antiopae ira, quam ut captiva comprimit, dictum est, alterum onomatopoetice crepitum frugum significans valet 'molere'.

De accusativo determinationis brevis esse possum. Unicum exemplum A 279 *linguam praepedior* non in libris est, sed Ribbeck finxit. Vanum esse ex conspectu, quem Landgraf[1] paravit, elucet. Ab Ennio quidem (Ann. 311 V.[2]) *perculsi pectora Poeni* commemorantur, formas autem verbi finiti in hac structura Sallustius primus (Hist. III 24) admisit.

b) De dativo.

Praestantiores loci sunt hi: in P 365 *Solatur, auxiliatur hortaturque me* ad verbum auxiliandi *mihi* ex sequenti *me* subaudiendum est. Similem locum Ciceronianum ad fam. XIII 4, 3 *ut te horter et suadeam* Kühner (in Gramm. Lat. II 230) adfert, sed Wesenberg et CFW. Mueller *te* in *et* corrigunt. A 215 *Id quod multi invideant* accusativus bene Latinus est, contra A 424 *Num quis non mortalis florem liberum invidit meum?* Cicerone iudice (Tusc. III 20) *male Latine videtur*; pergit autem summus ille Latinitatis arbiter: *sed praeclare Accius: ut enim 'videre', sic 'invidere florem' rectius quam 'flori'. Nos consuetudine prohibemur; poeta ius suum tenuit et dixit audacius.* A 354 *Tuam solitatem memorans, formidans tibi,* quae locutio (in lexicis et ab Holtzio omissa) ex analogia timendi orta est v. Plaut. Amph. 1113 *Metuens pueris, mihi formidans,* deinde in acrosticho, quo Aululariae argumentum comprehenditur, exstat v. 6: *auro formidat Euclio.* Trita iunctura *dicto audiens* composito aucta occurrit A 442 *dicto oboediens viri.*

Iam composita dativo vel praepositione instructa colligamus: A 256 *exuvias . . lateri accommodant,* 686 *frena . . ori equorum accomodant;* P 188 *concorditatem hospitio adiunctam* (278 *ad malam aetatem adiungas cruciatum*), A 386 *custodem . . adposuit virgini,* A 147 *Quid est, cur componere ausis mihi te aut me tibi?,* A 90 *senium cum dolore tuo coniungam et comparem,* A 11 *vela ventorum animae immittere,* A 191 *ne in turbam te inplices,* P 178 *cladem importem familiae,* P 14 *nocti ni interveniat,* A 455 *quae vastitudo . . . invasit mihi?,* 427 *hosti me . . offeram,* at antiquam constructionem habes 385 *tela ob moenia offerre imperat.*

Dativus energicus, qui vocatur, maioris ponderis causa positus est *a*) pro genetivo: A 657 *Quinam . . internecioni modus paretur?,* A 22 *Cui manus materno sordet sparsa sanguine* (non recte igitur

[1] 'Arch. f. lat. Lex.' X 215.

Landgraf[1] in pronominibus relativis Lucretium hanc structuram primum temptavisse contendit). — β) Pro possessivis: A 109 *Multi iniquo . . animo sibi mala auxere,* A 150 *In quo salutis spes supremas sibi habet summa exerciti,* 187/8 *mihi commovit animum aspecti dignitas.* — γ) Pronomini possessivo additus: P 79 *mihi patriam populavit meam,* A 607 *suo sibi lautum sanguine.*

Finitimus est dativ. 'commodi': P 324 *Teucrum regi sapsa res restibiliet,* 402 *filios sibi procreasse,* A 56 *exanguest corpus mi atque . . putret,* 57 *retracta rursus inferis,* 167 *mi . . antistitam tutetur,* 214 *multae insidiae sunt bonis,* 510 *omnibus faustis augustam adhibeant faventiam,* pr. 6, 36 *haec bene verruncent populo!* — Cum verbis passivis consociatur: P 384 *Oresti cognita, agnota est soror,* A 284 *Ne cui cognoscar noto.* Exordium sumpsit a participiis, quae iam adiectivi munere fungebantur, velut A 314 *probis probatum . . fore.*

Dativus finalis legitur: P 115 *nuptiis hanc dat diem,* A 209 *mihi portento caelestum pater prodigium misit,* 658/9 *quaenam . . ob mortem Myrtili | poenis luendis dabitur satias supplici?.* Adnumerari possunt: A 7 *Tu addis, quod vitio est, demis, quod laudi datur,* 226 *natis sepulcro ipse est parens,* 273 *generi vir fortis loco* (= decori).

Dativus, quem Landgraf[2] finalem-localem nominavit, nobis obviam fit: P 148 *leto dabit,* A 112 *terraest datus,* 491 *mittis leto*; quod Landgraf p. 71 commemorat, *neci dare,* A 347 ex coniectura Iunii legebatur, sed nec Ribbeck nec Buecheler probavit; id aliquo modo significari debuit. Praepositio in auxilium vocata est A pr. 24 *ad casum dari,* quod *casui dari* ambiguum esset.

Ultimus adferendus est dativus adnominalis: A 522 *Achivis classibus ductor, gravis Dardaniis gentibus ultor,* 429 *huic noxae obnoxius,* 502 *adfinis tibi,* 669 *fertur ops esse gentibus,* P pr. 5 *caprigeno generi gradilis gressio,* A 422/3 *vita ulli propria,* A 406 *Silvani melo consimilem . . cantum*[3], P 374 *veri simile.*

c) De genetivo.

Cum genetivos subiectivos et obiectivos, ut dixi, missos faciam, cetera paucis absolvi possunt. Notabilis est dictio *finem dare,* cui ut pedestri *finem facere* (A 171 *finem religionum fac*) saepius genetivus quam dativus ad-

---

[1] 'Arch. f. lat. Lex.' VIII 42.

[2] Ibid. p. 69.

[3] Ritschl Opusc. II 581, quia apud Plautum *similis* praeter unum locum minus certum genetivum habet, dativum sublimiori stilo adscribere voluit, praeter *veri simile,* quod in omni genere solum usitatum fuit.

ditur: A 37 *serviti finem dari,* 577 *finis curarum datur,* sed 293 *dat finem miseriis.*

Genetivus explicativus in P 102 *ossuum inhumatum aulam*[1] Ribbeckii coniectura nititur.

Frequens partitivus est: P 62 *is vestrorum uter sit,* 194 *hospitum infidissimi,* 76 *interea loci,* A 599 *quovis gentium;* ex neutro pronominis pendet: P 133 *quidnam autem hoc soniti est?,* 154 *quod quibo boni,* A 155 *quid subiti . . . mali?,* 491 *quod superest socium,* 628 *quid capias consili, vide,* pr. 1 *nil pericli neque tumulti.* Non satis certum exemplum A 511 *obscena dicti* in p. 162 commemoravi.

Genetivum relationis in prisca Latinitate liberius admitti notum est. Documento sunt: P 291 *oneratus frugum et floris,* 308 *et dubium et prosperum copem* (= copiosum) *diem,* 328/9 *indigem liberum,* A 49 *Locrorum . . frugum ubera . . . ,* 287 *inpos consili* (Plautus solam locutionem *animi impos* novit, inde usque ad Suetonium et Senecam vocabulum vitatur[2]), at 36 *magnis compotem et multis malis;* 376 *exspes liberum.*

Genetivus qualitatis, quo ablativus apud Plautum crebrior[3] est, omnino deest praeter A 136 *te istius modi esse intellego.*

Ad genetivum verbis adiectum transeuntes partitivum praedicative collocatum invenimus: P 175 *lamentas, fletus facere conpendi licet,* contrariam dictionem Enn. Ann. 14 V.[2] praebet: *neque dispendi facit hilum.*

Genetivus memoriae antiquitus raro usurpabatur neque in nostra materia ullus exstat. *Recordari* ut omnibus temporibus accusativo adiungitur: P 36 et A 346, item *oblivisci* ut semper apud Plautum A 12 *mea facta obliti,* 190 *memet . . obliscier,* 488 *Ulixem obliscar.*

Verba, quae vulgo impersonaliter adhibentur, ex parte varias structuras admittunt, id quod his locis illustratur: P 198 *te mei miseret,* A 94 *miseret lacrimarum, luctuum, orbitudinis,* 621 *huius miseret,* P 354 *miseretur tui,* 391 *ipse eius commiseresceret* (apud Terentium verbum est impersonale), A 195 *haec . . miserarent mala,* 355 *te commiserabam, magis quam miserabar mei.* Hoc loco Ribbeck Iunium secutus *miserebar* recepit, quod aliquid probabilitatis habet, cum Accius, ut modo vidimus, *miserare* secundum communem usum cum accusativo copulaverit et alterum genetivi exemplum demum Silius Ital. XI 379 exhibeat (*ni poenae . . iniquae miseratus . . Iuppiter*); librarius propter antecedens

[1] *Auram* cum codd. Ellis. De dubia scriptura A 461 *corpus acuum* cf. p. 157, dan. 1.

[2] Schmalz, 'Syntax und Stilistik' p. 239 [3].

[3] Cf. Woelfflin., 'Arch. f. lat. Lex. XI 199 sq.

commiserabam facile errare potuit. P 31 *Proloqui non paenitebunt liberi ingrato ex loco*[1]; A 312/3 *neque te neque quemquam arbitror | tuae paeniturum laudis* et 491 *Tun quod superest socium mittis leto? an lucti paenitet?*; A 471 *Dolet pudetque Graium me et vero piget,* P 44/5 *Dolet pigetque . . me conatum . . itiner.* Talis structura a Plauto non aliena est, unica vero et inaudita constructio legitur P 143/4 *Quid? quod iam et mihi piget paternum nomen, maternum pudet profari.* Nihilominus Ribbeckio libenter adsentior mordicus eam esse tenendam, praesertim cum (Coroll. p. XLII) glossa quadam in cod. Bernensi servata (n. 224) *pudet mihi: verecundiae est mihi* stabiliatur. Quam non ad barbariam illorum temporum, quibus omnes structurae confundebantur, spectare eo probatur, quod manifesto sumpta est ex eodem fonte, unde Nonius suum habet *pudet . . verecundiae est, pigere paenitentiae.* Atque locus ipse, ne quid mutemus, mihi clamare videtur. Sententia sine dubio acrior fit, si *mihi pudori est* substituimus, idque poetae obversatum esse existimo; quod vero similis locutio *pigori est* deerat et parallelismum, quem adfectasse chiasmo demonstratur, turbare noluit locutionibus *me pudet* et *mihi pudori est* quodammodo contaminatis *mihi pudet* novavit. Accedit, quod ab eiusdem fere gregis vocabulo *dolet* apud Plautum Terentium, Ciceronem dativus non exclusus est, velut Epid. 147 *mihi dolet, quom ego vapulabo.* — Ex analogia ortus est impersonalis usus *verendi*: P 183 *cuius ⟨me⟩ veretur,* A 76 *si tui veretur te progenitoris.* — In fine addam P 294 *animi horresco;* est quidem locativus, sed Romanis ipsis genetivus fuit, unde explicatur Plaut. Epid. 138 *desipiebam mentis* similia.

d) De ablativo.

Proficiscamur a separativo: P 55 *regno expellunt,* 192 *mamma depulsum,* 306 *ira levat,* A 334 *regno exturbatus,* 592 *elimina urbe;* praepositio addita est: P 222 *quae res te ab stabulis abiugat?,* 400 *repeda . . a vestibulo gradum,* A 286 *ab armis anni porcent,* 594 *a fortuna opibusque omnibus desertum,* P 184 *Non tu te e conspectu hinc amolire?* Propter hunc locum Ribbeck *e* videtur inseruisse P 16 *Nonne hinc vos propere ⟨e⟩ stabulis amolimini?* Sed praepositione non opus est; neque enim in his rebus poetae certae legi se adstrinxerunt; cf. P 327 *segregare abs te ausus,* A 511 *ore obscena dicti segregent,* P 304 *ut te ara arceam,* A 173

[1] Nihil egit Goette, qui in commentatione, quam supra commemoravi, p. 22 hic *paenitere* primum sollemnem vim 'es reut mich etwas' habere confirmat. Manifesto enim poeta (de armorum iudicio agitur) dicere vult: 'Troiani capti libertate promissa haud gravabuntur certamen discernere'. Atque prisca notio, quam patrio sermone exprimere possumus 'ich bin nicht zufrieden mit etwas, es ist mir zu wenig', ab Accio quoque, ut ex locis, qui sequuntur, patet, retenta est.

ab domuitione arcere; A 300 *e tecto excies,* 572 *excita saxis . . echo.* Ex adiectivis huc pertinent: A 427 *auxilio nudus,* P 280 *vacua a contumelia,* A 262 *a telis vacuus,* ubi praepositio inusitata est. Accedunt urbium nomina: P 167 *reditum est Pergamo,* 318 *a Troia adportare fando,* A 682 *repudio eiecta ab Argis . . exsulo.* Non recte igitur Schmalz (l. l. p. 254) et Plautum et ceteros priscos poetas interdum *ex,* nunquam *ab* urbibus addidisse dicit[1].

Finitimus est ablativus originis: A 131 *a . . gnato Laerta,* 242 *Semela genitus,* 609 *Tyndareo gnata,* 642 *natum Semela;* P 1 *ex Antiopa nati;* A 388/9 *quibusnam . . exortam locis?,* 520 *parva prodite patria,* 618 *ortus mediocri satu;* 463 *ex taurigeno semine ortam,* 515 *ex tuo esse conceptum satu;* 596 *ab dracontis stirpe . . exortus.*

Ablativus comparationis ex coniectura Gerlachii introductus est A 128/9:

Eo ante noctem extenta retia ut proveherem et statuerem,
Forte aliquanto solito[2] *lembo sum progressus longius;*

num recte, non facile diiudicari potest. Obstare enim videtur, quod primus Ovidius talem participii ablativum videtur usurpavisse[3]. Idcirco Mueller in Nonii editione *solito* cum lembo iungi iubet, sed ad infirmam hanc rationem descendere displicet; nemo, qui integro iudicio versum legerit, ita accipiet. Iunius *quam solitus* proposuit, quod, nisi alia mutaveris, metro vetatur. *Aliquanto* autem tangere non ausim (Mueller: *aliqua quam solitus* vel *solitumst*); nam verba tam bene concinunt, ut omni emendatione in peius mutentur. Potius Accium novam hanc structuram temptavisse opinor, fortasse quia *solitus* eius temporibus iam adiectivum factum est[4]; in adiectivis vero Plautus ipse eandem constructionem admisit (Bacch. 349 *plus iusto,* Woelfflin. ibid. p. 464).

Deinde ablativos instrumenti, cum collectos praebeat Holtze p. 5, ne longus sim, praetermissos ab illo eligere satis habeo: P 186 *clamide contorta . . clupeat braccium,* 197 *curam somno . . levas,* 251 *suta lino et sparteis serilibus,* 317 *perpetrare precibus, imperio,* 398 *volucri currit axe,* pr. 4 *nivit sagittis, plumbo et saxis grandinat,* A 32 *nocte caeca . . caelum abstulit,* 390[(1)] *pinnata cauda . adulat sanguinem,* 396 *ventis expulsum . . saxum aut procellis,* 400 *fuscina evertens,* 403

---

[1] In Plautum quoque observationem non convenire docet Draeger ('Historische Syntax' p. 495).

[2] Gerlach.; codd.: *solitus.*

[3] Ars am. II 411 *blandior solito,* cf. Woelfflin. 'Arch. f. lat. Lex.' VI 462.

[4] Antiquissima exempla sunt Sall. Hist. III 46 (Maur.) *praeter solita vitiosis magistratibus* et III 96 *solita convicia,* sed usum vetustiorem esse veri simile duco; v. Lucr. V 100 *insolitam rem.*

rostris perfremunt, 478 *saxo frendas,* 544 *trita ungulis,* 559 *arma invicta es fabricatus manu,* 579 *venenis sterilem esse,* 660 *geminis aptum cornibus.* Proprietatem quandam praebent P 17 *animo attendi ad quaerendum,* quod non cum Iunio in *animum* corrigendum esse videtur (cf. Ter. Hec. 28, Cic. phil. frg. V 81 M., alia in Thes. l. L. II 1119, 62 sq.), et A 552 *E viperino morsu venae veneno . . imbutae,* ubi praepositio non desideratur. Eodem pertinet ablativus, quo verba utendi, fungendi, alia instructa sunt, ut bene illustratur A 296 *sapimus animo, fruimur anima*; sed de his supra (p. 163) dictum est. Per analogiam hanc constructionem *usus est*, deinde cognatum *opus est* adsumpsit, quod primitus praedicative nominativo adiciebatur[1]. Inde intelleguntur loci, velut P 35 *quid sit facto opus decernite,* quibus structurae mixtae sunt (similia adfert Schöll. p. 212).

Ex ablativis causae adnotare sufficit iuncturam A 292 *eaque . . causa*, quae ab aurea Latinitate aliena est, et *gratia* bis positum P 43, A 217; nam in sermone pedestri vetustissimo deest (Schmalz. l. l. p. 249).

Ad ablativum modi transeuntes haec substantiva, quae nullo attributo exornata praepositionis adminiculo carent, invenimus: P 186, 377, 378, A 414 *astu,* P 393 *alcyonis ritu,* A 50 *ordine;* liberiore ratione adhibita sunt: P 312 *fremitu concite melum,* A pr. 11 *fremitu peragrant,* A 569 *latratu unda sonit.* Reliqui loci, quos Holtze neglexit, sunt: P 106 *opibusque summis persequi,* 200 *denudatis ossibus . . divexarier,* 256 *sedato nisu,* 273 *pes trepidante gradu nititur,* 287/8 *perbitere quovis exitio,* A 85 *mulcari exemplis omnibus,* 87 *vera ratione,* 183 *tardo procedens gradu,* 216 *summa cum cura,* 239 *agite modico gradu!,* 573 *crepitu clangente cachinnat.*

Subsequatur ablativus qualitatis. Qui quam variis de causis saepe genetivum superaverit eiusque locum obtinuerit Woelfflin.[2] dilucide exposuit. Series exemplorum, quam Holtze p. 10 proponit, augeri potest his: P 37 *feroci ingenio, praegrandi gradu,* 54 *suspenso animo civitas,* 382 *Voce suppressa, striato fronte, voltu turgido,* A 158 *pervico Aiax animo atque advorsabili,* 392 *ingenti sonitu et spiritu,* 532 *nemus exspirante vapore vides,* 560 *Phrygiam miti more esse, animo immani Graeciam,* 636 *Tereus indomito more atque animo barbaro,* 645 *advena animo audaci.*

Tum ablativi mensurae habes exempla haec: A 129 *aliquanto . . longius,* 136 *quanto magis . ., tanto magis,* 377 *quanto mitius . ., tanto . . magis severos,* 316 *senium multo acerrimum* (Cicero superlativos addito *longe* augere solet).

[1] Fr. Schöll., 'Arch. f. lat. Lex.' II 207 sq.

[2] 'Arch. f. lat. Lex.' XI 197—211.

Ablativus temporis exstat: P 89 *solis exortu capessit candorem, occasu nigret*, A 85 *mala aetate* (= in senectute), pr. 41 *nocte intempesta*. Male Holtze (p. 4) A 677 *hieme* adnumerat; est ablativus causae, ut verbis ipsis docemur (*unde estis, nautae, huc hieme delati?*). At P 238 *in ipso tempore* (= opportuno tempore) legitur, quod Terentianum est; Cicero praepositionem sprevit (Kühner II 264).

Agmen claudat ablativus loci: A 271 *pecua vallebant agris*, 537 *ubi habet? urbe agrone?*, 557 *novem hiemes saxo stratus pertuli*, 569 *ubi curvo litore unda . . sonit*, pr. 25 *prostratum terra*.

e) *De casibus cum praepositionibus iunctis.*

Quod exempla non pleno haustu profero, venia mihi detur. Nolui nuda congerie facta multas paginas conscribillare. Si quis vero cum fructu de praepositionibus quaerere studet, ei saltem totius priscae Latinitatis loci contemplandi sunt, quam rationem tenens Frid. Pradel[1] nonnullas tractavit; at id non meum est. Itaque sola dubia vel ab usu florentis aetatis remota promam. Velut ambigitur de A pr. 16 *optume es sic*[2] *meritus a nobis*. Vossius *de nobis* scripsit, ut locum ad usitatam constructionem redigeret, quod iure viri docti huius aetatis aspernati sunt. Deinde A 371 *si autem ad te res tardat, socium in portu est copia* commemoro, quia Pradel versum non curavit; in libris quidem *retardat* scriptum est, sed praestantior mihi haec coniectura videtur quam Buecheleri *id te retardat*. *Tardat* intransitive dictum valet 'tarde accedit'; sententia igitur est: 'si autem fortuna minus ad te se inclinat'. — Neque praetereundi sunt duo loci, quibus nobis *clam* occurrit: A 345 *dum illud, quod miser est, clam esse censet alteros* (*altero* BGH) et 654 *cum virginali mundo clam patre* (*pater* codd.). Quaeritur, num ablativus sit tolerabilis. Grammatici Latini, quorum testimonia Pradel p. 500 exscripsit, *pro arbitrio dicentis* et accusativum et ablativum stare posse una voce confirmant. Quos omnes errore teneri non credibile est; atque perbene praeceptum fulcitur Caesaris loco, B. civ. II 32, 8 *clam vobis*, ubi Riemann.[3] *vobis* temere tollere vult. Apud Plautum quoque ablativus bis exstat (Neue II³ 769): Curc. 173 *clam ero*, sed metro repugnante *ero* ut glossam viri docti damnaverunt, et Merc. 809 (= 821 ed. min. Teubn.): *Uxor viro si clam domo egressast foras*, ubi editores nulla suspicionis causa oblata consensum codicum nihili facientes *virum* legunt. Hunc versum Woelfflin. et Pradel, qui *clam* c. ablativo exstirpare

[1] In suppl. ann. phil. XXVI 465—505.

[2] Cf. de hac lectione p. 160.

[3] Cf. Woelfflin., 'Arch. f. lat. Lex.' VII 278.

volunt, non respexerunt. Quare *clam patre,* licet apud Plautum et Terentium omnibus locis *clam patrem* (*-res*) appareat, non plane reiciam et altero quoque loco ablativum, quem tres codices tuentur, praeferam, quod singularis magis placet.

Porro valde notabilis est A 445:

Pro se quisque cum corona clarum conestat caput.

Ablativo instrumenti enim, ut ait Schmalz. (l. l. p. 273), in infima demum Latinitate *cum* additur. Draeger nullo verbo huius usus mentionem facit, Kühner quidem duos priscorum locos adfert: Claud. Quadrig. p. 208, 9 (Peter) *silentio facto cum voce maxima conclamat* et Varro L. L. V 21 *terra in augurum libris scripta cum r uno,* sed in iis *cum* excusari potest, quia proxime accedunt ad ablativum modi. Alia exempla igitur circumspectemus. Offerunt se Lucil. 449 (Marx., 373 L., XIII 1 M.) *acribus inter se cum armis confligere cernit*[1] et Catull. XCVIII 3:

ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
culos et crepidas lingere carpatinas.

Ex sermone plebeio sumptum esse et proverbii instar fuisse declaratur prioribus versibus:

In te, si in quemquam, dici pote, putide Victi,
id quod verbosis dicitur et fatuis.

Sequitur, ut in sermone rudi et impolito mature haec structura tolerata, ab urbanitate semper exsulare iussa sit. Contra Holtze p. 27 in P 17 *sed cum animo attendi ad quaerendum, quid siet,* temere sumit *cum* praepositionem esse (cf. p. 171). — Breviter attingam A 437 *conlocat sese in locum,* quia hic *in* cum accusativo positum est pro ablativo[2], et A 670 *in monte Oetaeo ⟨sunt⟩ inlatae lampades,* quia Ribbeckius in adnotatione reputat, an *in montem Oetaeum* legendum sit. Id nequaquam credo; ad participium *inlatae* fortasse dativus supplendus est, ut simpliciter valeat: 'cui in monte Oetaeo rogus incensus est'. — Propter locutionem notabilis est P 402/3 *eundem filios sibi procreasse per Calypsonem autumant;* explicatione non eget. — Super cum accusativo locum significat A 335 *Super Oceani stagna . . revisam* (unicus locus

[1] L. Mueller in comment. p. 234 *cum* potius coniunctionem quam praepositionem esse existimat, quod propter collocationem verborum non amplector et Accianis versibus (444/5) dissuadetur, ubi asyndeto de coniunctione cogitare vetamur.

[2] Promiscue utrumque casum priscos scriptores adhibuisse Draeger I 658 ostendit.

priscae Latinitatis praeter Enn. Ann. 386 V.[2]: *volat super impetus undas*, cf. Schmalz. p. 276); translate cum abl. (= *de*): P 237 *Qua super re interfectum esse dixisti Hippotem?*, quod omnibus temporibus usitatum, sed sermonis familiaris proprium erat; nam a Caesare vitatur, a Cicerone in epistulis admittitur (Draeger I 664). — Consulto ad finem huius partis mihi reservavi P 319 *Quam te post multis tueor tempestatibus!* Vulgo talibus locis — Cicero et Caesar quoque hic illic *ante* et *post* ablativo praeponunt, saepius Livius (Neue II[3] 764) — *post* adverbium habetur coniunctum cum ablativo mensurae idque hactenus rectum est, quod omnes praepositiones principio adverbia fuerunt, quibus vis obliquorum casuum definiebatur et illustrabatur. Si vero translaticiam dictionem retinebimus, hic quoque opinor ablativum ex praepositione pendere dicendum est. Cuius rei grave argumentum esse arbitror, quod Pac. *ante* etiam, ubi locum indicat, cum ablativo consociavit teste Pompeio GL. V 278 *non dubitat Pacuvius dicere 'ante templo'; non dubitat dicere 'propter homine'; non dubitat dicere, quod dixit etiam Sallustius ⟨Cat. 36⟩ 'praeter condemnatis' . . Invenimus ista omnia*. De Sallustiano exemplo quidem grammaticus perperam iudicat; est dativus, qui ad verbum *liceret* pertinet, et eiusmodi quid in Pacuvii exemplis usu venisse potuit, reliqua autem non ita submoveam, ut *m* finalem omissam Pompeium fugisse statuam; eius rei sescenta alia ex aliis scriptoribus exempla proferre potuit. Accedit, quod compluribus vestigiis eo ducimur, ut olim plures praepositiones et ablativum et accusativum determinavisse sumamus; id quod non mirum est, cum in iis ipsis nihil sit, quo certus casus flagitetur. Ratiocinari id inde licet, quod in Oscorum dialecto *post* et *úp* (= ob) semper cum ablativo coniunguntur[1]. Idem testantur Latina adverbia *antea, postea, posthac, praeterea, propterea, quapropter, interea* similia, quorum origo et natura perspicitur ex locutione *advorsum ead* in epist. cons. ad Teur. de Bacch. v. 25 et *arvorsu hac* (Schneider n. 94). Neque spernendus auctor est Varro (L. L. VII 8), qui cascum carmen, quo augur in arce templum capiebat, memoriae prodit. Est enim in eo *inter* cum ablativo iunctum *inter ea conregione conspicione cortumione*, quocum bene comparari potest *ander teremniss* = 'inter terminos' in cippo Abellano (Zvetaieff n. 136, 14). Pacuvium igitur *ante templo* scripsisse existimo. Ciceroni talia videlicet rustica visa sunt et

---

[1] Velut Zvetaieff, Inscript. Ital. infer. dial. n. 136, 45 *post feíhoís* (= finibus), n. 129, 5 *post eís*, n. 231 8, 23 *post exac*, 30 *post eíxuc;* cf. Plantam II 439 et 440 „ob übrigens nicht bei *up, post, prai* auf die Frage wohin? der Akkusativ stand, muß dahingestellt bleiben, da alle erhaltenen Belege auf die Frage wo? antworten. Der lateinische ausschließliche Akkusativ bei *ob, post* dürfte wie auch bei *trans* (*contra, inter?*) auf sekundäre Beschränkung zurückzuführen sein"

cum ob alias tum hac de causa eum inter malos Latinitatis auctores referebat.

Post nomen praepositiones secundum veterem morem (saepe hunc locum tenent in dialecto Oscorum et Umbrorum, Planta II 490) collocatae sunt: P 248 *ut illum ted erga scio,* A 175 *te propter* (ex coni. Bothii), A pr. 3 *Vim Gallicam obduc contra in aciem exercitum.*

3. De pronominibus.

Accuratum discrimen, quod in pronominibus reflexivis et demonstrativis ponendis optimi scriptores observabant, homines antiquis temporibus in cogitando minus exercitatos neglexisse consentaneum est. Atque eiusmodi turbae in sermone humili tam usitatae fuerunt, ut etiam Cicero, ubi remissiore genere dicendi utebatur, talia sibi indulgeret. Apud Pacuvium in enuntiato relativo pro demonstrativo pronomen reflexivum positum occurrit v. 38/9 *Nam canis . . non tam illum adpetit, qui sese icit.* — Idem duo enuntiata relativa ita copulat, ut alterum demonstrativo adiungatur v. 197/8 *Mater . ., quae curam somno suspensam levas neque te mei miseret . .* Id propterea factum esse videtur, quod et repetitio relativi aliquid molesti habebat et alterum membrum sui iuris factum simplici antiquitatis stilo bene conveniebat, qui parataxin adamabat[1]. Qua ratione eo ventum est, ut cum enuntiato relativo aliud conglutinaretur, in quo relativum nullo modo stare vel animo adici posset, velut A 112 *Qui neque terraest datus nec cineris causa umquam evasit vapos.* — Veterem repetitionem substantivi in enuntiatione relativa (Schmalz. p. 371) exhibet A 46/7 *Multi . . composita dicta e pectore evolvunt suo, quae cum componas dicta factis discrepant*[2]. — Quisquam pro usitato *quis* in enuntiato condicionali exstat: P 344 *ut ego, si quisquam me tagit* et in finali (quod rarum est, Draeger I 98): A 217 *Ne cum tyranno quisquam . . accumbat mensam.* — Attractio pronominis invenitur: A 19 *quem scis, quali in te siet fidelitate,* ubi subiectum enuntiati secundarii obiectum factum est primarii, quae res frequens est. Contra Holtze p. 36 vix bene attractionem appellavit P 83 *nam isti, qui linguam avium intellegunt . . . magis audiendum quam auscultandum censeo;* nominativus *isti* non propter sequens *qui* collocatus est, sed talis locutio eius est, qui maiorem verborum ambitum

---

[1] Cicero quoque hanc structuram admisit; copiam locorum praebet Lebreton, *Études sur la langue et la grammaire de Cicéron*, p. 101; Caesar eam fugit.

[2] Ribbeck. post *componas* interpunxit, quod displicet; perdidit ita lusum verborum, qui exadversus positis membris *composita dicta* et *cum componas dicta* efficitur. *Factis* videlicet ἀπὸ κοινοῦ ad *discrepant* quoque pertinet.

coepturus nondum ita eum compositum habet, ut iam, quemadmodum claudatur, sciat. — Adverbium pronominale relativi locum tenet: P 225 *ubi ea est? quod* (= quo) *receptast?*, qua dictione rem magis incertam esse monemur, quam si interrogaretur: *apud quem est? a quo receptast?* Cf. Ter. Phorm. 728: *Quid agam? quem mi amicum inveniam misera? aut quo consilia haec referam?* Interrogativi adverbii munere neutrum plur. *quia* auctum particula *nam* fungitur: A 583 *Sol . . . quianam tam adverso augurio . . Thebis . . lumen ostentas tuum?* Quem usum Naevius, Ennius, Lucretius, Vergilius norunt, ignorant comici; sublimioris ergo stili proprius erat[1].

Et Graecos et Romanos cumulata pronomina adamasse iam dudum observatum est. Immodicus ut in aliis, sic in hac re Ennius fuit, quantum ex corrupto v. 400 (Tr. Ribb.): *Quiquam quisquam quicquam quomquam quidque conveniat neget?*[2] cognosci potest. Pacuvius et Accius modum tenuerunt; coacervata apud eos sunt pronomina: P 39 *illum eumpse lapidem, qui ipsa icta est, petit,* 63 *is vestrorum, uter sit, cui signum datum est, cette,* ubi *utri vestrum signum datum est?* satis fuit, A 372 *tute ipse ted offirma,* 301 *meum hunc pavorem,* 455 *quae vastitudo haec,* 556 *haec taetritudo mea,* 607 *suo sibi . . sanguine,* 623 *istaec tua . . . terricula.* — Pronomen possessivum supervacaneum est: A 47 *e pectore evolvunt suo,* 197 *a socro possedit suo,* 452 *eum suae vitae finem fore Meleagro.* Contra ex priore pronomine alterum subaudiendum est: P 259/60 *Tu quoque Ulixes, quamquam graviter cernimus ictum,* A 193 *cuius sit vita indecoris, mortem fugere turpem haut convenit,* 451 *eum suae vitae finem ac internecionem fore . . .*

Collocationem ut denique tangam, ab usitata, qualis est: P 58 *Quid istuc est?,* 221 *ques sunt is?,* 239 *Quis tu es?,* recedunt: P 63 *is vestrorum uter sit,* 148 *Is quis est?,* id quod ad animi commotionem colloquentium referendum est[3]. Contra P 41 *Quis vetat, qui ne attolat?* non poetae dandum est, sed a Ribbeckio spreta codicum lectione *quisne* introductum est. Cuius patrocinium Vahlen (in ind. lect. a. 1903, p. 11) acute gessit verbis ita disiunctis: *Quis vetat, quis, ne attolat?*

4. De verbis.

Multa de verbis Holtze p. 38—56 congessit, qui huic capiti totam fere enuntiationum syntaxin inculcavit, sed cum tritissima adferret, gra-

[1] Reichard., *De Q. Ennii annalibus* (Nov. ann. phil. CXXXIX 120).

[2] Vahlen[2] 422 ita scribit: *Quicquam quisquam [quemquam] quemque quisque conveniat, neget.*

[3] Hauler ad Phorm. v. 215.

viora quaedam neglexit, velut in gerundivis commemorandum erat A 570 *unda sub undis labunda sonit;* unum enim ex paucis exemplis est, ubi gerundivum vim participii praesentis habet[1]. — Deinde Holtze omnes ablativos gerundii omisit; occurrunt autem hi: P 315 *perrogitando advenas* (apud Ciceronem raro talis accusativus, apud Caesarem nullus invenitur, Schmalz. p. 300/1), 318 *Nihilne a Troia adportat fando?*, 322 *proliciendo propitiaturos,* A 550/1 *quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus resonando . . flebilis voces refert,* 691 *nomen . . ciendo.* — In genetivis adnotandum erat gerundium in eadem comprehensione verborum cum infinitivo mixtum esse: A 290 *Nobis datur bona pausa loquendi tempusque in castra revorti.* — Itidem nulla mentio fit Acciani v. 189: *Priusquam infans facinus oculi vescuntur tui* (ubi *infans* idem valet atque *infandum*), etsi praeter Lucil. 140 (Marx., 133 L., III 59 M.): *ob facta nefantia* et 874 (Marx., 766 L., XXIX 65 M.): *dissociat⟨a⟩que omnia ac nefantia* antiquissimus locus est, quo participium praesens deponentis vi passiva praeditum est. Saepius id in participio perfecti evenit: P 45 *dolet . . me conatum hoc itiner,* A 457 *itiner ingressum.* Uberrime et acute, ut solet, de hac re Brugmann.[2] disputavit et adiectivis verbalibus, quae in *-tos* cadunt, primitus nihil cum perfecto commune esse demonstravit, sed iis actionem quandam inter qualitates et notas alicuius rei indicari. In omnibus igitur his adiectivis activam vel passivam significationem inesse neque quicquam referre, utrum a transitivis an intransitivis verbis, ab activis an deponentibus ducta sint[3]. Hinc facile explicatur A 520 *parva prodite patria* (Neue III³ 114 locos enumerans, quibus participia *interitus, obitus, praeteritus* exstant, hunc adferre ob-

---

[1] De qua proprietate Sommer (l. l. p. 650) haec exponit: „Es kann nicht zweifelhaft sein, daß das Suffix *-ndo-* zunächst die Bedeutung eines einfachen mediopassiven Part. praes. gehabt hat ohne jede 'nezessative' Beimischung, also in derselben Funktion wie griech. *-μενο-ς* stand, von der es später bei den Deponentien durch das aktivische *-nt-* abgelöst wurde. Dafür sprechen gerade die isoliertesten Beispiele: *oriundus* 'entstehend', *secundus* . . Auch sonst . . . *labundus* . ., *volvendus* Enn. ann. 472 M. ⟨531 V.² *clamor ad caelum volvendus per aethera vagit;* Verg. Aen. I 269 *v. mensibus,* IX 7 *volvenda dies*⟩, *renascendus* . . Varro . . Auch bei aktivisch flektierenden Verben — des Entstehens und Vergehens: *pereundus, senescendus* . .“. Cf. Neue III³ 128.

[2] 'Indog. Forsch.' V 89—152.

[3] Cf. p. 117: „Während gewisse Verbalnomina, die eine engere Beziehung zum Verbalsystem erlangten, hiebei durch ihre Eigenart sofort in ein bestimmtes Verhältnis zu den *genera verbi* kamen . . ., verhielten sich die Adj. auf *-tos* durch sich selbst gegen die Diathesis neutral . . . In ihrem Verhältnis zu ⟨derselben⟩ standen sie also auf einer Linie mit den *nom. actionis* . . und konnten ebensogut aktivisch wie passivisch verstanden werden, vgl.: 'das Denken dieses Mannes' und 'das Denken dieses Gedankens'“.

litus est) et P 33 *iurati cernant*, cuius usum pueri discunt. Cum multa verba in antiquitate inter activam et passivam vel, ut rectius dicam, medialem formam fluctuarent — non multum enim interest, utrum dicatur *nitidant corpora* (Enn. Tr. 125 R., 130 V.²) an *nitidantur iugulos* (A 603) — factum est, ut deponentia etiam passive usurparentur neque ea sola, quorum activa forma nondum evanuerat (A pr. 38 *pulcherrime auguratumst*), sed alia quoque (P 240 *sentio, pater, te vocis calvi similitudine*, A 681 *multa inventa expertaque ex hoc sunt bona*). — Per attractionem in antiquo sermone *posse, quire, nequire* in vicinitate infinitivi passivi et ipsum ad passivum 'genus' transit: P 100 *potestur investigari*, 390 *contendi nequitum vi*, A 662 *impelli . . quitus sum*, fr. 18 B. *perdisci ac percipi queuntur*.

Verbum transitivum vi reflexiva positum est, qui usus praecipue in sermone castrensi omnibus temporibus florebat[1]: P 153 *Proinde ut ista sunt promerita vestra, aequiperare ut queam vereor* et 407: *Nam si quae eventura sunt provideant, aequiperent Iovi*, qua in re avunculi auctoritate ductus est (Woelfflin. p. 6), qui Africanum praedicans (Cic. Tusc. V 49) dixit: *Nemost, qui factis aequiperare queat* (at Livius V 23, 6 spreta vetustatis licentia: *Iovis Solisque equis aequiperatum dictatorem in religionem trahebant*), contra in verbo frequentius usurpato Pac. urbanitatem secutus est: P 370 *nil cernat, quo sese adplicet*, 356 *qua te adplicasti?*, etsi Ennius pronomen omisit Tr. 77 (R., 88 V.²) *quo accedam? quo applicem?* Alterum (quod deest apud Woelfflinum) exemplum est P 94 *Idae promunturium, quoius lingua in altum proicit*. Pariter teste Gellio IV 17, 15 Cato in oratione, quam de consulatu suo habuit, dixit: *ita nos fert ventus ad primorem Pyrenaeum, quo proicit in altum;* cum hoc usu vivacitatis pleno cf. substantivum *proiectura* ('Vorsprung'). Cicero id non toleravit, v. in Verrem IV 118 *urbs . ., quae . . in utriusque portus ostium aditumque proiecta est.* Atque profecto memorabile est *vergere*, quod item primitus transitivum fuit (apud poetas inde a Lucretio hic illic passivum est), in oratione soluta semper reflexive adhibitum esse, eundem autem usum proiciendi ne apud posteros poetas quidem valuisse — habent sua fata vocabula. — Contra verbum intransitivum factum est transitivum: A 287 *erumpit se, inpos consili*, quod praeter alios ne Caesaris elegantia quidem plane repudiavit (Neue III 124) et P 347 *noctis decurso itinere. Decurrere* prisci scriptores in solo ablativo absoluto, quem vocant, transitive usurpavisse videntur, velut Pl. Stich. 81 *decurso aetatis spatio* (cf. Ter. Ad. 860 *iam excurso spatio*), adeoque locutio usu probata est, ut Lucretius III 1042 non dubitaret

[1] Woelfflin., 'Arch. f. lat. Lex.' X 1—10, Hauler, 'Wien. Stud.' XXVI 159 sqq.

translationem turbans dicere *decurso lumine vitae*. Apud Ciceronem demum alias quoque structuras offendimus: pro Quinct. 81 *septingenta milia passuum vis esse decursa biduo*, De or. I 148 *ista, quae abs te decursa sunt*. Nihil autem est, cur etiam *consuescere* contra usum a Pacuvio transitive positum esse credamus et 261 *qui consuetus in armis aevom agere* animo *es* adiungamus, ut CFW. Mueller (Plaut. Pros. p. 292) voluit; nam verbum finitum sequi potuisse Ribbeck recte adnotavit.

Data occasione de omissis verbi *esse* formis videamus. *Est* neglegitur: P 174 *par fortitudo, gemina confidentia; sunt:* A 525 *Lemnia praesto, litora rara*, 651 *multi iniqui atque infideles regno, pauci benivoli; sit* deest: P 390 *cum contendi nequitum vi*, A 181 *itera . . . quo captus modo*. Saepissime autem in prisca Latinitate *esse* omittitur post infin. fut.: P 322 *nos illum . . propitiaturos remur*, A 433 *creditis me amici morte inbuturum manus*, post gerundivum: P 85 *magis audiendum quam auscultandum censeo*, A 119/20 *ad populum intellego referundum*, post perfecta passiva: A 153 *cum me damnatum audiet* et 321 *Mavortes armis duo congressos crederes*.

Ad temporum usum si denique animum attendimus, adnotanda sunt perfecta, quae praesens aequare videntur et quibus exprimitur rem quandam tam acriter concupisci, iuberi, vetari, ut effectus animo praeoccupari possit: P 206 *Di me, etsi perdunt, tamen esse adiutam expetunt* (cf. Enn. Tr. 379 R., 402 V.[2]: *quem quisque odit, periisse expetit*), A 24 *gressum adcelerasse decet*. Similiter perfectum ponitur, ut actionem insequentem prope simul cum priore confectam esse declaretur: A 130 *Nos continuo ferrum eripimus, manibus manicas neximus*[1]. — Adsimulationem temporis cognoscimus: A 74 *etsi est in malis depositus animus, quae scibo, exinde audies*. Futurum in enuntiatum relativum hic fortasse per similitudinem enuntiationum condicionalium irrepsit. — Insignis deinde locus est A pr. 15: *Patrio exemplo et me dicabo atque animam devoro hostibus;* nam poetam hic nullum discrimen inter futurum simplex et exactum fecisse apparet. Blase[2] quidem, vir harum rerum peritissimus, hunc usum futuri II. in enuntiatis primariis, quem Madvig. (Opusc. acad. p. 474[2]), Meifart.[3], Cannegieter[4] observaverant, negat, sed nisi nobis ipsi tricas fingemus, hoc loco differentiam temporalem inter duo haec synonyma statuere vix possumus. In futuro exacto autem,

[1] Priscianus GL. II 469, 20 praesens quoddam *nexo, nexas* vel *nexis* constituit, sed Neue III[3] 262 recte eius testimonium damnat.

[2] 'Arch. f. lat. Lex. X 457' et 'Hist. Gramm.' III 176 sqq.

[3] De fut. ex. usu Plautino, Diss. Ienensis a. 1885, p. 23.

[4] De formis, quae dicuntur fut. ex. et coni. perf. formae syncopatae in *-so, -sim*, Traiecti ad Rh. 1896.

cum coniunctivus aoristi fuisse videatur, iis locis, quibus vetus status ex parte servatus est, nullam vim perfectivam inesse non mirum est. Atque summi momenti in hac re est: P 297 *precor veniam petens, ut quae egi, ago, axim verruncent bene*[1]. Luce clarius est coniunctivum partes futuri exacti obtinere et egregie confirmatur, quod Blase (l. l. X 338) proposuit, in his formis verbi olim indicativum et coniunctivum nondum distinctum neque temporis rationem determinatam fuisse[2]. Memoria autem dignum est in antiquitate ipsa homines litteratos nullos certos fines inter has formas esse animadvertisse, ut per Gellium comperimus, qui quaestionum certationes enarrans, quibus *Saturnalicia ludicra Athenis agitare soliti* sint, XVIII 2, 14 haec addit: *Postrema quaestionum omnium haec fuit: 'scripserim, legerim, venerim', cuius temporis verba sint, praeteriti an futuri an utriusque.* — Iam me converto ad

B. Enuntiationum syntaxin.

1. Enuntiatum simplex.

Exordium sumamus a convenientia. Statim paulum subsistere cogimur in Pac. v. 83—85:

> . . *nam isti, qui linguam avium intellegunt*
> *Plusque ex alieno iecore sapiunt quam ex suo,*
> *Magis audiendum quam auscultandum censeo.*

Nam Holtze, cum (p. 36) attractionem pronominis subesse censeat, nominativum *isti* positum esse pro *istis*, quod olim cum codicibus quibusdam deterioribus scribebatur, existimat. Quae lectio ut primo obtutu aptissima videtur, sic deliberanti scrupulum movet. *Audire* enim cum dativo iunctum idem fere valet atque compositum *oboedire* et synoymum auscultandi est, cf. Apul. Apol. c. 83 *improbo ac nefario homini . . . ne auscultarent, sibi potius audirent.* At Pacuvius hoc dicere vult: 'quae haruspices hariolantur, magis auribus percipienda quam curanda sunt'. Neque dativum *istis* per zeugma positum esse concedo; tum pronomen potius ad *audiendum* pro gravitate quam ad *auscultandum* accommodari oportuit. Quare ad *audiendum* et *auscultandum* nullum obiectum pertinere puto, sed absolute dictum esse per anacoluthon tamquam prae-

[1] Hunc octonarium iambicum a Ribbeckio coniecturis adhibitis in duos versus discribi Vahlen in indice lect. a. 1903, p. 7 recte improbat.

[2] Vel, ut ipsius verba apponam: „eine Verbalform . ., in der Ind. und Konj. noch ungeschieden zusammenliegen, eine Form, die nicht nur modal, sondern auch temporal unbestimmt, d. h. zeitstufenlos ist". Similia vestigia, quibus adfinitas futuri I. et coniunctivi praes. ostenditur, Blase ibid. p. 543—547 indagavit.

cederet: *quod ad istos, qui . . ., attinet*, ita ut convertendum sit: 'da muß man mehr hören als Gehör schenken'. Deinde aliquid inusitati habet A 485 *Cuius vos tumulti causa accierim et quid parem, ⟨animum⟩ advortito*[1]. Facile quidem evenit, ut scriptor a singulari multitudinem, quae illo comprehenditur, respiciens in numerum pluralem transeat (v. A 686 *Pars frena tensae atque ori equorum accommodant*), sed ut e contrario, ubi plurali posito eius animo complures homines vel res obversati sunt, ad singularem delabatur, raro fit. Tales numeri discrepantiae praecipue in legum formulis exstant, velut in tab. Bant. (Schneider n. 292, 18): *iouranto apud quaestorem . . ⟨sese, quae ex h. l. oporte⟩bit facturum . .* (cf. Altenburg l. l. p. 519). Singularis eiusmodi locis admittitur, quia *quisque* subiectum subauditur, cum singuli eo moneantur iussum ad unumquemque spectare. — Per synesin pluralis collocatus est A 425: *Oeneum aliquis cette in conspectum aut nos . . ducite ad eum*, quae structura ex sermone cotidiano sumpta est (apud Plautum frequenter occurrit). Praeterea veterem formulam habemus A 428 *praesente his*, ubi *praesente* prope praepositionis instar est. Sed cum participium esse semper sentiretur, a puro sermone neglegentior haec locutio proscripta est. Idem genus dicendi cognoscitur in adverbiis pro adiectivis praedicativis positis: P 248 *Pariter te esse erga illum video, ut illum ted erga scio*, A 120 *horum aequiter sententiae fuere.*

In enuntiato prohibitivo comicorum more *ne* cum imperativo coniunctum est: A 95 *ne retice*, usitata autem iunctura non deest: A 279 *ne attenderis* et P 200 *sepeli . . neu sireis.*

Interrogationes, id quod sine dubio antiquissimum est, nulla particula adiecta declarantur A 18, 51, 366, 433, 519, 624. Eodem vix pertinent P 149, 184, A 608, ubi *non* pro *nonne* positum est; nam bene Skutsch.[2] obicit illud *non* per syncopen ex *nonne* prodisse, cum encliticum *-ne* negationi nisi sequente vocali adfixum non sit. Particula *an* interrogatio inducitur P 25, A 3, 85, 488, 491, 665. Indignatio *ut* cum coniunctivo posito significatur: A 38 *ut quae tum absentem rebus dubiis coniugem tetinerit, nunc prodat ultorem?* et 427 *Egone . . temere ut hosti me animato offeram?* Ad sermonem cotidianum revocandum est, A 98 *Satin ut . . . nunquam ulla humilitas ingenium infirmat bonum?*, quod coaluisse videtur ex *satin est nunquam . . infirmare?* et ex exclamatione *ut nunquam . . infirmat*, ut prope idem valeat ac *nonne.* — In interrogatione disiunctiva invenitur *ne . . an:* A 182 *Fortunane an forte repertus;* solum *an:* 463 *Ex taurigeno semine ortam fuisse an humano*

[1] Hanc Bambergensis scripturam ut lectionem difficiliorem (*advorti* vel *advortite* ceteri) Ribbeckius bene recepit.

[2] 'Plautinisches und Romanisches' p. 54.

feram?; solum *ne:* 537 *ubi habitat? urbe agrone?;* denique *utrum . . ne . . . ne:* 479 *Sed utrum terraene motus, sonitusne inferum pervasit aures?,* ex quo loco scriptores *utrum* pronomen esse sensisse cognoscimus.

Iam infinitivi usum attingamus, qui non multum novi praebet. Primum cum infinitivo consociatur P 75 *callere* (per analogiam sciendi), P 365(3) *comprecari* (valde dubium, nam locus mendosus), P 166, 213, A 447, 474 *dignare,* P 154 *fatisci,* A 294 *pigrare.* Praeterea commemoro P 31 *proloqui* (*prologo* libri) *non paenitebunt,* quae emendatio mihi prope certa videtur, etsi certum structurae exemplum Cicero demum praebet (Draeger II 350); ex similibus enim verbis P 144 *piget, pudet,* A 317 *perdoliscit* infinitivus pendet. Terentium secutus *imperare* cum infinitivo iunxit Accius (385) *signa . canere ac tela ob moenia offerre imperat* (P 332 *imperat, ... ut . deducerem*). Propter inconcinnam constructionem adfero A 290 *nobis datur bona pausa loquendi | Tempusque in castra revorti.* Post locutiones, quales sunt *copia est, tempus datur,* sim., utraque structura adhiberi licuit itaque priore in membro iuxta substantivum gerundium positum est, in altero intercedente obiecto infinitivus. — Accusativus cum infinitivo, ad quem progredimur, post *velle* pari subiecto quoque exstat P 23, A 5; item pendet ex *verendo,* etsi *timere* valet: A 157 *Hem, vereor plus quam fas est captivam hiscere.* Quod vero Ribbeck A pr. 19 *Visum est in somnis pastorem | ad me adpellere* etiam *videri* accusativo cum infinitivo ornavit, etsi in libris *pastor* scribitur, probare non possum. Aliquid praesidii quidem Ribbeckio praebet Ter. Andr. 796 *in hac habitasse platea dictumst Chrysidem,* sed monendum est in libris non solum, id quod saepe evenit, pro *-um est* secundum pronuntiationem *-ust,* verum etiam e contrario hic illic in optimis codicibus velut in Plauti Ambrosiano *-umst* pro *-us est* scriptum esse[1]. Praestat igitur cum editoribus Ciceronis nominativum *pastor* retinere et *visumst* in *visust* mutare[2]. — Accusativus subiecti, ut hanc rem absolvam, omissus est P 118, 226, inusitate in fine enuntiati est collocatus A pr. 22.

2. Parataxis.

Iam magnas et interdum contortas comprehensiones Pacuvium Acciumque adamasse vel ex frustulis dispicere possumus: specimen praebent: P 86—93, 244—246, 326—330, 366—373, 411—416, A 209—213, 391—402, pr. 16—28, 29—38. Inde efficitur, ut sententiae raro nativa

[1] Qua de re v. Leonem, 'Plautinische Forschungen' p. 253, adn. 2.

[2] Alterum exemplum eiusdem licentiae, quod legitur inc. inc. fab. 5 *mater gravida parere se ardentem facem | Visa est in somnis Hecuba,* Buecheleri speciosa coniectura *parere ex se* sublatum est.

illa laxiore parataxis ratione copulatae sint. In interrogationibus obliquis quidem semper fere coniunctivus invenitur. Indicativus autem exstat: P 226 *cedo, quorsum itiner tetinisse aiunt?* (at 63 *is vestrorum, uter sit . . cette*); A 92 *cedo, ecquid ei redhostit?;* 191 *ah dubito, quid agis: cave, ne in turbam te inplices* versus manifesto non integer est; 303 *viden, ut te inpietas stimulat nec moderat metus?* (contra 608 *Non vides, quam turbam, quantos belli fluctus concites?*), 499 *Exprome, quid fers.* Talibus locis in sermone humiliore omnibus temporibus indicativus tolerabatur. Vestigium antiquioris structurae exstat P 5—7:

Ita saeptuosa dictione abs te datur,
Quod coniectura sapiens aegre contuit:
Non intellegimus, nisi si aperte dixeris.

Similia Plautus aliquotiens habet, velut Asin. 390: *Ita haec morata ianua est: extemplo ianitorem clamat,* itemque Terentius[1]. — Iuncturas vero, quales sunt: P 122 *abs te oro, minus inexorabilem faxis,* 208 *fac . . operam mihi des,* 281 *fac . . respondeas,* pr. 4 *nunc te obtestor, celere sancto subveni censorio,* A 95 *ne retice, obsecro!,* 304 *cave attigas,* 456 *cave lassitudo . . cursum levet,* ne optimi quidem scriptores fugiebant. — Denique locum adféram, unde elucet, quemadmodum adverbium *dum* paulatim coniunctio facta sit; est autem A 395/6:

Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod sublime ventis expulsum rapi
Saxum . . . . .

Utrumque *dum* hic principalem notionem 'eine Zeit lang, eine Weile' servavit, ita ut vertendum sit 'bald — bald'[2]. Pari modo Afranius 372:

Dum me morigeram, dum morosam praebeo,
Deinde aliquid dedita opera controversiae
Concinno, laedo interdum contumeliis.

Alter transitus gradus bene illustratur versu illo Catulliano (62, 45):

Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est,

ubi substitui possit *quamdiu — tamdiu.*

3. Hypotaxis.

Pauci loci proprietatem quandam prae se ferunt: P 41 *Quis vetat, quis, ne attolat?*; A 107 *ut dicam te metu . . dubitare haut meum est*;

---

[1] Weninger, *De parataxis in Ter. fab. vestigiis*, Diss. Erlangensis a. 1888 p. 73.
[2] Woelfflin., 'Arch. f. lat. Lex.' II 234.

ut hic propter similitudinem locutionum *optumum est, melius est,* aliarum positum esse videtur, in quibus *ut* ex verbo faciendi vel subaudiendo vel re vera addito (velut Aul. 582 *nunc hoc mihi factust optumum, ut te hinc auferam*) pendet[1]. A 88/9 *staturae gracilitudo et luctus facit, ne dubitem,* ubi *ut non* exspectatur; sed Romani consuetudine ad constructionem finalem ita propensi erant, ut in argentea Latinitate *efficere ne* solum valeret[2]. — P 67 *ut verear eloqui porcet pudor;* consecutivum *ut verear* sine damno omitti potuit. — In consecutivis enuntiatis relativis coniunctivus ponitur; vix huc referendus P 372: *Sunt autem alii philosophi, qui . . negant . . . autumant.* Deinde differentia est observanda, quae intercedit inter A 330 *haut fatiscar, quin tuam inplorem fidem* et P 154 . . *nunquam fatiscar facere, quod quibo boni.* Constructione A 209 *Adde huc, quod mihi portento caelestum pater Prodigium misit . .* collato versu incerti poetae inc. fab. 172:

Non commemoro, quod draconis saevi sopivi impetum,
Non, quod domui vi taurorum et segetis armatae manus

demonstratur certamen, quod postea inter accus. c. inf. et hanc coniunctionem exarsit, ex parte iam mature coepisse; originem ostendit A 345 *Dum illud, quod miser est, clam esse censet alteros.*

Cum causale prisco more cum indicativo iunctum est: P 179 *Habet hoc senectus in sese, ipsa cum pigrast,* | *Spisse ut videantur omnia ei confieri,* 207 *Di me . . esse adiutam expetunt,* | *Quom . . spatium ulciscendi danunt,* A 78 *At vereor, cum te esse Alcimeonis fratrem factis dedicat,* item *cum* concessivum: P 328 *Neque paternum aspectum es veritus, quom . . indigem liberum lacerasti, orbasti . .* Coniunctivus vero, quem Plautus ignorat (Schmalz. p. 393), non deest: P 135 *vel cum illum videas sollicitum orbitudine,* 166 *Cum neque me aspicere aequales dignarent meae.* — *Quoniam* primariam vim temporalem retinuit A pr. 17 *Quoniam quieti corpus . . dedi . . ., visum est*[3]; medium statum nobis repraesentat P 392 *Quoniam ille interit, imperium Cefalo transmissum est.* Pariter *quando,* quod apud Ter. iam omnibus fere locis causalem notionem induit[4], tempus significat: P 38 *canis quando est percussa lapide, non . illum adpetit . .* — *Postquam* cum praes. historico occurrit P 396, *ubi* P 69 et A 602.

Si exspectationem vel conatum significans prisca ratione cum

[1] Niemeyer ad Trin. v. 486.
[2] Golling, 'Zeitschr. f. d. österr. Gymn.' XXXIV 678.
[3] Plautus sexies hunc usum praebet, Terentius nusquam; cf. Niemeyer ad Trin. v. 14.
[4] Hauler ad Phorm. v. 895.

indicativo coniunctum invenitur A 180/1 *namque audire volo, si est quem exopto,* recentiore cum coniunctivo A 326 *provocavit, si esset quis* ... — In enuntiatis condicionalibus tempora non concinunt, ut saepe ante et post Ciceronem[1], velut P 148 *Qui te, nisi illum tu occupas*[2], *leto dabit*' P 7 *non intellegimus, nisi si dixeris,* A 149 *si vincar, nullum est probrum,* 293 *Qui, nisi genitorem ullo, nullum meis dat finem miseriis,* similiter A 308 *Ut nunc, cum animatus iero, satis armatus sum.*

Ut denique consecutionem temporum attingam, coniunctivus imperfecti praesens historicum sequitur A 229, 281, contra post perfectum admittitur coniunctivus praesentis A 599/600:

Iussit proficisci exsilium quovis gentium,
Ne scelere tuo Thebani vastescant agri,

videlicet, ut verba, sicut in oratione recta mandata sunt, reddantur.

Iam hac quoque parte ad finem perducta summam eorum, quae disputavimus, ita comprehendere possumus, ut dicamus Pacuvio et Accio locum inter Plautum et Terentium adsignandum esse, sed multo plura iis cum illo quam cum hoc, qui et puritate et urbanitate aetatem suam longe praecurrit, communia esse. Multa, ut res fert, Ennio eos debuisse, ita tamen, ut opes ab eo acceptas de suo largiter locupletarent; haud pauca ex patria dialecto eos introduxisse, praecipue Pacuvium, qui ob hanc causam Ciceroni malus auctor Latinitatis fuisse videtur. — Ne vero eorum imaginem aliqua ex parte imperfectam relinquamus, in appendice agamus

V. De translationibus et figuris.

Tragicos inde ab Ennio, cum in elocutione a dictione populari non ita multum differrent, ornamentis ex rhetorum ludo depromptis orationem exaggerare studuisse iam dudum observatum est[3]. Atque Accium in Asiam profectum esse, ut clarissimos oratores Graecos audiret, ex Gellii N. Att. XIII 2, 2 comperimus eiusque aequales in tragoediis harum exercitationum experientiam agnovisse docet Quintilianus V 13, 43 *Aiunt Accium interrogatum, cur causas non ageret, cum apud eum in tragoediis tanta vis esset optime respondendi, hanc reddidisse*

[1] Blase, 'Arch. f. lat. Lex.' X 314.

[2] In minis, cum protasis iussum continet, semper fere praesens usurpari eruit Lindskog, *De enuntiatis apud Plaut. et Ter. condicionalibus*, Lundae 1895, p. 28.

[3] Norden, 'Antike Kunstprosa' II 839, 889; Leo, *Analecta Plautina. De figuris sermonis* II. Gottingae 1898, p. 11.

rationem, quod illic ea dicerentur, quae ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent, quae minime vellet. Pacuvium quoque rhetorum ampullis non abstinuisse Lucilius nos certiores facit, cum in *exordium contortum Pacuvianum* 875 (Marx., 718 L., XXIX 81 M.) invehitur. Atque duo exempla nobis documento sunt, quomodo comparationes et translationes a Graecis acceptae apud Romanos se insinuaverint. Alterum est P 38/9:

Nam canis, quando est percussa lapide, non tam illum adpetit,
Qui sese icit, quam illum eumpse lapidem, qui ipsa icta est, petit.

Lepidissima haec comparatio Platonis ingenio debetur[1] De re publ. V 469 E *ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις, οἷς ἂν βληθῶσι, χαλεπαίνουσι τοῦ βαλόντος οὐχ ἁπτόμενοι;* Tum per Aristotelem Rhet. III 4 *Εἰσὶν εἰκόνες, οἷον . . . τὸ ἐν τῇ Πολιτείᾳ τῇ Πλάτωνος, ὅτι οἱ τοὺς τεθνεῶτας σκυλεύοντες ἐοίκασι τοῖς κυνιδίοις, ἃ τοὺς λίθους δάκνει τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμενα,* in rhetorum officinam pervenisse videtur, unde ad Romanos translata est, qui multifariam ea utebantur, ita ut Plin. N. h. XXIX 29, 102 dicere potuerit: ⟨*minus hoc miretur*⟩, *qui cogitet lapidem a cane morsum usque in proverbium discordiae venisse.* Alter locus est A 226 *natis sepulcro ipse est parens.* Referendus est[2] ad Gorgianum *Γύπες ἔμψυχοι τάφοι,* quae nimia translatio a Graecis, elegantiae arbitris, deridebatur (*περὶ ὕψους* 3, 2), Romanorum minus erudito iudicio adeo placebat, ut eam tota fere Latinitate varie conformatam inveniamus, velut ante Accium ab Ennio adhibita est in Ann. 138 V.[2]:

volturus in spinis miserum mandebat homonem:
heu, quam crudeli condebat membra sepulcro!,

post eum a Lucretio V 993 *viva videns vivo sepeliri viscera busto,* ab Ovidio Met. VI 665 ⟨*Tereus*⟩ *flet modo seque vocat bustum miserabile nati,* a Musa rhetore apud Senecam Contr. X praef. 9 *quidquid avium volitat . . ., nostris sepelitur ventribus.* — Alibi quoque Accium in eligendis translationibus parum sollertem deprehendimus. Pacuvianum (362) *Nunc primum opacat flora lanugo genas*[3], cum superare studuit, insulse mutavit in (246) *Ei lanugo flora nunc demum inrigat . .,* quod convertere possumus 'blühender Flaum quillt ihm . . (über die Wangen)'.

---

[1] V. Ottonem, 'Sprichwörter der Römer', p. 23, Vahlenum in indice lect. a. 1902 p. 10 sq.

[2] Cf. Norden, 'Ant. Kunstprosa' I 385.

[3] Non invenustam hanc translationem eum Graecis debere opinor coll. Eur. Phoen. 63 *ἐπεὶ δὲ τέκνων γένυς ἐμῶν σκιάζεται.*

Ribbeckium, cum (Coroll. p. LIV) vel notionem *molli flexu rivi modo serpendi* inferre vel potius *inplicat* scribere vult, operam perdidisse iudico.

Nonnunquam tropus allitterationis causa quaesitus esse videtur, ut P 77 *flucti flacciscunt,* A 122 . . *quod vos hic non mertet metus,* 420 *lavere salsis vultum lacrimis,* 578 *salsis cruorem guttis lacrimarum lavit,* in quod iam Ennius inciderat Tr. 127 *lavere lacrimae salsae sanguinem.* Allitteratio enim apud utrumque poetam inter pigmenta orationis insignem locum obtinet. Ut Naevius Com. 113 *libera lingua loquemur ludis Liberalibus* et Ennius tres eiusmodi versus lusit[1], sic Accius 200:

Maior mihi moles, maius miscendumst malum.

Notabiles praeterea sunt hi loci: P 53 *famulitas vis egestas fama formido,* 67 *porcet pudor,* 79 *ut promeruit! pater mihi patriam populavit meam!,* 82 *prodigium horriferum, portentum pavos,* 85 *magis audiendum quam auscultandum* (cf. veterem poetam apud Varr. L. L. VI 83 *audio, haud ausculto* et Caecil. Stat. 196 *Audire, ignoti quom imperant, soleo, non auscultare*), 144 *piget paternum nomen, maternum pudet profari,* 244 *lymphis flavis fulvum ut pulverem . . abluam,* 298 *Tu, mulier, tege te et tuta templo Liberi,* 320 *Periere Danai, plera pars pessum datast,* 322 *proliciendo propitiaturos,* 342 *repudio nec recipio,* 412 *noctisque et nimbum obcaecat nigror, flamma . . coruscat, caelum . contremit;* A 22 *Cui manus materno sordet sparsa sanguine,* 85 *An mala aetate mavis male mulcari . .?,* 150 *salutis spes supremas sibi habet summa exerciti,* 201 *cor contundam et comprimam,* 223 sqq. *quid tonitru turbida torvo | Concussa repente aequora caeli | Sensimus sonere?,* 229 *meos malis miser manderem natos,* 288 *velle vim vulgum vides,* 319 *armum armatus ardorem obtui,* 393/4 *undas volvit, vertices vi suscitat: | Ruit prolapsa, pelagus respargit, reflat,* 434 *Paratus sum ubivis petere pestem permiti,* 445 *quisque cum corona clarum conestat caput,* 453 *si me matrem mansues misericordia capsit,* 480 *inter tonitra et turbines,* 552 *E viperino morsu venae viscerum | Veneno inbutae,* 571 *magna sonantibus | Excita saxis suavisona echo | Crepitu clangente cachinnat,* 592 *Egredere, exi, ecfer te, elimina urbe,* 630 *mons mollibat mare,* 631 *ferro fervere,* 635 *magnam molem minuam,* 684 *Quod non labascat lingua, mitiscat malo.* Per duas consonantes initiales — id quod admodum rarum est (Keller p. 42) — efficitur: P 186 *clamide contorta clupeat braccium,* P 10, A 478 *fruges frendo,* P pr. 5 *gradilis gressio,* A 438 *grande et grave,* A 194, 487 *gratum et grave,* A 325 *primores procerum provocavit,* P 385 *spiras sparteas,* A 517 *serpentis squamae squalido duro,* A 366 *Tot tropaea transdes.* Haec prae-

[1] O. Keller, 'Grammatische Aufsätze' p. 27.

stantiora exempla sufficiant. Satis elucet et Pacuvium et Accium saepe *illas ληκύθους* (Cic. ad Att. I 14) prompsisse.

De reliquis figuris si quaerimus, Gorgianae aliquotiens nobis se offerunt: Adnominatio: P 4 *inanima cum animali sono*, 122 *abs te oro, minus inexorabilem te faxis*, 221 *ignoti, nescio ques ignobiles*, 246 *lassitudinemque minuam manuum mollitudine* (coniuncta cum homoeoteleuto), 275 *maerore, errore, macore senet*, 276 *lapit cor cura*, 363 *terra exhalat auram ad auroram umidam*; A 47 *composita dicta . . quae cum componas dicta*, 110 *fors aut fortuna*, 182 *fortunane an forte*, 130 *manibus manicas neximus*, 156 *Virtuti sis par, dispar fortunis patris* (coll. Aiacis v. 550 *ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος, τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος* apparet Accium in vertendo figurae causa a Graeci poetae exemplo exspatiari), 169 *Nil credo auguribus, qui auris verbis divitant | Alienas*[1], *suas ut auro locupletent domos*, 174 *Ferum feroci contundendum imperiost, saevum saeviter*, 308 *cum animatus iero, satis armatus sum*, 333 *per terras vagus extorris*, 349 *Persuasit maeror, anxitudo, error, dolor*, 415 *exspes, expers*, 561 *Pari dyspari* (ex coni. Burmanni), *dispar si esses tibi*, 580 *Quaeve ut Graio tibi congenerat gentum aut generum adfinitas?*, 587/8 *Ne . discordiae et dividiae dissipent, | Disturbent tantas . . divitias*, 621 *Nam huius demum miseret, cuius nobilitas miserias | Nobilitat*, 646 *nomen et numen Iovis*, 692 *nomen vestrum numenque*, pr. 39 *qui recte consulat, consul fuat.* — Subiungere par est figuram etymologicam: P 69 *gravidam . . adgravescere*, 223 *sonitu resonantes*, 239 *nuncupasti nomine*, A 314 *probis probatum*, 429 *noxae obnoxium.* — Polyptoton exstat: A 82 *Cum patre parvos patrium hostifice | Sanguine sanguen miscere suo*, 109 *sibi mala auxere in malis*, 124 *mea ope opes Troiae integrem*, 132 *Qui neque amico amicus umquam gravis neque hosti hostis fuit*[2], 134 *praesentem praesens*, 147 *Quid est, cur componere ausis mihi te aut me tibi?*, 352 *luctum addit luctibus*, 423 *neque vita ulli propria in vita est*, 570 (coniunctum cum homoeoteleuto) *Unda sub undis labunda sonit*, 655 *sepulcra duo duorum corporum.* — Homoeoteleuton habes: P 247 *Lenitudo orationis, mollitudo corporis*, 295 *Regum imperator, aeternum, humanum sator*; A 207 *matres conquinari regias, contaminari stirpem*, 219 *Epularum fictor, scelerum fratris delitor*, 441 *ruspantes silvas, sectantes feras*, 522/3 *Achivis classibus ductor, Gravis Dardaniis gentibus ultor*, 546 *pinnigero, non armigero in corpore.*

---

[1] Vides *alienas* tantummodo propter ἀντίθετον additum esse; eodem lusu Lucilium 1220 (Marx., 1093 L., inc. 99 M.) *nequam aurumst, auris quodvis vehementius ambit* dixisse Leo l. l. p. 10 adn. 2 vidit.

[2] Plautum et Pomponium in talibus iuncturis nominativum anteponere, Terentium et posteriores casum obliquum egregie observavit Leo, 'Plaut. Forschungen' p. 235.

Denique fuco oratorio tribuenda est constitutio differentiae verborum, qualem habes A 4—9:

Tu pertinaciam esse, Antiloche, hanc praedicas,
Ego pervicaciam aio et ea me uti volo:
Haec fortis sequitur, illam indocti possident.
Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur.
Nam pervicacem dici me esse et vincere
Perfacile patior, pertinacem[1] *nil moror*

vel A 296 *Sapimus animo, fruimur anima: sine animo anima est debilis,* et *συνωνυμία,* quam collectionem synonymorum auct. ad Her. IV 28, 38 'interpretationem' appellat (v. Marxium in praef. p. 92), in P 366—375 *perhibent* — *praedicant* — *autumant* — *aiunt* — *iterant* — *negant* — *autumant.*

Restat, ut asyndeton breviter tractemus, quia Holtze unicam hanc figuram, quam commemorat (p. 56), non plus quinque exemplis comprobat. Bimembre asyndeton legitur *a)* substantivorum: P 82 *prodigium . ., portentum pavos,* 175 *lamentas, fletus facere conpendi licet,* 317 *precibus, imperio,* 376 *mendicus, manticulator;* A 254 *formae, figurae nitiditatem,* 565 *Vis volneris, ulceris aestus,* pr. 6 *populo, patriae verruncent bene,* pr. 10 *voce canora, fremitu; b)* adiectivorum: P 295 *aeternum, humanum sator,* A 376 *orbus, exspes liberum; c)* verborum: P 337 *poetae . . falsa confictant, canunt,* 384 *cognita, agnota est soror,* A 66 *lactans, vanans protrahas,* 114 *alui, educavi,* 394 *pelagus respargit, reflat,* 442 *invita ancillans, dicto oboediens viri,* 587/8 *Ne . . . dissipent, Disturbent* (ex coni.).

Dissolutio trium vel plurium membrorum, praecipue ut descriptio vivida et alacris fieret, adhibita est:

a) subst.: P 37, 53, 275, 301, 313, 335, 381; A 94, 105/6, 349, 468, 550, 593, 614/5 624; *b)* adiect.: P 2, 369; A 333/4, 339/40, 415, 595; *c)* verborum: P 91, 202, 297, 329, 350, 365; A 140, 304, 357/8, 437, 444/5, 458, 592, pr. 29.

Ultimo membro *-que* adiunctum est P 92, 365, 369; *atque* duobus extremis P 20[a] interiectum est.

Contra A 206/8, ubi Ribbeck dedit:

quod re in summa summum esse arbitror
Periclum, matres conquinari regias,
Contaminari stirpem ac misceri genus,

---

[1] Ennius utrumque iunxit Tr. 408 *pervince pertinaci pervicacia.* Illi versus egregium exemplum contrapositi sunt.

libri habent compositum *admisceri* idque me iudice sine offensione retineri potest post alia verba composita. — Iunctura *-que et,* quam in prisca Latinitate rarissimam esse Schmalz. (l. l. p. 343) minus recte contendit[1], invenitur: P 301 *exsiliumque et senectus,* 340 *annisque et aetate hoc corpus putret,* 412 *noctisque et nimbum obcaecat nigror,* A 111 *alguque et fame.*

Polysyndeton quater posito *neque* efficitur A 661, triplici P 389, A 245; triplici *aut* A 125/6.

Agmen denique claudant figurae, quae sola collocatione verborum exsistunt.

Anaphora ornati sunt hi versus: P 212, A 154, 165, 198/9, 200, 473, 489, 585, 646.

Epiploce semel occurrit: A 365 *Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini.*

Chiasmum bimembrem satis saepe offendimus: P 3, 77, 144, 253/4, 320, 335, 382, 395, pr. 4, A 15, 86, 156, 430, 479, 565; trium vocabulorum bis: P 276, A 560.

Parallelismus *a)* membrorum exstat: P 54, 174, 247, A 219, 364, 441, 539, 684; *b)* enuntiatorum: P 12—14, 77, 89, 227, A 6, 7, 41, 296, 346.

Sed ut libellum aliquando concludam, iam nihil nisi hac quoque parte id, quod supra (p. 185) de his poetis iudicavi, probatum videri adiungo.

---

[1] V. exempla, quae collegit Hauler ad Phorm. 1051.

Tabula materiae.

Vocabula et locutiones, quae explicantur vel emendantur.

Loci tractati.

Druck von Rudolf M. Rohrer in Brünn.